RELECTIONES THEOLOGICAE, OPUS VARIUM ERUDITIONE, PIETATE, ...

Pietro Paolo Filippi

RELECTIONES THEOLOGICAE,

OPVS VARIVM ERVDITIONE, pietate, vtilitate insigne.

AVTHORE A. R. P. M.

F. PETROPAVLO PHILIPPIO

Ordinis Prædicatorum,

In Academia Vniuersali Perusina olim Primario Professore, & Consultore Sanctissimæ Inquisitionis.



ROMÆ, Apud Bartholomæum Zannettum. 1614.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. M. Sacri Palatij Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesg.

Imprimatur

Fr. Gregorius Donatus Rom. Lect. & Soc. Reuerendiss. P. F. Hyacinthi Petronij Sacri Palatij Apostol. Mag. Ord. Præd.

EX commissione A. R. P. N. & Magistri Fratris Ludouici Ystella Vicarij Generalis totius Ordinis Prædicatorum, vidi Relectionem de gratiæ, visionisquè, & charitatis diuinæ supernaturalitate, relectionem de causa specierum intelligibilium Angelici intellectus, & relectionem de Angelorum inter se distinctione, Auctore R. & doctissimo P. M. F. Petro Paulo Philippio de Castronouo Caferonianæ eiusdem Ordinis, olim in Academia Perusina Primario Sacræ Theologiæ Professore; in quibus nihil Catholicæ Doctrinæ, aut bonis moribus contrarium inueni; quin potius omnia eo ingenio, & subtilitate disposita, atquè acutissimis rationibus confirmata, vt in non modicam cedere Scholasticorum vtilitatem, si Typis mandentur, censeam. Romæ in Collegio Sancti Thomæ super Mineruam, 2. die Martij, 1605.

Fr. Didacus Aluarez Magister, & Collegij Sancti Thomæ super Mineruam Regens.

QVatuor Relectiones, vnam de gratiæ, visionis, & charitatis diuinæ supernaturalitate, alteram de causa specierum intelligibilium Angelici intellectus, tertiam de Angelorum inter se distinctione, & vltimam de actu gratiæ, charitatis, & gloriæ substantialis augmentatiuo, Auctore A. R. & doctissimo P. Magistro Fratre Petro Paulo Philippio de Castro nouo Caferonianæ, Ordinis Prædicatorum, olim in Academia vniuersali Perusina Primario Sacræ Theologiæ Professore, ex commissione Reuerendiss. P. N. F. Seraphini Sicci Papiensis totius eiusdem Ordinis Magistri Generalis, gaudens perlegi, & tanquàm acutissimæ, & fidei, aut bonis moribus nequa-

nequaquàm repugnantes prælo dignæ videntur mihi Fr. Benedicto Torrente Magistro, & in Collegio Rom. Sancti Thomæ super Mineruam publico Sacræ Theologiæ Professori. 4. Iulij, 1613.

Fr. Benedictus Torrente, qui supra.

NOs Frater Raphael Riphoz Barchinonensis, Sacræ Theologiæ Magister, Ordinis Prædicatorum, & Reuerendiss. P. Magistri Generalis totius Ordinis Vicarius Cum amantissimo animo suscipiendos existimemus eos, qui honestissimo labore, de bonis literis, præsertim Theologicis benè mereri conãtur, ex attestationibus autem grauissimorum virorum, doctissimorumquè, quæ præmissæ sunt, acceperimus elaboratam à te A. R. P. Magistro Fratre Petro Paulo Philippio, elucubrationem quatuor Relectionum, (sic enim eas nuncupari voluisti, Hyspanarum Vniuersitatum celeberrimam, & antiquam consuetudinem, & nuncupationem imitatus) eamquè doctrina subtilitate, varietate, pietatequè dignam existimari, quæ Typis mandetur: officij nostri auctoritate, harum nostrarum serie: facultatem eam imprimendi tibi concedimus: imò & ad cumulum meritorum, præcipimus, vt prælo in publicum emittas. Datum Romæ. Pridie Kalendas Nouembris, 1614.

Fr. Raphael Riphoz, Vic. Gener. Ord. Præd.

† 2 Nos

HAs doctiſſimas Relectiones, ſumma cum voluptate perlegi; quæ ſanè adeò mihi placuerunt, vt cuperem Reuerendiſſimum Patrem Generalem ſub obedientie præcepto Auctori præcipere; vt alijs parcens occupationibus eam Prouinciam ſuſciperet, vt hoc variarum Relectionum argumentum proſequeretur, alias permultas elaborans: exiſtimarem enim ex eo labore Theologicam facultatem multum ornamenti ſuſcepturam. Vnde iudico dignas eſſe, vt in lucem prodeant ad publicam vtilitatem. Ex Regali Conuentu Sancti Petri in Monte Aureo, die 15. Octobris.

Fr. Ioannes de Carthagena Lector Generalis, &c.

ILLVSTRISSIMO.
AC REVERENDISS. D. D.
S. R. E. Cardinali Amplissimo,
PAVLO SFONDRATO
TITVLI S. CAECILIAE,
Domino suo Colendissimo.

F. PETRVSPAVLVS PHILIPPIVS
Sacræ Theologiæ, & Ordinis Prædicatorum, Professor. S. P. D.

AVDACTER sanè fecisse mihi videor, quòd elucubratiunculam hanc perbreuem Illustriss. Dominationi tuæ dedicare ausus sim Illustrissime, & Colendiss. Princeps; cui splendidissima, Augustissimaquè debentur. Etenim, vt Natalium Illustrissimorum splendorem, & summum in Ecclesia Dei post Iesu Christi Domini Nostri Vicarium in terra locum præteream, quæ tamen maxima sunt;

quis putet vllo obsequij, laudationisuè genere tantæ huic humilitati, charitati, pietati, quæ operibus, opibusquè liberalissimè effundendis in Dei Sanctos, in Sanctas Religiones, in Christi pauperes, Orphanos, Ecclesiarum necessitates, ornamenta demonstras, tantillam ex parte posse se respondere? Nam quòd Sanctæ Cæciliæ Illustrissimæ Martyris, ac Virginis memoriam, & Ecclesiam mortuis quidem, sed preciosissimis lapidibus arte mirifica exornaueris, & quasi tot astris die, nocteque splendentibus perpetuò illustraueris, alijs verò longè preciosioribus, viuis scilicet lapidibus Religiosa obseruantia dolatis, & conquadratis, & conserues, & in dies amplificare contendas ad illustrius semper Vitæ Regularis augmentum Virgines desponsatas, consecratasquè Christo prouocans, ac suauissimè impellens, sicut aduentantium ex Orbe toto fidelium pectora in Dei, Sanctorumquè cultum accendit: ita etiam in Tuæ Pietatis laudationem per omnes Regiones, tamquàm bonum Christi odorem diffundendam inflammat, & ad reuerentiam, & obsequium, (cui credant non posse satisfieri) omnium corda rapit, & cogit. Cæterum Diuinæ Celsitu-

ſitudinis id proprium eſt; quaſcumquè non dicam referre, ſed agere gratias concupiſcas, eas omnes amplitudine Maieſtatis, beneficiorum multitudine, & immenſitate ſuperare: Et tamen exiſtimare ſatis eſſe factum ſibi quantulacumquè demonſtratione gratitudinis; imò ob hanc ipſam, quamuis eius præſtitam dono, ei ſe debitorem profiteri, qui etiam totum, quod eſt, & quod agit, ab eius largitione recepit. Ecquid enim duo Viduæ illius minuta gratis adeò oculis reſpexit, tantoquè laudauit Encomio, niſi vt oſtenderet, quàm amanti animo etiam minima quæquè, & deſpicatiſſimis quibuſquè obuia ſuſcipiat, cum paratiſſimo ad ampliora, ſi per inopiam ſuam liceret, animo offeruntur? Et ego quidem pauperculam iſtam pro mea tenuitate imitari, & volui, & non communibus illis tantum, ſed alijs quoquè priuatis, grauibuſquè rationibus adductus ſum. Tam grandem enim oſtenſionem amoris, & beneficentiæ Illuſtriſſimæ Dominationis Tuæ experti ſumus omnes Patres totis iam decem annis in Eccleſia Sanctæ Cæciliæ expenſis tuis aliti, excepti domicilio, fauoribus, operibuſquè in omni noſtra neceſſitate adiuti,

quis putet vllo obsequij, laudationisuè genere tanta huic humilitati, charitati, pietati, quæ operibus, opibusquè liberalissimè effundendis in Dei Sanctos, in Sanctas Religiones, in Christi pauperes, Orphanos, Ecclesiarum necessitates, ornamenta demonstras, tantillam ex parte posse se respondere? Nam quòd Sanctæ Cæciliæ Illustrissimæ Martyris, ac Virginis memoriam, & Ecclesiam mortuis quidem, sed preciosissimis lapidibus arte mirifica exornaueris, & quasi tot astris die, noctequè splendentibus perpetuò illustraueris, alijs verò longè preciosioribus, viuis scilicet lapidibus Religiosa obseruantia dolatis, & conquadratis, & conserues, & in dies amplificare contendas ad illustrius semper Vitæ Regularis augmentum Virgines desponsatas, consecratasquè Christo prouocans, ac suauissimè impellens, sicut aduentantium ex Orbe toto fidelium pectora in Dei, Sanctorumquè cultum accendit: ita etiam in Tuæ Pietatis laudationem per omnes Regiones, tamquàm bonum Christi odorem diffundendam inflammat, & ad reuerentiam, & obsequium, (cui credant non posse satisfieri) omnium corda rapit, & cogit. Cæterum Diuinæ Cel-

situ-

situdinis id proprium est; quascumquè non dicam referre, sed agere gratias concupiscas, eas omnes amplitudine Maiestatis, beneficiorum multitudine, & immensitate superare: Et tamen existimare satis esse factum sibi quantulacumquè demonstratione gratitudinis; imò ob hanc ipsam, quamuis eius præstitam dono, ei se debitorem profiteri, qui ètiam totum, quod est, & quod agit, ab eius largitione recepit. Ecquid enim duo Viduæ illius minuta gratis adeò oculis respexit, tantoquè laudauit Encomio, nisi vt ostenderet, quàm amanti animo etiam minima quæquè, & despicatissimis quibusquè obuia suscipiat, cum paratissimo ad ampliora, si per inopiam suam liceret, animo offeruntur? Et ego quidem pauperculam istam pro mea tenuitate imitari, & volui, & non communibus illis tantum, sed alijs quoquè priuatis, grauibusquè rationibus adductus sum. Tam grandem enim ostensionem amoris, & beneficentiæ Illustrissimæ Dominationis Tuæ experti sumus omnes Patres totis iam decem annis in Ecclesia Sanctæ Cæciliæ expensis tuis aliti, excepti domicilio, fauoribus, operibusquè in omni nostra necessitate adiuti,

 exor-

exornatique tandem, atque muniti priuilegio, quod à Sanctissimo Domino Domino Nostro Paulo Papa Quinto, pro ineunda, & perpetuò conseruanda Regularis Vitæ reformatione obtinuisti. (Beneficium profectò in totam Religionem summum, continuum, perpetuò duraturum, & horis singulis denuò repetitum, atque collatum) vt nihil in nobis, esse, aut à nobis proficisci possit, quod tibi dicatum esse non debeat. Est autem mihi etiam propria huius opusculi tibi dedicandi ratio; quòd ad animarum tibi in Domino prædilectarum curam non mediocrem me elegeris hac senili ætate mea; vt scilicet quadam suauissima vi cogar animi mei amorem totum ab hoc sæculo prorsus abstrahere, & in Deum, quoad eo adiuuante possim, transformare; dum singulis penè horis in hoc idem conandum est etiam eas amantes Christi sponsas attrahere. Non vereor autem Illustrissimam Dom. Tuam æmulaturam summa ope id, quod Diuinum est: Et pusillum munus cum maxima animi promptitudine oblatum, ad Dei instar, pro maximo reputaturam. Quamuis in parua etiam mole quantitatis virtutis plurimum non rarò contineri possit, ac soleat.

Ne-

Neque verò Illustrissima Dominatio Tua fortè censebit esse quid minimum, Doctrinam Sancti Thomæ Nostri Doctoris Angelici in grauissimis, vtilissimisquè rebus; (quo actu charitatis (inquam) charitas augeatur, & quàm incomparabiliter, superemineat naturalibus quibusquè creaturis Diuinæ Gratiæ, Charitatis, Beatitatisquè Maiestas) ita defendere, vt contra quam summis contentionibus præstantissimi ingenio, & eruditione viri decertare ausi sunt, ea nouo modo aperiatur, & Sacræ Scripturæ, & Sanctis Concilijs, & Sacrosanctæ Fidei, & Rationi mirificè consentire: cui vnico fini potissimùm literarius noster hic labor desudauit. Quem si Diuino munere assecuti fuerimus; ingentes ei gratias habebimus semper, & agemus: Sin autem supra nostras vires opus tam graue deprehensum fuerit; in magnis (iuxta prouerbium) saltem voluisse gaudebimus, & ab Illustrissima Dominatione Tua, omnibusquè alijs de nostro ardentissimo in Sanctum Doctorem animo veniam deprecabimur. Interim à Deo Optimo Maximo Incolumitatem Illustrissimæ Dominationi Tuæ, multorumquè annorum felicitatem precabor vnà cum

omnibus Patribus meis, in Sancta Cæcilia præsertim degentibus, Seruis in Domino ei addictissimis. Romæ, Apud Ecclesiam Sanctæ Cæciliæ Transtyberim. In festo Sanctarum vndecim millium Virginum, Sanctæ Vrsulæ, & Sociarum. XII. Kalendas Nouembris. M. DC. XIV.

IN

INDEX
RERVM INSIGNIORVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A

Ange-

A ſeip-

E

F

G

Gra.

H

I

Qua-

L

M

gnitate

N

O

P

Videns

FINIS.

ERRATA

ERRATA.

Pro		Dicito
Vt simpliciter.	pag. 15	*simpliciter.*
p. p. art.	16	*p. p. quest. 50. art. 1.*
quas tot.	17	*quasi tot.*
considerantur, ac sunt.	18	*considerantur, vt sunt.*
post naturaliter.	25	*potest naturaliter.*
habuisse.	32	*habiturum fuisse.*
Consequitur.	34	*consequenter.*
Angeli subst.	34	*Angelorum subst.*
neque censendum.	ibid.	*neque enim censendum.*
quam illis.	ibid.	*quam in illis.*
consecutiua.	46	*consequentia.*
hac ante.	68	*hac autem.*
quonam.	69	*quotnam.*
quasi non reddatur.	76	*quasi reddatur.*
anopertis.	77	*operantis.*
meruat.	80	*meruerat.*
ergò actus inten-	87	*ergò non actui.*
solertia nostra.	88	*solertia vestra.*
modo non pee te.	89	*modo per se.*
ad 8. 3.	112	*art. 8. ad 3.*
p. 17. p.	113	*p. sent. 17. 2. 3.*
at si quando.	124	*at siquando.*
p. d. 17. q. 2. ad 2.	140	*p. d. 17. q. 2. 3. ad 2.*
p. d. 17. q. 2. 5.	143	*p. d. 17. q. 2. ar. 3. ad 5.*
& vt non.	222	*& non ex.*
ibitur in inf.	274	*& ibitur in infinitum?*
7. Metaph.	277	*12. Metaph.*
nam posita.	291	*positam.*
in materia.	296	*in natura.*
intellectu imperfectũ, &	303	*intellectu. Et*
In primis.	303	*In primo.*



Siquid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. *Philip. iij.*

A. R. P. M.
F. PETRIPAVLI
PHILIPPII

De Castronouo Caseronianæ, Ordinis Prædicatorum,

Sacræ Theologiæ in Academia Perusina Regentis, & Sanctissimæ Inquisitionis Consultoris.

RELECTIO PRIMA.

DE CAVSIS SPECIERVM Intellectus Angelici.

NOVVM mihi onus imposuistis Optimi Patres, vosque Theologiæ Sacræ candidati Studentes, cæterique Artium in hoc Sancti Dominici Nostro Conuentu Auditores: quod nulli vnquam ad hoc vsque tempus impositum fuisse auditum est: vt in fine anni de proposita à vobis questione relectionem lemnem ex scripto vobis traderemus: honesta quadam nulatione Salmantinos Patres nostros imitaturi. Cæ-um imbecillitatem nostram considerantes, detrectamus grauissimam hanc Prouinciam: vt ab ijs, qui no-; successuri sunt, initium sumeret talis tractatio; prætim cum elegeritis dubitationem, & perarduam proto, & à nostris sensibus abstractam valdè, & à no-ſsimis Authoribus acutisſimè, diffusisſimèque tracta-

tam: eamque electionis huius vestræ rationem reddideritis; quod rationes, quæ ad partes adducuntur, videantur non solui funditus à contradicentibus, neque ad electam à partibus rationes afferri, quæ sententiam conuincant. Quis enim ego sum, qui aliquid audeam, vel subtilius, vel manifestius afferre, vel me ingerere, intra adeò splendidissima ingenia, dum: vel inter se concertant, vel suas sententias explicare, ac dilucidare conantur? Sed tamen imperijs vestris non obtemperare, non possum, confisus de vestra tam grandi humanitate; de qua illud mihi polliceor; & desiderium meum pro opere suscepturos vos, tamquam Domini D. N. imitatores, & excusaturos paruitatem nostram in quibuscunque visi erimus defecisse. Quæstio autem proposita est.

VNDE nascantur in mentibus Angelorum species, quibus creaturas à se distinctas intelligunt.

Supponit hæc dubitatio tùm species intelligibiles asserendas esse, tùm in Angelis à rebus cognoscendis non produci (illud contra Durand. hoc verò contra Scot.) sed vel à solo Deo extrinseco, scilicet agente, à quo substantia eorum creatur, imprimi à principio creationis eorum, vel ab ipsa intelligentis Angeli substantia, tamquam accidens proprium, ac passionem fluere intellectum plenum speciebus intelligibilibus, quæ omnia à Deo creata, siue sint substantiæ, siue accidentia repræsentent. Ideòque dubitationis sensus, & quasi controuersiæ status in eo consistit. VTRA harum duarũ sententia vera sit: videlicet Species Angelici intellectus non ab eorum substantia fluunt, sed à Deo extrinseco agente vnà cum substantia eorum concreantur, & imprimuntur: vel Istæ species ab eorum substantia per modum passionis producuntur: Est autem dubitatio sanè perardua: in qua summo ingenio præditi Doctores validissimis rationibus concertantes dissident; Quamobrem, eorum opiniones, ac rationes primo loco afferemus; deinde seligemus, quam iudicamus probabiliorem. Postremò satisfacere conabimur argumentis.

Quoad

Quoad primum igitur, prima ſentētia eſt Ferrarien. ad ſecundum contra Gen. D. Thom. cap. 68. quam Ludouicus Molina ſequitur membro tertio, diſtinctionis 2. ad articulum quæſt. D. Thom. negatque (ab Angeli ſubſtantia has ſpecies fluere tamquam paſsionem) ad quam ſententiam: ſequentes rationes adducuntur.

I. Determinatum ad ſpeciem diſtinctam ab omnibus nequit eſſe proxima, vel prima ratio ſimilitudinis aliarum à ſe diſtinctarum ſpecificè rerum. Ergò Angeli ſubſtantia non poteſt eſſe principium ſpecierum ſuarum intelligibilium. Antecedens probatur, nam repugnat ſubſtantiam eſſe ſimilem ſpecifica ſimilitudine alteri rei à ſe diſtinctæ, ergò nequit eſſe propria ratio ſimilitudinis repræſentantis alias ſpecies ſubſtantiarum. Huius antecedentis modo aſſumpti ratio eſt; quia ſimilitudo ſuper identitate fundatur, & conſequenter ſpecifica ſimilitudo ſuper identitate ſpecifica (ex vi proportionis) quam inter duas ſpecie diſtinctas ſubſtantias eſſe apertiſsimè ex terminis implicat: Conſequentiæ ratio eſt; Quia ſpecies intelligibiles ſupponuntur eſſe ſimilitudines rerum cognoſcendarum ſpecificæ, & conſequenter non poſſunt produci, niſi à re hoc modo ſimili, aut ſaltem eius rei ſimilitudinem ſpecificam continente. Ex quibus etiam primi entimematis conſequentia probata eſt.

II. Angelus in eſſe entitatiuo non continet alias ſpecies entis, ergò neque in eſſe intelligibili, cum eſſe intelligibile conſequatur entitatiuum, tamquam eius proprietas, & proinde eius amplitudinem non excedat. At ſi ſpecies ab Angelo fluerent, contineret in eſſe intelligibili alias ſpecies entis; nam hæ ſpecies ſunt res ipſæ repreſentatæ in eſſe intelligibili: ergò non fluunt ab eſſentia Angeli.

III. Et eſt explicatio præcedentis: Eſſe intelligibile eſt paſsio conſequens entitatem, vt entitas eſt: ergò, ſi quid continetur ſecundum eſſe intelligibile, continetur etiam ſecundum eſſe entitatiuum, & quod ſecundum entitatem non continetur, neque etiam ſecundum eſſe intelligibile: at Gabriel (verbi gratia) non continet

alias species rerum secundum entitatem, ergo, &c.

IV. Istæ species per te ab Angeli essentia, fluunt: ergò in ipsa eius substantia virtualiter continentur, quia semper effectus præhabetur virtualiter: in causa ergò substantia Gabrielis virtualiter totum vniuersum secundum esse intelligibile continet; quod videtur falsum. Nam proprium Dei est continere totum vniuersum. Consequentiæ ratio ex dictis est. Nam hæ species sunt res intellectæ secundum esse intelligibile.

V. Esto Angeli inferiores à Gabriele, verbi gratia, continerentur secundum esse intelligibile; nulla tamen est apparentia, quòd superiores se secundum esse intelligibile contineat, sicut neque secundum entitatem: ergò, saltem species repræsentatiuæ superiorum Angelorum non fluunt ab inferiorum Angelorum essentijs. Et tunc infertur. Ergo neque repræsentatiuæ inferiorum species fluunt à substantijs superiorum Angelorum, quia scilicet, neque inferiorum substantiæ secundum esse entitatiuum continentur à superiorum Angelorum substantia.

VI. Supponatur Deum non hos Cœlos, & elementa produxisse, sed alios: quod facere absque dubio potuisset, Et tunc est Argumentum. Aut Gabriel habebit species repræsentantes hos Cœlos, & elementa modò creata, vel non habet. Si negatur, infero: Ergo species istarum rerum repræsentatiuæ ab eius substantia non fluunt; quod est intentum. Ratio consequentiæ, primâ est: quia passio necessariò, semperque consequeretur. Secũda est. Nam passiones substantiæ determinatæ sunt, quoad numerum, ac speciem; quod data responsio negat, dum non harum rerum, sed aliarum species asserit habiturum fuisse. Si affirmatur easdem species habendas fuisse, Contra. Angelo non debentur species, nisi rerum, quibus vniuersum constituitur, vt sæpè Theologi affirmant, & præsertim Diuus Thomas. At hoc Cœlum, & elementa data Hypostesi non constituunt vniuersum, ergo, &c.

VII. Supponamus modo Deum velle creare alias quas-

quaſdam omninò diuerſas rerum ſpecies, aut certè Mundum alium: quod non eſſe ex terminis impoſsibile conſtat, & arguo quærens, an Gabriel habebit ſpecies rerum, quæ de nouo creantur. Si negas, infero: ergo ſpecies, quibus poſt nouarum rerum creationem eas cognoſcit, non erunt paſsiones. Et pari ratione, nec illæ, quas prius habuit. Ratio. Quia ante creationem harum nouarum rerum Angelus earum ſpecies non habebat, quam tamen habet poſt creationem, vt eas cognoſcere poſsit: Quod verò aliquando ſic, aliquando non (vt vtar verbis Ariſtot.) paſsio eſſe non poteſt. Si verò affirmes, Contra. Primo. Ergo Angelo non debentur ſolùm ſpecies repræſentantes conſtituentia Mundum actu; contra commune dictum. Secundò. Ergo tot aſſerendæ erunt in Gabriele ſpecies rerum, quot poſſunt res à Deo creari, cum ſit par ratio de omnibus. Et ſi dixeris eſſe certum numerum; Primò, reddenda ratio eſt determinationis, quam neſcio quis facilè diuinabit; Et ſecundò nihilominus quæro. Si ad illum numerum noua ſpecies adhuc ſuperadderetur creaturæ, habebit ne Angelus ſpeciem repræſentantem illam? Et tunc idem erit argumentum.

Confirmatur nam Diuus Thomas prima parte, quæſt. 6. art. 2. ad quartum habet, quòd ſi Deus voluiſſet aliquam aliam creaturam prodocere, Angelo quoque aliam ſpeciem impreſsiſſet: neque recurrit ad determinationem numeri.

VIII. Ex hac auctoritate, ſic arguitur. Perfectio procedens à ſubiecto tamquam paſsio, procedit per modum naturæ, & conſequenter determinata ad certum quid ſecundum ſpeciem, numerum, magnitudinem, & perfectionem; at hæ ſpecies in intellectu Angeli non hoc modo determinatæ procedunt, ergo, &c.

Maior propoſitio nota eſt euidenter intelligentibus, quid ſit procedere per modum paſsionis, & naturæ. Minorem probat auctoritas Sancti Doctoris allata: quæ determinationem docet eſſe ex extrinſeci agentis libero ſtatuto, producendi hunc, & tantum vniuerſum.

Confirmatur nam ex eadem auctoritate habetur Deū impressurum species pauciores, si pauciores naturas condere decreuisset, sicuti plures impressisset, si plures fuisset conditurus.

IX. Certò constat non posse in Angelo tot esse actu huiusmodi species, quot à Deo naturæ creari possent. Maxima enim inconuenientia sequerentur. Primum: esse in quolibet Angelo actu species infinitas, quia infinitas naturas Deus creare potest. Secundum: substantiam Gabrielis infinitam esse virtute, vtpotè infinitarum passionum causa. Tertium: subiecti passiones nullo numero determinari. Constat etiam certo non fluere in Angelo ex eius substantia successiuè tot species, quot naturas Deus creare potest. Sequerentur enim inconuenientia non minora. Primum: has species esse passiones, (id enim supponitur ex opinione contraria,) & non esse tamen passiones, quia non simul cum subiecto producuntur: vbi patet implicari contradictionem. Secundum: substantiam Angeli virtute infinitam esse; siquidem actu habet vim productiuam (licet successiuè) infinitarum passionum. Sit igitur argumentum. Nequit Gabriel, verbi gratia, siue Categorematicè, siue Sincategorematicè, tot species producere, quot rerum species Deus creare potest. Ergo oportet esse aliquid limitatiuum ad harum, ac tot specierum productionem, cum huius limitationis aliquam opus sit esse causam. Tunc vltra. Ergò hæ species non possunt esse substantiæ passiones. Ratio huius consequentiæ est. Nam si quid essent earum limitatiuum, substantia Angeli foret, quod esse falsum, inde probatur, quia cuiuslibet Angeli substantia, vt substantia est, etiam specificè considerata, ad omnem aliam etiam posibilem substantiam sibi condistinctam specie indifferenter se habet.

X. Videtur incredibile, ne dum improbabile, tantam inesse vim substantiæ illius, quanta producere posit, vel tot numero species, vel tales ex se ipsa. Iuxta oppositam enim sententiam in vltimo Angelo videntur esse innumerabiles; quia tot numero, quot numerantur

spe-

species spiritualis, corporalisque substantiæ. In primo autem Angelo numero paucissimæ fortè sunt, sed illæ tamen immensæ ferè virtute, cum per illas paucas totum vniuersum æquè, ac vltimus ille Angelus, immò etiam melius intelligat.

Confirmatur nam hæ species non solum specificas rationes naturarum, sed & passiones inde necessariò consequentes, & indiuidua singula: immo omnia accidentia quantumuis à causa contingenti, naturali, vel libera nascentia; immò & cordis cogitationes representant: Cum per eas horum omnium actu existentium notitiam habeant, etiam in singulari, & vt ad inuicem differunt, Neque verò solum eorum, quæ modò fiunt, sed etiam eorum, quæ tota æternitate fient, etsi ad supernaturalem gratiæ ordinem pertineant. Hæc profectò ex Angeli substantia oriri posse omninò videtur incredibile. Et hoc argumentum videtur esse valdè notandum (ne dicam palmare.)

XI. Ex opposita sententia sequitur Gabrielem intueri simul omnia existentia. Ratio sequelæ est. Nam videns essentiam suam omnia propria accidentia intuetur: ergo eodem actu se, suasque species, (quæ vt passiones in eo effluunt) videbit: ergo etiam intuebitur omnia, quæ per easdem representantur; Videns enim rei similitudinem, rem videt, cuius similitudo est: hæ verò species similidines sunt omnia creata representantes, vt dictum est.

XII Inter supremum Angelum, infimamque formã corpoream, Deus in singulis gradibus, & generibus, nouas semper species in infinitum creare potest. Vel ergo species representantes omnia fluunt ab Angeli substãtia, vel non. Si negas; habetur intentum, nulla enim fluet, cum æqua ratio sit omnium: Alioquin imparitatis ratio reddatur. Si affirmas, ergo fluunt ab ea species infinitæ. Præsertim, quia in perpetuis (qualis est coniunctio proprietatis cum subiecto,) esse, & posse non differant.

XIII. Arguitur autem ad Thomistas ab auctoritate

Sancti Thomæ negatiuè tamen. Mirum est enim, si Doctor Sanctus censuisset has species esse passiones Angeli, id nunquam explicuisse; Solum verò dixisse, esse accidentia connatural.a, & ad summum esse innatas, vt patet prima parte, quæst. 53. art. 2. quæst. 56. artic. 2. Tum verò 2. dist. 3. quæst. 2. art. 1. Vbi de his potissimum loquitur. Tum verò maximè quæst. de veritate 8. art. 9. vbi locus erat aptissimus.

Posset afferri argumentum ex Ferrar. 2. c. g. c.98. Sed cum videatur in idem redire cum prima ratione, in gratiam breuitatis illud prætermittimus.

His argnmentis probabilissima videtur reddi hęc opinio prima. Quæ pro declaranda harum specierum connaturalitate absque fluxu à substantia Angeli, distinguit eam, sicut & naturalitatem in duo genera. Quorum primum dicitur à principio actiuo, quomodo lux Soli, igni calor connaturalis est: Secundum à passiuo principio, quomodo lux dicitur aeri connaturalis, & Cœlo circulatio: quæ distinctio, & in Aristotelis, & in Sancti Thomæ doctrina patentissima est, quibus circulatio, secundo solum modo Cœlo naturalis est; & ita tamen connaturalis, vt tempore Iosue non fuisse motum, miraculo tribuatur. Et in fine temporis, fixio Cœli non reputetur naturalis quies, sed immobilitas præter naturam Cœli. Hoc eodem modo corpori vltima dispositione per vim generatiuam hominis disposito conuenit actuari anima intellectiua · quæ (licet ab extrinseco agente Deo infundatur) non potest tamen citrà miraculum non infundi. Hoc eodem modo animæ nostræ à corpore separatæ infusæ species naturaliter conueniunt, quamuis à solo extrinseco agente recipiantur. Et ista satis de prima sententia.

Secunda sententia est Ioan. Capreol. 2. dist. 3. quæst. 1. ad primum, & octauum, contra tertiam conclusionem, & Thomæ Caietani primà parte, quæst. 57. art. 2. & latius paulo 1. 2. quæst. 51. art. 1. & quæst. 55. art. 2. dub. 2. & Gregor. Valentin. ad quæst. 1. partis. D. Thom. disput. 4. quæst. 6. puncto primo, affirmant hi Docto-

Doctores species istas ab Angeli substantia per modum passionis effluere: quæ sententia, primo auctoritatibus D. Thom. deinde rationibus probatur.

Prima auctoritas est prima parte, quæst. 54. artic. 4. ad primum, vbi dicitur in Angelo scientiam non generari, sed naturaliter adesse; at si alia actione species infundantur (ait Bannes) alia producatur substantia; scientia non naturaliter adest. Id verò contingere censendum est, si passiones non sunt: vt de speciebus Adæ infusis, licet illi cœquis patet. Nam sicut Adæ species, ac scientia rerum naturalium sunt infusæ per accidens ab extrinseco, scilicet, agente liberè statuente illum producere primum principium humanæ generationis, & consequenter vniuersalē gubernatorem, Doctoremque humani generis: ita, & Angelo species ab extrinseco agente libero per accidens infusæ dicentur, statuente non vnum, sed plures Angelos creare, corporeamque naturam: ad quam intelligendam vnà cum Angelis in vnam quasi rēpublicam sub Deo naturæ, & gratiæ auctore, constitutis necessariæ species erant.

Secunda auctoritas est prima parte, quæst. 55. art. 2. ad primum, & art. 3. ad primum, vbi affirmatur, & approbatur dictum D. Augustini, videlicet ordine naturæ prius impressas esse in mente Angeli vniuersales rationes rerum, quàm rebus ipsis; puta, rationem hominis, vel Cœli in intellectu Angeli, quàm in homine, vel Cęlo: quod dictū verificari nō posset, nisi species istæ passiones sint ab Angeli substantia fluentes. Id verò acutè satis visus est sibi Bannes deducere. Prius (ait) naturæ ordine conuenit illud, quod conuenit ex proprijs rei principijs quàm illud, quod conuenit ab extrinseco, & per accidens; sed rationes rerum, conueniunt rebus, quarum sunt rationes, ex earum principijs proprijs, Angelicis autem mentibus iuxta oppositam sententiam, àb extrinseco tantum, & per alium: ergò hæ rationes non prius ordine naturæ conueniunt mentibus Angelorum, quàm rebus contra Diui Augustini dictum à Sancto Doctore approbatum.

Tertia

Tertia auctoritas ex 2. sent. dist. 3. quæst. 2. artic. 3. ad primum, vbi in forma sic habet Sanctus Doctor, sed in Angelo ex ipso lumine determinantur species, quibus fit propria cognitio rerum, sine aliquo alio accepto, & ideò cum lumen illud sit similitudo totius rei, inquantum est exemplariter à Deo traductum, per huiusmodi species propria singularium cognitio haberi potest. Ex qua haberi expresse videtur species intellectus Angelici ex eiusdem intellectus lumine nasci. Et huic auctoritati valdè Capreol. innititur.

Quarta auctoritas est prima secundæ, quæst. 51. artic. primo: vbi Diuus Thomas habet esse in Angelis habitus naturales, & secundùm naturam indiuidui, & secundum naturam speciei etiam totaliter: Immò exprimit in eis hoc reperiri, quia species habent inditas naturaliter, quod humanæ naturæ non conuenit; ergò hæ species à substantia fluunt.

Ratio consequentiæ est, nam absurdissimè diceretur totaliter à natura esse id, quod fit ab extrinseco penitus agente. Patet hoc in anima, & Cœlo, in quibus ridiculum esset dicere, vel species, vel circulationem esse toliter ab eorum natura; sicut & animam totaliter à natura vniri corpori.

Quinta auctoritas est, quia peruulgatissimum est in doctrina Sancti Doctoris, species istas Angelo conuenire ratione suæ actualitatis in genere substantiæ intellectiuæ, sicut animæ humanæ earum carentia conuenit, eò quòd in tali genere sit pura potentia. Ergò non in ratione pprincipij passiui Angelis hæ species conueniunt. Sequela patet. Ratio enim actualitatis rationi principij passiui repugnat. Confirmatur. Nam esse non solum ipsummet, sed etiam alia, præsertim verò vniuersa, perfectionem dicit, ac certè maximam, ergò sicut esse omnia alia in potentia passiua, dicit quidem perfectionem, sed fundatam super passiuo principio; ita esse eadem in actu fundatur super actuali principio, & perfectione.

Sexta auctoritas est. Secundo senten. dist. 3. quæst. 2. artic. 4. ad quartum, vbi sic habetur in forma. Lumen intel-

tellectus agentis non sufficit in nobis ad distinctam co-
nitionem habendam, nisi secundum species acceptas,
uas informat, vt lux colores: sed lumen intellectuale
ı Angelis sufficit ad distinctam cognitionem habēdam;
uia hoc ipsum lumen est, ex quo formæ intellectuales
nultiplicantur, quibus intelligentiæ plenæ dicuntur. Er-
go hoc lumen est harum specierum effectiuum. Probatur
consequentia. Primo, nam receptiuum, vt receptiuum,
implicat esse id, quod multiplicat formas. Secundo, quia
multiplicare, est efficere: ergò multiplicans efficit; quod
non conuenit receptiuo. Tertio, Intellectus recipiens
simplex est, ergò recipiendo non habet vim, ac rationē
multiplicandi species.

Neque verò in intellectu Angeli fingi potest multitu-
do potentialitatum ad species diuersas, quales ex Arist.
12. Met. probauit Caietanus multas potentias ad species
diuersas prædicamentales in subiecto, prima parte,
quæst. 54. artic. 2. Tum primo quia hæ species intelligi-
biles non connumerantur in Allostogia actuum, sed in-
stitutæ sunt, tamquam intentiones ad repræsentandam
alia. Tum secundo, & fortius, quia coęuæ, & conge-
neæ sunt hæ species cum subiecto etiam in sententia
Ferrar. Ad neutrum autem tale requiri potentialitates
huiusmodi Caietanus in eodem articulo declarauit. Sed
& esto ponendæ essent, vt idem Caietanus prima secun-
dæ, quæst. 54. art. 4. videtur asserere in homine, non
tamen possent ad coordinationem principij passiui redu-
ci; cuius non esse species multiplicare probatum est. Ex
his auctoritatibus hæc sententia in schola Diui Thomæ
redditur valdè probabilis. Sed accedamus iam ad ra-
tiones.

Prima igitur ratio est. Angelus perfectioris conditio-
nis est præ homine in ratione actualitatis substantialiter,
seu, quoad gradum ipsum substantialis intellectualitatis,
ergò etiam secundum operationem propriam. At homo
(licet potentialis secundum substantiam animæ intelle-
ctualis) habet actiuitatem ad species sibi ad operationē
suam exercendam necessarias producendas, easque
reci-

recipit à se ipsa, & si media actione ex phantasmatibus ergò, & Angelus eas in seipso producit non intermedia tamen actione.

Vbi notandum est: Quòd intermedia actione noua anima rationalis ex phantasmatibus in seipsa species eliciat, nascitur ex illa differentia potentialitatis, qua differt ab Angelo in ordine substantiarum intellectualium; & consequenter ex imperfectione eius est, & quid imperfectum. Ergò excluso eo, quod est imperfectionis oppositæ perfectioni Angelicæ retineri in Angelo debet id, quod est perfectionis, propriumq; intellectualitati actuali, idest, productio specierum absque actione noua à phantasmatibus.

Secunda ratio, qua, & præcedens confirmatur. Si Deus creet Angelum secundum illud præcipuè, quod eius naturam constituit, ex eaque fluit; habebit ne potentiam proximam ad alia à se cognoscenda, an non? Ex affirmatione sequitur habere eum has species, quibus potentia proxima ad intelligendum constituitur, & consequenter intentum earum effluxum à substantia. Ex negatione autem sequitur peioris conditionis esse substantiam Angelicam, quàm homines; siquidem nec species haberet, nec eas acquirere sibi posset.

Tertia ratio. Ex duobus diaphanis (ait Bannes) dispositum melius illud est, quod habet à se ipso lucem, quàm illud, quod accipit eam ab alio: ergò ex duabus intellectiuis substātijs illa disponitur melius, quæ necessaria ad intelligendum habet ex seipsa: sed homo acquirit sibi necessaria ad intelligendum. Ergò si Angelus à se ipso has species non habet, minus benè quam homo dispositus erit. Et

Certè melius quo ad moueri disposita sunt animalia, quæ seipsa mouent, quàm Cœli, si sunt inanimes, qui mouentur ab alio.

Vbi recolenda ratio est, qua Theologi tribuunt Christo meritum gloriæ sui proprij corporis, quia scilicet altius est habere aliquid à seipso, quàm ab alio: qui autem meretur, aliquo modo sibi causa est eius, quod meretur.

Ergò

Ergò proportionatiter Angelo trlbuēdus est fluxus specierum suarum.

Quarta ratio. Ex opposita sententia sequitur; si à Deo vnicus Angelus creatus esset, prætereaque nihil, nullam ei speciem imprimendam fuisse. Nam etiam in hac opinione solæ species debentur Angelo rerum existentium in actu, vel aliquando actu futurarum. Absurditatē consequentis, quam alij non probant, ego hac ratione confirmauerim. Substantiæ intellectiuæ diffinitio est, esse ipsam, & omnia alia, quæ sub obiecto suo naturali continentur; ergò oportet eam habere principia, quibus fit omnia alia huiusmodi à se distincta. Ergò sicut homo, qui substantia intellectiua est in pura potentia, necessario habet principia, quibus potest omnia à seipso fieri, intellectum scilicet agentem, ac possibilem, sensusque materiam subministrantes; ita Angelus substantia intellectiua actualis habet omnia principia eam facientia omnia alia in actu ex seipsa. Ergò habet species ex seipsa.

Quinta ratio. Intellectus Angeli non est effectiuè completus à substantia sua fundente has species, vt tu vis; sed eas passiuè tantum recipit à Deo: ergò neque completus est, neque compleri potest. Sequela probatur; nam potentia passiua Angeli naturalis non est tantum ad illas naturarum species, quas modo habet, sed etiam ad omnes, quas Deus creare potest; vt alibi probatur; talem autem potentiam compleri non posse, ideò patet, quia ad infinitum est, quod terminum non habet.

Confirmatur. Nam si Deus produceret in vniuerso hoc Angelum nouum, & in Angelorum mentibus nouā speciem representatiuam illius (vt hi concedunt) non reciperetur species illa per obedientialē potentiam, sed per naturalem verè passiuam, eumque Angelum naturaliter cognoscerent: Cum isti quoque concedant rerum creatarum species ex principij passiui ratione illis connaturales, igitur intellectus Angeli etiam modo licet nullus creandus fuisset spiritus, vel corpus de nouo, est in potentia naturali ad huiusmodi speciem. Alioquin affe-

afferant rationem, quare potentia ista non sit naturalis. Ergò pari ratione ad omnes à Deo creabiles naturas, earumque species, ac proinde infinitas, erit naturalis: vnde sequitur non solum non esse completam intellectus Angelici potentiam, sed etiam inexplebilem esse, quod prius dicebamus.

ET HIS quidem satis, quod primo loco promisimus in hac quæstione præstitimus.

AD SECVNDVM præstandum, seligendam scilicet ex duabus propositis opinionem, nonnulla prænotabimus; quæ etiam ad aliarum difficultatum dilucidationem conducent, & huic quæstioni tam abstrusæ lucem non mediocrem (ni fallor) afferent. Quoniam verò in omni opinione hæ species intellectus Angelici ab ideis diuinis exemplatæ sunt, ex earumque consideratione sequenti speramus rem illustrandam fore; ideò de eis sequentia præmittemus.

2. Primò igitur notandum est, ideas diuinas dupliciter considerari posse, primò vt rerum rationes præcisè: quo modo consideratis plura conueniunt: Primum; est pertinere ad scientiam Dei, quam vocant intelligentiæ simplicis; ac naturaliter, necessarioque repræsentare Deo res omnes ab eo creabiles, sicut ei necessariò conuenit non se solum, sed alia omnia in se cognoscere. Secundum est; repræsentare res ab eo distinctas tãtum, vt possibiles, non vt aliquo tempore futuras; hoc enim modo creaturas nosse non de necessitate Deo conuenit; cùm futura existentia rerum ex diuinæ voluntatis libertate omninò dependeat. Tertium; esse infinitas, sicut necessariò Deus cognoscit totum possibile ens, quod ad infinita extenditur. Quartum est; aptas esse infinitis modis variari secundum vniuersalitatem, & particularitatem non inuentam quidem in eis ex parte rei, sed ex parte nostri modi cognoscendi, habentis tamen in ipsa re fundamentum, quatenus scilicet possumus imaginari intellectui diuino repręsentari obiectiuè ideam vniuersaliorem, dum plura, vel pauciora rerum genera, vel species, per vnam, quàm per aliam ideam à Deo cognosci,

ſci, ac videri conſideramus. Dixi autem non ex parte rei hanc variationem eſſe, quia tales ideæ non ſunt inter ſe ſecundum rem diſtinctæ, ſed ſecundum relationē rationis, quia videlicet conſiderantur, vti ſpecies obiectę diuinæ mēti ſub huiuſmodi relationibus rōnis quaſi appropriatæ ad talia rerū genera, & creaturas repręſentandas.

Quare poſſumus dicere has omnes ideas eſſe vnicam, ac ſimpliciſſimam Dei eſſentiam, quando cognoſcitur, vt ratio infinitorum creabilium ab eis imitabilis, non ſolum vnico modo ſed innumerabilibus. Poſſunt ſecundo modo conſiderari, vt ideæ formaliter. Et tunc ad præcedentem conſiderationem addūt rationem cauſæ efficientis, & exemplaris eorum, quæ aliquo tempore erunt, & eo modo, quo ernnt, & conſequenter addunt determinationem voluntatis diuinæ imperantis, aut permittentis res exiſtere ſub aliqua differentia temporis, & propterea ad iſta ſolum ſeſe extendunt: dicunturque pertinere ad ſcientiam viſionis hanc determinationem ſupponentis, ſine qua nihil habere poteſt rationem exiſtentis, (quocirca ſcientia media à quibuſdam voluntariè adinuenta omninò eſt improbabilis.) Itemque non repręſentare naturaliter, vt ſimpliciter, ſed ſolum diuinę libertatis determinatione ſuppoſita. Quamobrem patet his ideis non repræſentari per ſe primo genus aliquod, ſi genus conſideretur, vt aliquid formaliter abſtractum, cum in tali abſtractione nequeat exiſtere, quia præter ſpecies genera exiſtere non poſſunt. Eſto repręſentari poſſet, per ſe primo ſi genus conſideretur quaſi totum quoddam virtuale in ſuis ſpeciebus diſtinctum, in eiſque ſubſiſtens, quomodo exiſtere, ac propterea ideis valet repręſentari. Similiter vt dicitur prima parte, quęſt. 15. art. 3. Accidentia ſubiecti propria, quia ſine eo reperiri non poſſunt, non habent in Deo diſtinctam à ſubiecti idea, ideam: quę autem ſuperaddita, & aduentitia ſunt, idea gaudent ſpeciali: Ex quo infero etiam has Angelici intellectus ſpecies habere in diuina mente ideam repręſentatiuam earum, vti quęlibet aliæ rerum ſpecies, ſiue illa idea ſit eadem, quę & Angeli eis

ſubiecti,

subiecti, si passiones sunt, siue diuersa, si superaddita sunt accidentia, iuxta variam opinantium sententiam, Et cum in Angelis quædam sint vniuersaliores, & quædam minus vniuersales; infertur etiam in Deo talem considerari posse vniuersalitatem.

Fundamentum huius variationis circa vniuersalitatẽ, & particularitatem idearum (quod est attentissimè considerandum) est infinita perfectio immensitatis diuinę essentiæ, quæ considerari potest non solum, vt virtualiter continens has illas, omnesque creatas, & creabiles naturas, vti fons essendi vniuersalissimus præhabens omnes quasi riuos entitatis possibilis: sed etiam, vt has ipsas creatas; suisque temporibus statis futuras naturas continens cum omnibus accidentibus earum, & quasi totum quoddã vniuersum innumerabilibus modis perfectioribus semper: prout considerari potest, quasi per ipsammet essentiam suam causa eorum nobiliori modo: quia vnitiori: vti perfectius, vniuersaliusque eorum exemplar. Quæ autem ex his possint inferri, alta quæso mente condantur.

Infero ex his Deum considerari posse tamquam artem quandam vniuersalissimam subsistentem continentem virtute innumeras artes; istas inquam ideas subsistentes, tot modis varias: non solum respectu innumerabilium rerum, quæ possunt fieri, sed etiam respectu earundem rerum factarum, quo ad modos, secundum quos exemplari eas, ac efficere potest, licet ex artibus illis innumeris his tantum Deus, quasi vti voluerit loco idearum, & exemplari: quibus accedente determinatione libera voluntatis res producerentur, quæ aliquo tempore futuræ essent.

Dixi verò has artes esse subsistentes, quia nihil in Deo potest considerari non subsistens.

His si addas artibus huiusmodi subsistentibus Deum posse producere extra se aliquos effectus sibi similes nõ solum quoad rationem agendi, sed etiam quoad modum subsistendi, vt dicitur prima parte, art. 1. intelliges Angelos esse artes quasdam tales subsistentes productas similes

miles essentiæ diuinæ, quatenus essentia diuina virtualiter sua immensitate continet perfectionem tantam, qua exemplar est totius vniuersitatis producendæ; vnumquè Angelum altero præstantiorem esse, quia vnus assimilatur diuinæ essentiæ, prout excellentiore modo intelligitur continere artem exemplantem nobiliori modo, ac repræsentantem eandem vniuersitatem rerum futurarum. Hanc doctrinam excipere poteris ex Caietano de ente, & essentia, quæst. 11. ex Alberto Magno ductam, sed ad aliud propositum, & confirmatam extrinseco signo corpore, scilicet quod mouent: quo velut instrumento hæc inferiora producunt, ceu artes particulares, & subalternatæ vniuersalissimæ arti, quæ Deus est. Vnde & D.Thomæ sententia: Cœli comparantur Angelis, vt instrumenta, quæ virtute motorum suorum vitam causant rerum viuentium, quæ ab agente non vniuoco ex patri materia nascuntur.

Ex quibus infero obiter: in Angelorum creatione Deū, quas tot Mundos creasse, ac tot vniuersitates rerum intelligibiles easdem omninò res continentes, quot Angelos creauit. Si quidem in eis singulis totius vniuersi rationes, ac intelligibiles species, licet diuersimodè iuxta diuersitatem opinionum circa harum specierum naturalem impressionem, de qua disputamus, impressit: quæ species totum vniuersum sunt in esse intelligibili. Vt hinc etiam appareat, quantum ab esse intelligibili excedatur ipsum esse proprium naturale rerum: dum vnica tantum secundum esse naturale rerum vniuersitas in esse intelligibili tam multis myriadum chiliadibus ab Angelorum numero vincatur.

Secūdò notādum est. Licet intellectus Angelici species, & Angeli substantia (cum illæ accidentia sint) & inter se realiter, specificequè distinguantur: non differunt tamen, nequè re, nequè specifica quasi ratione diuinæ ideæ ab essentia diuina, vel inter se; & multo minus essentia diuina, sub altioribus diuersis illis modis considerata, sub quibus vnitiori quasi modo causa, & exemplar totius vniuersitatis creatæ consideratur. Ratio distinctionis realis, ac

specificæ inter species vniusmet tantum Angeli, manifesta est. Cum enim essentialiter sint similitudines (intelligibiles tamen) rerum diuersarum, quibus Angelus (verbi gratia; infimus!) diuersa cognoscit & similitudo, vt similitudo, dependeat essentialiter ab eo obiecto, cuius est similitudo; oportet iuxta realem, ac specificam obiecti sui repræsentati distinctionem realiter, ac specificè distingui similitudinem repræsentantem. Si verò considerentur species superioris Angeli vniuersaliores, & comparentur Angeli inferioris speciebus particularioribus, patet similiter distinctio specifica ex eo;quòd illæ quidem similitudines sunt plurium obiectorum quàm istæ,quæ proptetrea illis comparatæ dicuntur particulares.Ratio verò cur ideæ diuinæ,nec ab esſētia,nec inter se, vel re,vel ratione quasi specifica differant,ea est. Nā realis, aut specifica distinctio considerari non pōt inter res, quæ non in seipsis sunt, aut considerantur, sed consideratur ac sunt in vno tertio præsertim simplicissimo, ac indiuisibilissimo. Quis enim dicet vim excalfactiuam, exiccatiuam, eliquandi, attrahendi, ac similes in Sole esse multiplices, specie, vel realiter,quæ in vnica,simplicique lucis qualitate virtualiter continentur? Tales autem ideæ sunt, diuinæ essentiæ, aut inter se ipsas comparatæ. Proindè Diuus Ioan. capit. primo, sui Euangelij, altissimè (vti ab ipso intonauit initio(inquit) Quod factum est in ipso,vita erat: Vbi vniuersorum, quæ in Deo sunt simplicitas indiuisibilissima re, & ratione secundum merita rei assignata significatur. Si quam verò concipere distinctionem volumus, ea in consideratione nostra est: dum essentiam diuinam, artemque illam vnicam vniuersalissimam, ac rationes illas,vt comparatas diuersis rebus, aut diuerso modo eisdem, (vniori inquam, & vniuersaliori) consideramus: Et quamuis ita se res habeat; attamen cum virtualiter contineant distinctionem realem, & specificam; vtemur istis in hoc nostro proposito, ac si specificè, realiterque differrent; Dicemusque Deitatem, vt conceptam quasi exemplar vniuersalius huius Mundi esse distinctam, perfectioremque seipsa, vt concipitur quasi huius eiusdem Mundi exem-

exemplar determinatius. Nam semper virtus, & actualitas quò vnitior, eò perfectior est, atquè intelligitur.

Ex his infero (quod certè puto cunctis probatum iri) si quid sit essentialis imitatio Dei, quatenus est altiori modo exemplar huius vniuersi ab eo statuti, & conditi id esse realiter, & specificè distinctum, & præstantius altero, quod similiter sit essentialis imitatio Dei, quatenus est exemplar huius eiusdem vniuersi, inferiori modo, præsertim si actus sunt sine vlla materia. Habet enim actualitatem præstantiorem. In immaterialibus autem actualitatis gradus; & speciem mutat, & dignitatem.

Propterea cum Angeli, iuxta veritatem, vt supra dictum est, sint artes quædam particulares subsistentes, & quædam substantiales imitationes participatiuæ artis illius vniuersalissimæ, quæ Deus est, (vnde per suammet substantiam) tamquam per speciem Deum, & semper, & necessariò intuentur; ex maiori, & actualiori imitatione prædicta, & speciem, & dignitatem substantialis gradus sortiuntur.

Quòd si licet aliquantulum id explicari: Imaginandum est Deum, qui auctor est vniuersorum, creare voluisse plures artes intelligibiles, in quibus tota creati entis latitudo in esse intelligibili contineretur; & quamdam quidem in potentia pura, tamquàm extremā: vndè totius vniuersi ordo in ea, vi agentis intellectus, ex rebus tamen sensibilibus accipitur: Alias verò actuales, quæ totius vniuersi ordinem, à Deo tamen, non à rebus accipiunt. Hæc autem artes inter se modo dicto graduantur: secundum scilicet, quòd imitationes sunt essentiales Deitatis, vt causa est exemplaris huius vniuersi secundum altiorē, & vniuersaliorem modum iam declaratum.

Quo fit, vt ex se, in seipsis fundere possint intelligibilem hunc totius vniuersi huius ordinem. Vt enim tanta illa participatio Deitatis essentialis Diuinæ essentiæ, qua Sol constituitur in esse specifico, tribuit illi vim lucis talis, ac tantæ, & in sese, & in alios suo modo effundendæ; ita participatio tanta diuinæ perfectionis, qua in tali gradu entitatis actualissimæ constituitur Angelus quili-

bet vim illi tribuit effundendi lucem intellectus actuati speciebus repræsentantibus vniuersitatem rerum creatarum suo modo. Et cum vis ista sit communis omnibus ob communem omnibus actualitatem in genere intellectiuorum, habent postea singuli propriam perfectionem; vt paucioribus, vniuersalioribusquè id obtineant speciebus, prout Deitatis altiori modo consideratæ sunt substantiales similitudines subsistentes.

Huic doctrinæ confirmationem non spernendam videtur afferre commune dictum, quòd scilicet Angelis ad nutum obedit materia corporalis, quoad motum localẽ; & quòd imperio voluntatis, non alia potentia exequutiua mouent, quæcunque mouent. Et nihilominus non omnes possunt, quamcumque molem ciere; sed singulis orbibus determinati motores adhibiti sunt. Hæc enim voluntatis vis tanta in mouendo ostendit, quantum illis tribuat essentialis illa participatio, ac similitudo Deitatis. Quis enim dubitet, ex eorum substantia voluntatem adeò potentem effluere, neque ei id extrinsecus dono Dei superaddito conuenire? Quòd si voluntatem adeò præstantem Angeli substantia ex se tanquam proprietatem producit; non videtur negandum eundem Angelum producere ex se intellectum perfectum, completumquè speciebus ad operationem suam necessarijs; cum intellectus potentia sit, & substantiæ propinquior, seu immediatior, & perfectior voluntate. Quid enim? Elongatior, imperfectiorquè potentia perfecta adeò à substantia Angeli producetur; quæ verò immediatior, atquè perfectior est, non effundetur perfecta, completaquè necessarijs speciebus.

Tertio notandum est, ac diligenter; Conuenire quidem rebus corporalibus esse productiuas specierum intentionalium totius substantiæ cognoscendæ; attamen non secundum merita propriæ naturæ secundum se. Et quidem à rebus corporeis tales produci species ex eo conuincitur; quòd ab eis per medium ad sensus exteriores, & indè vsquè ad cogitatiuam procedunt species; quæ non solum exteriora accidentia sensibus exterioribus repræsentant, sed ad interiores transmittunt, speciem repræsentantem

tem

tem insensibilia (vt amicitiam, vtilitatem, periculum) & item cogitatiuæ speciem repræsentantem substantiam particularem. (Nequè enim sine tali specie eam perciperet, quam consentientibus cunctis cognoscit tamen) Vndè postea intellectus agens vniuersalis substantiæ speciem elicit in intellectu possibili receptam ad eiusdem vniuersalis substantiæ cognitionem. Hanc enim speciem in cogitatiua aliquo modo præfuisse, (vt indè elici posset,) & in inferioribus sensibus, vt per eos ad superiores posset ordinatè transmitti, necesse est; imò & in medio insensibili, per quod ad organa, & sensus perueniret. Quo enim modo, & in interioribus sensibus, vel exterioribus hæ species apparent? Quo alio modo intelligi potest rerum scientiam à rebus accipi? Nequè tamen necesse est, omne id, quod tali specie continetur, à quolibet eam recipiente sensu cognosci; vti de insensibilibus illis accidentibus vtilitatis, periculi, amicitiæ, similibusquè patet, quæ ab exterioribus sensibus non cognoscuntur. Quòd autem corporeis hisce rebus non id conueniat ex meritis naturæ propriæ præcisè secundum se, ex duplici capite probatur.

Primò. Nam has species producunt in sensu, & consequenter in potentia vitali formaliter (cognitio enim operatio viuentis est, inquantum viuens) & aliquo modo spirituali (quia cognoscitiuum, receptiuum est specierum sine materia; & oportet materiam, ac subiectum proprium eiusdem cum suo actu generis esse) & consequenter in subiecto præstantiori, quàm res ipsa corporea, vt corporea est: ad perfectionemq; eius simpliciter agunt. Nunquam verò patiens agenti præstat. Quibus adde eleuari has species supra conditionem corporis; dum materialem substantiam repræsentant absquè materia tamen existentes: quam eleuationem effectus sui substantiæ materiali ex proprijs meritis essentiæ suæ præcisè sumptæ conuenire non consonat rationi.

Secundò. Nam hæ species à sensibilibus immotis, vt de colore patet ex Aristot. 2. de anim. producuntur. Hoc autẽ modo mouere non conuenit corpori ex meritis pro-

prijs. Vnde Sanctus Doctor in multis locis hanc immutationem spiritualem sensibilium eis conuenire dicit, secundum quòd substantias separatas aliquo modo participant.

In quo gradatio quædam non prætermittenda apparet. Deus enim extra seipsum secundum omne earum esse res omnes producit; nullas verò intra seipsum, siuè secundum esse entitatiuum, siuè secundum esse intelligibile; quas tamen secundum quoduis earum esse sua entitate indiuisibili eminentissimè continet. Res autem corporeæ secundum quidem realem entitatem res à se distinctas nullas producunt secundum totam earum substantiam, ne dum; ut vna omnes producat; quia neque vllam seipsa sola etiam vel ratione vnius partis. Sed causæ quidem vniuersales concurrunt cum alijs particularibus; particulares autem causæ sub vniuersalium concursu res quasdam, vt ignis ignem, Leo Leonem producunt quadam earum supposita parte materia scilicet, de cuius potentia educunt formam. Res autem spirituales, vt Angeli, nullam omninò rem secundum eius substantiam se ipsis solis producunt, etiam quoad hanc formalem partem: quia quoad formalem mutationem nò eis obedit materia corporalis: sed opus est causas corporeas vniuersales, & particulares adhibere: ac medio motu, & actione corporum vti. Secundum verò esse intelligibile, omnia quidem sensibilia sui similitudinem (in alio tamen) sed quoad totam substantiam suam nata sunt parere; si quidem, vt dictum est, recipit cogitatiua speciem particularem substantiam repræsentantem; id tamen non ex meritis naturæ suæ præcisè. Aliorum autem esse intelligibile, neque in se, neque in alio producunt: quia esse determinatum ita habent, vt solum sint imitationes deitatis, vt exemplantis eas, quatenus sunt ipsamet actu: Quòd autem possint esse etiam alia, nonnisi in potentia pura, quòd dixerim propter hominem ratione animæ intellectiuæ. Angeli verò sui quidem similitudinem, nec in seipsis quidem producunt (saltem quæ cognoscendi sui principium sit) cum ad sese cognoscendos melius per suam substantiam dispositi sint, quam

forent

forent per similitudinem superadditam; & intellectus non minus, quàm natura horret superfluitatem. Sui ipsius verò similitudinem, quæ eius esse intelligibile esset, in alios producere non possunt; quia neque alijs illabuntur; neque valet reperiri medium, quod huiusmodi similitudines ad alium deferat, atque intercedat, inter agens, & patiens. Cæterum totius vniuersi similitudinem intelligibilem in seipsis producunt omnes, vt iam, iam dicemus conclusione sequenti, secundam sententiam amplectétes.

Conclusio igitur est. Species intellectus Angelici a substantia singulorum in eis, tanquam accidentia propria, & passiones effluunt. Quæ profectò ex notabilibus præmissis satis declarata videtur, & rationibus pro secunda sententia adductis satis probata; & si quid amplius desideratur, responsa ad argumenta præstabunt. Conabimur tamen nouis eam rationibus confirmare.

Prima ratio sit. Essentia Angeli est intellectualitas actualis respectu omnium entium naturalium. Ergò omnium entium naturalium species in seipsa producit. Antecedens ab aduersarijs etiam conceditur, & ab omnibus alijs, qui animæ intellectiuæ, & Angeli differentiam, hoc modo declarant. Consequétia probatur. Nam si ab extrinseco eas tantum recipit, iam non erit suapte natura substantia intellectualis actualis: quo modo esse oportet: cum hæc actualitas eius intrinseca differentia sit, ab anima rationali distinguens.

Secunda ratio, quæ priorem explicat, & confirmat. Peraccidens, & ex decreto libero est, quòd Deus voluerit Angeli intellectum speciebus implere: ergò ex eo, quòd eas habuerit à sua creatione, Angelus non potest dici essentialiter intellectualitas actualis. Consequentia probatur. Nulla enim natura censeri potest ex illo, quòd ei conuenit peraccidens. Antecedens patet. Nam quod in Angelis sint hæ species per oppositam sententiam, nascitur ex decreto libero Dei statuentis has, & non illas creaturas producere.

Neque verò satisfacit, quod dicunt Angelo deberi species eo modo, quo motus Cœlo. Nam cui debetur na-

turaliter genus aliquod, oportet naturaliter deberi aliquam speciem generis illius particularem: cum præter species genus esse non possit. Vnde & cuilibet Cęlo particularis aliqua circumlatio, quoad polos, velocitatem, & similia, determinata debetur. At secundum istos Angelo non debentur hæ species determinatæ per naturam eorum, sed per liberum Dei decretum, vt dictum est.

Confirmatur, & explicatur magis vtraque ratio. Certum est Angelum, etiam si solum seipsum, in seipsoque Deum cognoscentem, esse substantiam actualem in genere intellectiuorum; ergò si non producit ex sua substantia rerum similitudines; sequitur ex sua natura non requirere huiusmodi species; & consequenter non esse vllo modo, (scilicet nequè, ac si eis debeantur) intellectualitatem actualem respectu rerum naturalium. Deducitur consequentia. Nam cum actualiter necessariò se, Deumquè per suam substantiam cognoscat (data hypothesi) & consequenter simpliciter loquendo sit actualis, respectu verò aliorum non magis requirat istas, quàm alias, sed solum ex libero decreto statuẽtis has tantum producere, sequitur Angelum nullas ex natura sua requirere. Et consequenter non esse ex natura sua intellectualitatem actualem, respectu aliarum creaturarum.

Tertia ratio. Res sensibiles productiuæ sunt specierum repræsentantiũ substantiæ quidditatem ex participatione substantiarum separatarum, vt vltimò notabili probatum est: ergò earundem productiuæ sunt ipsæ substantiæ separatæ, quos dicimus Angelos. Consequentia probatur. Quia ne fingi quidem potest, id, quod alteri conuenit participatione alicuius, non magis illi conuenire, cuius participatione illi alteri conuenit. Tunc vltra. Ergò istæ substantiæ has species in seipsis producunt. Hæc sequela probatur. Quia non est dare aliud, in quo eas producant. Nam vti diximus, non est aliquod medium capax specierum repræsentantium spirituales substantias; & vna alteri illabi non potest.

Adde posse omne medium excludi: vt si Deus creaturam spiritualem tantum creasset, vt aliqui asseruerunt, ante

ante omnem creaturam corpoream, aut modò saltem de potentia absoluta, solam conseruaret. Tunc vltra. Ergò in seipsis speciem producunt rei à seipsis distinctæ. Præmisimus enim non posse producere similitudinem, quæ sit principium cognitionis propriæ substantiæ. Tunc vltra. Ergò producunt in seipsis omnes creatarum rerum species. Etenim non est maior ratio, cur hanc, vel illam, cur tot, & non plures: sed cum substantia intellectualis totius entis creati naturaliter sit cognoscitiua, qua ratione producit vnius rei similitudinem, eadem, & omnium.

Confirmatur notantissimè. Intellectus humanus agens virtus est productiua specierum omnium, quæ ad cognitionem totius obiecti sui necessariæ sunt (proponente tamen ei cogitatiua phantasmata, ex quibus huiusmodi species eliciat) Ergò anima humana nata est producere species totius obiecti sui, quamuis in genere intellectiuorum sit pura potentia. Ergò hoc ipsum magis conuenit substantiæ actuali in eodem genere. Et potest hic applicari, quod secundo notabili, dictum est.

Quarta ratio proinde sit, Angelus è sua substantia in seipso producit voluntatem, adeò potentem, vt possit corpus imperio suo solo mouere: ergò producit etiam intellectum completum speciebus necessarijs ad principalem suam naturalem operationem; notionem scilicet rerum creaturarum vniuersarum. Et ratio sequelę reddita est ibidem.

Quinta, & vltima ratio sit. Producere è sua substantia similitudinem totius creati entis perfectio limitata est, & ordinis naturalis: ergò hoc accidens post naturaliter conuenire alicui substantiæ: seu (quod est idem) potest Deus instituere naturam, quæ tale accidens è sua natura fundat: ergò Angeli tales vniuersi similitudines in seipsis ex se producunt. Antecedens patet, si distinguatur perfectio accidentis (vti fieri solet de visione Dei) in infinitam simpliciter, & infinitam secundum quid. Prima est infinitas visionis Dei, qua in se omnia sub ente contenta cognoscit. Et hæc vim simpliciter infinitam in repræsentatiuum producente (si producenda esset) exigeret, itemque

in intellectu cognoscente. Vnde nulli creaturæ communicabilis est, nedum vt vlli connaturalis esse, aut ex eius substantia fluere valeat, pertinetquè ad scientiam simplicis intelligentiæ. Secunda infinitas est qualis scientiæ visionis nō omninò infinita, qua scilicet Deus intuetur in se omnia, quæ sub aliqua differentia temporis extra Deum existent: quam non solum communicabilem, sed de facto etiam animæ Christi Domini communicatam esse, D. Thomæ sententia est, cui omnes Doctores consentiunt. Atquè hæc Angelorum scientia, (& consequenter ad eam necessaria perfectio) longè limitatior est; obiectumque habet prorsus naturale. Quid ergò prohibet dari posse substantiam, cui talis perfectio naturalis sit? cum extent Auctores, qui ipsam beatificam visionem, necessariasquè ad eam, & in via, & in patria dispositiones, quæ & ordine, & nobilitate cuilibet cognitioni naturali totius entis creati præstat, creabili à Deo substantiæ asserant posse esse naturalem, hac ipsamet ratione; quia Deus, quæ omnipotentia sua infinita est, naturam potest instituere, cui tale accidens limitatum, scilicet, sit naturale? quibus Auctoribus hoc antecedens huius rationis nostræ non probari non potest. Ex quibus prima etiam rationis consequentia probata est. Secunda verò consequentia probatur. Nam sententia Diui Dionysij est acceptata à cunctis Angeli substantiam similem esse Deo, quantum phas est cogitare. quamobrem cum hæc similitudo possibilis sit, & Deo, Angelisquè gloriam dare comprobetur; eis tribuenda omninò est. Et hæc satis, ac super de eo, quod sentiendum nobis de hac quæstione videtur.

AGGREDIAMVR ergò id, quòd tertio loco promisimus, responsa scilicet argumentorum, quæ videntur sanè grauia esse.

Ad primum respondetur; Antecedens absolutè loquendo falsum esse. Substantia enim in eo gradu entitatis constituta, vt subsistens ars sit imitatiua, seu potius similitudo quædam substantialis expressiua Deitatis, vt Deitas est ars vniuersalissima, & exemplar productiuum totius vniuersitatis rerum à se productarum naturalium, produ-

cere

cere potest similitudines rerum, quarum Deus per suas ideas causa est exemplaris: Et propterea hæ species ab ideis diuinis dicuntur oriri. Etenim hoc requirit naturalis ordo substantiæ in genere intellectiuorum actualis: nè scilicet sit in potentia purè passiua, licet per accidens esset actui suo coeua. Mirum dictu, si cadat in mentem Philosophi; Cœlum esse quid actuale substantialiter in genere mobilis, ex eo, quòd habeat principium passiuum, quo moueri possit ab agente libero extrinsecus mouente, vt patet (post iudicij diem.) Licet nunc moueatur semper. Ad probationem antecedentis concesso assumpto in genere quasi entitatiuo, consequentia negatur. Ad cuius probationem antecedente concesso negatur consequentia. Datur enim quasi tertium. Oportet siquidem productiuum similitudinis rei, vel esse illi simile secundum speciem, aut continere aliquid illius similitudinem continens, aut esse participatam similitudinem substantialem alicuius superioris talem similitudinem continentis. Dixi hoc esse, quasi tertium quippiam. Nam fortè ab alijs non censebitur à secundo diuersum. Id enim, quod est essentialis similitudo superioris, & eminentioris re quadam, quatenus eminentius est, continere videtur necessario quippiam re illa contenta eminentius. Et hæc prima responsio est. At verò etiam.

Secundò respondetur, aliter esse dicendum de ijs rebus, quæ factæ sunt, vt ipsæmet sint: Aliterquè de ijs, quæ factæ sunt, non quasi vt ipsæ sint, sed tantum, vt sint quædam intentiones ad alia cognoscenda, de qua distinctione videnda sunt subtilissime scripta à Caietano ad art. 2. quæst. 55. prima parte. Sancti Doct. In illis quidem verum est effectiuum earum principium habere in se virtualiter saltem, aut specificam in genere entis similitudinem, aut aliquid in eodem genere altius. At in istis non est id necessarium simpliciter; sufficit si similitudinem intentionalem illam producendam cōtineat aliquo modo virtuali eminentiori. Hoc autem reperitur in Angelo. Nam cum non accidente superaddito, sed substantiali actualitate sua sit tanta Dei intelligibilis, & intellectiua similitudo.

do.

do, quanta Deitas, vt exemplar, & efficiens hoc vniuersum totum importat ratione assimilationis, etiam formalis; sunt altioris conditionis, quàm tota vniuersitas creaturarum, quandoquè futurarum, quoad illud esse intentionale, quod in intellectu ponunt huiusmodi species. Et ratione huius virtualiter continent (formaliter tamen,) in substantia sua aliquid altius, quàm intelligibiles species representatiuæ totius huius vniuersi. Ideòque possunt per modum passionis naturalis rerum species intentionales producere in seipsis. Huius exemplum in lumine videtur haberi; quod cum per seipsum visibile sit, nec intentionali specie indigeat, vt ab oculo videatur; eminenter continet omnes species colorum, etsi in infinitum multiplicarentur; quia semper, quod per se est tale, superat id, quod est tale per aliud: vnde lux substantia colorum nuncupatur. Et hæc responsio funditus euacuare videtur hoc argumentum, quod Palmare iudicabatnr.

Ad abundantiorem tamen doctrinam adhuc aduerte. Primò, diuersa esse dicenda de eo, quod esse repræsentatiuũ sui producit in alio, & de producente esse repręsentatiuum aliorũ in seipso. Illud enim primũ id solũ producit, quod formaliter continet, vt patet in sensibilibus speciem in medio, & in sensibus producentibus: hoc verò secundum non necessariò hanc exigit continentiam formalem.

Quod sic declaratur. Duplex siquidem est productiuum esse representatiui aliorum in seipso. Vnum producens actione noua. Et hoc est anima rationalis: quæ per intellectum agentem species ex phantasmatibus elicit, cui vti opus est phantasmate, ita & noua actione ob potentialitatem suam: vndè successiuè, & per partes hoc modo se actuat. Et tale productiuum requirere videtur formalem continentiam repræsentandæ rei; quia intellectus agens non est vis adeò potens, vt ex seipso eas producat ob substantialem animæ imperfectionem, quæ infima est in genere intellectiuorum; ideòquè purè potenlialis; proptereaquè phantasmatis aduentu determinatur, & quasi formali rei similitudine (etsi phantasma secundum se consideratum materiale, ac particulare sit)

reple-

repletur, ac perficitur anima secundum potentias suas intellectum agentem, scilicet, & possibilem. Et certè de tali productiuo rationabiliter dicitur formalem rei requirere similitudinem. Cum enim verè agens sit, debet agere simile sibi secundum formam, vti de tali agente dicitur, Agere ratione formæ. Quocirca, cum anima intellectiua infima, purèquè potentialis sit, ideòque non, possit huiusmodi formas virtute continere; necesse est, prius per phantasmata modo dicto rerum similitudines conquirere.

Alterum productiuum huiusmodi esse representatiui aliorum non producit illud actione noua, sed tantum per naturalem resultantiam, eo modo, quo à subiecto passiones emanant. Et tale est Angelus, qui in ordine intellectiuorum actualis est: ideòque statim, ac conditus est non successiuè, sed simul habet, quicquid nobis per tempus conuenire potest. Et hoc productiuum non est necesse continere formaliter similitudinem representandarum rerũ, vt species earũ in seipso producat: sed satis est si aliquid eis eminentius in sua substantia contineat. Sic enim etiã subiecta continent passiones suas. Quid autem in proposito sit illud altius, & eminentius, iam prædictum est.

Secundò, aduertendum est hoc loco: Modo huic efficiendi esse representantium aliorum in se pso (quo scilicet modo substantia intelligens omnia efficitur) proprium esse, vt ab effectione huiusmodi non excludat actionem agentis extrinseci. Nam sicut communi axiomate dicitur, dantem formam, dare etiam, quæ naturaliter, ac necessariò formam sequuntur; ita à quo producitur substantia Angeli, à qua intellectus fluit repletus his speciebus, & species ipsæ per naturalem resultantiam consequenter producuntur. Quod tantò amplius verificatur, quantò substantia producta in fieri, & in esse ab extraneo agente dependet, quasi sub vniuersalissima, infinitaque subsistente arte, ars particularis, quæ secundum ipsam substantiam suam illius artis totum vniuersum hoc exemplantis, & efficientis similitudo est, vt supra declarauimus. Et ideò effectus iste specierum, & in Angeli sub-

stan-

stantiam, vt hoc modo Deitati similem, & in Deum reducitur, ideasquè diuinas.

Ad secundum respondetur vno prænotato, scilicet esse intelligibile duobus modis accipi posse. Primò, vt est idem cum vero, seu cum veritate rei. Et hoc modo nihil dicit reale supra rem; cum sit idem prorsus homo, homo verus, homo intelligibilis, sed solum addit respectum rationis ad intellectum tanquam perfectiui, obiectiuè, non formaliter. Et hoc modò omne, quod cognoscitur, respectus eius, à quo cognoscitur, quandò cognoscitur in seipso, habet rationem profectiui obiectiuè, siuè per impressam ab eo, siuè per non impressam speciem cognoscatur. Et hoc modo sumptum esse intelligibile est entis passio consequens ens, & rationem entis in quacunque re, sicuti & veritas rei, cui est omninò idem; nec extra rem illã reperitur. Secundo modo esse intelligibile accipitur pro reali entitate speciali, qua mediante res extrinseca præsentatur intellectui (siue tamquam principium se, siuè tãquã terminus intellectionis modò non curamus) quę realitas, si secundum esse suum entitatiuum secundum se consideretur, accidens est, ac de prima specie qualitatis permissiuè saltem: dicitur tamen aliquandò substantia esse, aliquandò quantitas, vel quoduis aliud secundum esse repræsentatiuum, eò quòd talis entitas instituta est, quasi imago quædam rei, quæ substantia, vel quoduis aliud ens est; & propterea vocatur esse intelligibile earum rerum. Cum igitur in argumento, (vt respondeatur in forma) ex antecedente, quod conceditur, infertur Angelum non continere res à se distinctas secundum earum propria in esse intelligibili, si de intelligibili esse primo modo accipiatur, datur & consequentia, & consequens. Cum autem subsumitur Angelum continere res alias, si earum species contineat, apertissimè patet æquiuocatio, cum esse intelligibile, secundo modo non primo subsumatur.

Ad tertium respondetur ex eadem distinctione. Nam illud antecedens esse intelligibile est passio entis, verum est de esse intelligibili sumpto primo modo; sed consequens prætendit de esse intelligibili secundo modo sumpto.

sumpto. Ideò consequentia per æquiuocationem peccat.

Ad quartum ex eadem distinctione respondetur. Antecedens enim,& prima, & secunda consequētia intelliguntur de esse intelligibili secundo modo prædictæ distinctionis sumpto, & ideò conceduntur: at quandò vltimum consequens improbatur. Quia scilicet hæc continentia Deo propria est, assumitur falsum, si eodem secundo modo intelligatur. Si verò intelligatur de primo modo intelligibilis esse, assumitur quidem verum, sed committitur eadem æquiuocatio.

Ad quintum respondetur ex eodem fundamento. Nec Angelos inferiores à superioribus, nequè ab inferioribus superiores contineri secundum esse intelligibile sumptum primo modo; & hoc concludit argumentum. Ex antecedente autem in hoc sensu accepto consequentia non valet, quæ de esse intelligibili secundo modo accepto apertè loquitur: Secundum quem modum, & superiores, & inferiores mutuò continentur ratione iam dicta. Omnes enim sunt essentiales similitudines Deitatis, vt exemplar est vniuersi.

Ad sextum data suppositione respondetur, Gabrielem habiturum vtrasquè species, quas scilicet habet modò,& insuper aliarum rerum, quæ supponuntur creatæ: sed diuerso modo. Illas quidem tanquam proprietas effluens à substantia; istas, vt superaddita accidentia, siue essent Angelo per accidens coæuæ,siuè noua actione perducerētur, quomodo sentētia cōmunis est animis separatis infundi. Ratio verò est; quia alioquin non esset idem Angelus specie, qui modò est, si non esset actualis similitudo Deitatis, vt exemplantis hoc vniuersum, sed aliquid aliud; cum in hoc eius consistat essentia. Dum verò est talis imitatio Deitatis, non potest non effundere has species, vti nequè subiectum non effundere passionem suam. Nulla autem est ratio dubitandi, quin aliæ superaddi possint. Iure verò asseritur has alias omnes superaddendas; quia non esset conueniens rem vllam fieri, quæ Angelorum scientiam subterfugeret. Dictum porrò commune Theologorum, Angelo deberi rerum creatarum scientiam,

& spe-

& species exponi potest. Primò de facto. Non enim loquuntur semper Theologi de rebus, vt sub alio ordine, vel sub Diuinæ omnipotentiæ facultate cadnnt. Secundò potest exponi proportionabiliter; vt habeant species, non tamen omnes eodem modo, sed vel è substantia nascentes, vel superadditas.

Hoc loco explicandum est pro maiore declaratione (etsi virtualiter iam dictum sit) non futurum Angelum eiusdem speciei, non solum si alias ab his speciebus ex sese funderet; sed etiam si istis ipsis vna addatur, vel adimatur eodem modo effluens species. Nam licet Deus re sit natura vnica, æquiualet tamen innumerabilibus, vt prænotauimus. Et ideò imitatio substantifica, & essentialis Deitatis secundum variam huiusmodi virtualem rationem necessario varia specificè est. Est autem alia virtualis ratio, non solum quando consideratur, vt alterius omninò distincti vniuersi causa est exemplaris, effectiuaquè; sed etiam quàndò consideratur, vt talis causa vniuersi plenioris ob nouam creatam naturam, aut angustioris ob demptam. Nam esto (quod modò non curamus) vniuersum hoc, quod fingimus, non distingueretur specie ab eo, quod de facto creatum est; Deitas tamen concepta, vt exemplans illud vniuersum ab isto distinctum, quasi actualis forma indiuisibilis à seipsa distingueretur, quasi actuali exemplari forma vniuersi iam conditi. In rebus enim ab omni prorsus materia separatis actualitas maior specificā excludit identitatem, vt habetur prima parte, quæst. 50. artic. 4. Quocum stat Angelum non mutatum specie aduentitias posse species ab extrinseco agente recipere.

Ad septimum respondetur, primò negando Gabrielem habuisse species harum rerum, quæ iuxta hypothesim de nouo creandæ sunt: Et data prima consequentia, secunda negatur; siquidem non par ratio est de omnibus. Nam essentia Angeli consistit determinata ad similitudinem Deitatis, secundum quòd horum causa, & exemplar est. Vnde si aliquæ superaddantur species non mutatur essentia, sed perficitur accidentaliter. Sicut si quæratur: cur hæc cera continet hanc figuram, optima ratio redditur, quia

quia à tali sigillo figuram talem exemplante impressa fuit. Ita in proposito, ex impressione tali deitatis, vt exemplantis tantum hoc vniuersum redditur optima ratio, cur Angelo conueniant tales, totquè numero species, habeatquè talem mensuram, tum substantiæ, tum ex ea consequentium accidentium.

Si verò velimus affirmare Gabrielem (data hypotesi petita) habiturum fuisse etiam de nouo creatarum rerum species, respondebitur argumentis (vt quanti ponderis sint, appareat, exercitij, disputationisquè causa) licet hoc membrum non concedamus. Et ad impugnationem primam dicimus consequentiam esse nullam. Nam dictum commune Theologorum Angelis deberi species rerum potest exponi de rebus aliqua differentia temporis creatis, vel creandis, etsi in ea differentia temporis non essent, qua conditus Angelus est. Neque enim decretum diuinum de nouo aduenit Deo; sed antiquo, æternoquè decreto innouat omnia, quo etiam decreto habuisset Gabriel speciem rei, quæ de nouo crearetur.

Ad secũdam impuguationem benè respousum fuit negando consequentiam, eò quod certus est numerus specierum ex Angeli substantia fluentium. Et ratio determinationis, quam responsionis impugnatio petit, reddita frequenter est. Præfixa enim est substantiæ Angeli mensura, ex eo, quòd ars est subsistens substantialiter assimilata deitati sub tali, tantaquè ratione: & ex tali mensura, tot, ac talium specierum nascitur effluxus. Quæ præter has, vel ab eius creatione, vel postea imprimtrentur actione noua, essent accidentales. Attamen numquam tot possent imprimi vllo modo simul, quot possent successiuè superaddi: sequeretur enim poni actum infinitum, contra id, quod prima parte, quæst. 7. concluditur.

Ad confirmationem respondetur. Diuum Thomam in illa auctoritate nihil dicere de modo imprimendi species: vnde non aduersatur sententiæ distinguenti, quaſdã quidem imprimi vt passiones per resultantiam naturalem, alias superaddi.

Ad octauum respondetur. Sub maiore vera subsumi fal

sam minorem; Ad cuius probationem respondetur, Dei decretum esse multiplex; Quoddam institutiuum naturæ, quia est exemplar earum, quoad essentiam, & consequitur etiam quoad eius proprietates; quoddam verò non institutiuum naturæ, & de hoc secundo loquitur Sanctus Doctor loco citato, cum dicit, Angelis istis imprimendam fuisse speciem nouam.

Ad confirmationem respondetur non esse parem rationem de adiunctione nouarum specierum, & de imminutione earum, quæ fluunt à substantia. In secunda namquè proprietas naturalis destruitur, quod repugnat naturæ subsistenti; in prima, nihil est naturæ contrarium. Vndè primum affirmat Sanctus Doctor, secundum penitus præteriuit.

Posset etiam acutè satis dici, verba Diui Thomæ in illa auctoritate exponi sufficienter posse per suppositionem simplicem. Si quidem si plures naturas facere Deus instituisset: plures species impressisset. Cum qua suppositione optimè concordat, non easdem, quæ modo fiunt; sed alias Angelicæ naturæ species fuisse instituendas. Et si vrgere quis velit illam vocem, impressisset: Aduertat characterē futurum esse in genere figuræ diuersum specie, si à sigillo secundum speciem diuerso imprimatur. Supra enim iam prænotauimus has deitatis varias rationes ad maiorem doctrinæ claritatem considerandas esse, vt formaliter specie diuersas, licet non formaliter, sed solum virtualiter specificam distinctionem contineant.

Ad nonum respondetur. Toto concesso ad vltimā vsquè consequentiam inferentem, has ergò species non posse esse passiones, quæ negatur. Ad eius probationē dicimus, conditionalem, quam improbat, esse veram. Ad cuius improbationem in forma distinguo antecedens. Angeli substantia, considerata sub hac ratione communi substantiæ, indifferenter se habet ad omnem, &c. transeat quasi non ad propositum: At Angeli substantia, vt essentialis, & substantialis similitudo deitatis, vt artis vniuersalissimæ exemplantis hoc vniuersum, cum his partibus componentibus ipsum indifferenter se habet; falsum est.

Imò

Imò hoc modo determinata est ad exprimendum in seipsa per species intelligibiles hoc ipsum vniuersum, eiusquè partes, vt sæpè dictum est.

Ad decimum respondetur; Admirabile quidem esse, quod in eo ponderatur, & in confirmatione amplificatur: non esse tamen impossibile. Nam Angeli substantiæ incomparabiliter ferè hæc nostra excedunt, & iuxta D. Dion. mentes sunt, quantum phas est, diuinitatem repræsentantes: & Diuus Thomas habet frequenter non posse corpora eorum virtutes adæquatè suscipere, sed excedere omnem capacitatem rei corporalis.

Cæterum hæc ipsa ratio in aduersarios æquè retorqueri facilè potest. Nequè censendum est, potentiam passiuam illam, quā illis sua connaturalitas significat, nihil dicere præter receptibilitatem. Alioquin par esset in Angelo infimo, potētia ad vniuersalissimas species, atquè in Angelo supremo; quod etiā ipsi falsum autumant. Siquidē vti præ anima humana oēs vendicant sibi informari actualiter his speciebus, ita superiores Angeli præ inferioribus sibi vendicant informari actu speciebus vniuersalioribus. Sicut etiam inter Cœlos, alij præ alijs sibi vendicant motus tardiores, aut velociores; nec est ibi adeò purò passiuum principium, quin aliquid specialitatis exigat: Et quamuis in materia, quæ pura tamen est potentia, considerari possit specialitas ad actum talem formam.p. Solis, Lunæ; attamen in re completa, & quæ actus est ab omni materia separatus, non verisimiliter illud assereres. Itaquè nonnè valdè mirabile est esse naturam, cui ex proprijs principijs potentia talis nascatur, vt ab initio suæ conditionis conueniat informari tot, atquè adeò admirabilibus speciebus?

Vernm enimuerò per egregiam daret hoc argumentum occasionem inquirendi; quidnam his speciebus repræsentetur; sed quia nimis in longum disputatio iam prolixa satis protraheretur, reseruabitur in aliud tempus. Vnum hoc dixerim ea, quæ ad supernaturalem ordinem spectant, vt sic, speciebus è substantia nascentibus, vi propria non repræsentari, sed oportere, vel species superad-

di, vel aliquod lumen, aut virtus (quicqnid illa sit) vndè talia repræsentari ac intelligi valeant.

Ad vndecimum respondetur primò. Parum aptè hoc argumento hanc sententiam impugnari; tale est enim, quod & contrariam oppugnet: sed ob reuerentiam quorundam ipsum afferentium adhibitum fuit. Secundò. Distinguo consequens. Videlicet. Sequitur Gabrielem simul intueri omnia existentia in actu cognitione confusa, quo modo partes cognoscuntur in toto cognito, & tunc conceditur, tamquam nihil absurdi continens: vel (secundo modo) cognitione distincta, quomodò in seipsis videntur partes singulæ, & tunc sequela negatur. Primò enim modo hæ species non concurrunt, vt principium cognitionis; sed secundo modo solum. Nam primum mouens intellectum Angeli seipsum intuentis propria substantia est. Vnde species intelliguntur, vt simul cum alijs eius substantiam perficiunt. Ita videtur docuisse Caietanus prima parte, quæst. quinquagesima octaua, secundo dubio vltimo.

Tertiò respondetur. Nego consequentiam, ad probationem, distinguo cognitionem, quæ de his speciebus haberi in proposito dici potest. Nam vel censetur quidditatiua, & de inexistentia earum in subiecto. Et tunc licet substantia cognita hæ species cognoscantur, vt antecedens assumit, non valet tamen consequentia indè deducta. Nequè enim necesse est, videntem quidpiam simile alteri secundum quòd inest alicui subiecto, videre etiam alterum illud, cui dicitur simile; nisi videatur præterea secundo modo, videlicet, vt illi alteri simile: sed hoc secundo modo cognitione accepta, antecedens est falsum. Non videt enim species suas hoc modo, dum suam essentiam, vt sic intuetur.

Vtraque hæc responsio explicatur, si dicamus has species in Angeli substantia cognita videri, vt obiectum cognitum præcisè, non autem, vt rationes, ac principia alterius cognoscendi: & ideò consequentiam non valere.

Ad duodecimum respondetur, dando partem interrogationis negantem. Et cum ratio disparitatis quæritur,

Respon-

Respondetur, fuisse redditam frequenter. Earum enim rerum species producit Angeli substantia, quarum deitas esse voluit causa exemplaris, cum mensura entitatis, omniumquè ab ea fluentium sit deitas exemplans.

Ad decimumtertium respondetur, ex auctoritatibus adductis ex Diuo Thoma, & si nō formaliter ad verbum, haberi tamen satis expresfsè virtualiter hanc sententiam, præcipuè verò ex secundo senten. & p. 2.

De explicatione, quam Ferrar. & ex eo alij faciunt, non opus est addere quippiam supradictis, cum sit ostensum huiusmodi cōnaturalitatem passiuam dissonare subiecto, cui ratione maximæ actualitatis suæ conuenit habere principia cognoscendi omnia alia.

APPENDIX.

AT VERO caretnè opinio Ferrar. omni probabilitate, vt in gratiam disputationis nequeat sustineri? liceat obsecro, ad ingenij exercitationem istud tentare, quod felicius ingenia splendidiora præstabunt.

Ad primam itaque auctoritatem, ex p. 55. 4. ad primum dicitur; Videri omninò inefficax, quicquid alij dicant. Nam à quocunque principio intrinseco actiuo, scilicet, vel passiuo exigente talium specierum infusionem scientia Angelis adsit, dici potest adesse naturaliter, vti, & motus Cœlo naturaliter inest. Vnde in illa responsione D. Thom. defendit, in Angelis intellectum agentem, & possibilem non esse, qui in anima humana ad nouam scientiæ acquisitionem requiruntur. Imò addo: etsi extrinsecus omninò de nouo, post multumquè tempus ab Angelorum creatione hæ à Deo species eis infunderentur (vti animæ nostræ, cum à corpore separatur) non diceretur in Angelis scientia generari, vel fieri eo modo, quo in argumento prætendebatur.

Ad secundam auctoritatem, ex art. 3. quæst. 55. p. p. Respondetur intelligendam esse eodem modo, quo responsio ad 1. art. 2. q. eiusdem, in qua adducitur Diuus Augustinus eadem dicens, videlicet, Rationes rerum

prius in creatura intellectuali fieri, quàm fiant res ipsæ. Cæterum si locus D. August. citatus ex 2. de Genes. ad literam, cap. 8. legatur; deductio Bag, apparebit prorsus inualida. Nam ordo naturæ nominatus à Diuo Thoma, non est aliud, quàm Prioritas illa, secundum quam res dicitur prius de facto fieri in intellectu Angeli, & postea in seipsa: vbi non agit de rebus, quoad quidditatiuas rationes, vti deductio Bag; sed quoad existentiam. Verba Diui Augustini ita habent. Non repetiuit (intellige sacram Scripturam, de qua Sanctus Augustinus loquitur) factum, postquam dixit, facta est lux: quia non prius cognoscit rationalis creatura conformationem suam, & deinde formata est; sed in ipsa conformatione sua cognouit illustratione veritatis, ad quam conuersa, formata est. Cætera verò, quæ infra sunt, ita creantur, (en loquitur de existere) vt prius fiant in cognitione rationalis naturæ, ac deinde in genere suo. (Et post nonnulla.) Ideò dixit, fiat lux, vt quod erat ibi in verbo, hic esset in opere suo. Conditio verò Cœli prius erat in verbo secundum genitam sapientiam; deindè facta est in creatura Spirituali, hoc est in cognitione Angelorum, secundum creatam in illis sapientiam; deinde factum est, vt esset etiam ipsa Cœli creatura in genere suo. Ex quibus verbis apparet nihil referre ad Diui Augustini sententiam. si creata in Angelis sapientia (secūdum quam dixit prius fieri in rationali creatura Cœlum, & reliqua corpora) ab eorum essentia fluat, an ab extrinseco. Imò magis apparet huiusmodi sapientiæ prior creatio, si veniat ab extrinseco. Hoc certè apertè patet: totum hunc Diui Augustini locum de esse, ac fieri secundum existentiam in rerum natura tractare; cum deductio Bag. loquatur de diffinitionibus, & partibus earum, & consequenter extra S. August. propositum penitus.

Ad tertiam auctoritatem, ex 2. senten. 3. 2. 3. p. quæ super egregia est; & super quam potissimum Capreolus sententiam suam fundauit, putauit Ferrar. se optimè respondisse ex ipsamet eadem responsione; cap. 98. 2. contra Gent. Nam lumen, quo species determinantur, non est

est ipsemet intellectus Angeli, qui earum subiectum est; vti Capreolus intellexit; Sed ipsæ species intelligibiles. Idquè probat. De hoc enim lumine subiungitur, quòd totius rei similitudo est. Et quia posset instari; Agere D. Thom. de eo lumine, quo species determinantur; non, possunt autem species à seipsis determinari: Respondet distinguendo hanc propositionem; species à seipsa determinari non potest: Si transitiuè intelligatur, vera est; si intransitiuè, falsa; quia, scilicet, ex seipsis sunt lumen intellectus determinatum, ita; vt Intellectus nullo egeat, quod sit à rebus accipiendum. Videsnè acutam responsionem?

At mihi certè hæc expositio intransitiuæ determinationis extorta valdè videtur. Nam Sanctus Doctor in ea responsione ostendere vult differentiam inter intellectum humanum, & Angelicum, quoad notitiam singularium; quia Angelicus per species non acceptas à rebus, sicut humanus: huiusquè rationem reddit, quia iste in potentia est, ideòquè per species acceptas à rebus, quia eius lumen determinari oportet, quod est valdè debile; & per lumen intelligit intellectum agentem, atque possibilem: At in Angelo lumen intellectus est validum, & ex eo species determinantur. Ergò loquitur de intellectu ipso, seu de natura intellectuali non exclusa, sed inclusa potentia intellectus. Alioquin si loquitur de speciebus, quid nam opponit maximæ potentialitati in intellectu humano inuentæ? Quòd si Diuus Thomas dicit hoc lumen esse totius rei similitudinem, verum dicit, non ratione tamen sui ipsius intellectus præcisè, sed ratione specierum, quas ipse sibi determinat. Ex quibus responsum est rationi, quam pro responsione sua confirmanda Ferrariensis adduxit.

Secundò igitur ad hanc auctoritatem respondetur. Dupliciter posse species ex lumine intellectus determinari: Primò effectiuè, quia ex ipso tot, ac tales emanent; quomodo, sed falsò Diuum Thomam exposuit Capreolus. Secundo modo, quia ex ipso lumine intellectus conueniat Angelo huiusmodi species habere; & prætereà; quòd

vbi impressæ fuerint; tali modo, tantaquè efficacia eis vtatur: & hoc modo prædicta verba acceptantur: Sed tunc non inferunt connaturalitatem ex principio actiuo, sed passiuo; hoc vno addito, quòd impressis vti perfectè potest. In quo differt ab animabus nostris, quibus nequè in hac vita species istæ conueniunt, nec vbi separatæ à corpore fuerint, eis perfectè vti valent; quia non sunt eis connaturales simpliciter.

Ad quartam auctoritatem ex prima secundæ, quæ videtur efficacior esse, respondetur, species Angelici intellectus vocari habitus totaliter à natura, eaquè specifica, ad differentiam habitus primorum principiorum, de quo ibi agebatur; qui à natura hominis specifica nascitur, sed non totaliter, ea ratione; quia in anima nasci non potest, nisi præcedente cognitione sensitiua, eaquè non solum terminorum, sed etiam composita quasi experimentali, scilicet, vt Aristot. 2. poster. cap. vlt. testatur, & nos in nobis ipsis experti sumus in axiomate illo; si ab æqualibus æqualia demas; quæ remanent; sunt æqualia. At species Angelorum ita sunt à natura, vt nullum opus extraneum huiusmodi expectent: an verò insint à principio actiuo, vel passiuo ad hanc humani, & Angelici intellectus differentiam nihil refert.

Ad quintam auctoritatem dicitur declarando dictum illud, Angelo conuenire species ratione suæ actualitatis. Potest enim significare rationem, quasi causam conuenientiæ, quo modo conueniret, vt à principio actiuo; sed non est intelligẽdum hoc modo. Secundò itaquè potest significare rationem, quasi specificantem, ad instar eius, quod dicitur homo crispus secundum quòd capillatus; & hoc modo ista propositio conceditur: quia non potentialitas, sed actualitas potest esse specificatiua ratio, secundum quam intellectus Angeli coæuas species exigat: sed ex antecedente in hoc sensu concesso, consequentia non valet, vt in capillorum exemplo adducto patet apertè.

Ad confirmationem. Antecedente, & consequentia concessis dicitur, quòd esse actu omnia alia, ita fundatur

in

in actuali perfectione, vt non tamen inferatur, quòd ex ipsa, tamquam ex causa nascatur: sed siuè hoc modo, siuè quia ab extrinseco auctore naturæ ei debeant infundi, & quasi ab ipso conditionis initio exigantur, sufficit. Benè verò ex eo sequitur eas species à rebus cognoscendis non accipi. Aliàs siquidem natura illa esset actualis, & non actualis; & non actualitas, sed potentialitas esset ratio specificatiua recipiendi.

Quantum hæc responsio valeat, diligentius consideretur.

Ad sextam auctoritatem ex tertio sententiarum, Respondetur, lumen intellectus Angelici multiplicare formas exigitiuè, vt ita loqui liceat; quia scilicet quantò actualior est, & ideò specie nobilior (siquidem ratione huiusmodi actualitatis gradu, ac specie substantialiter inter se differunt) tantò species numero pauciores, virtute autem perfectiores, ac vniuersaliores exigunt; non autem effectiuè. Ex hac distinctione omnia obiecta soluuntur. Receptiuum enim, vt receptiuum, non quidem effectiuè, sed exigitiuè tamen multiplicare potest: quomodò multiplicans non agit, sed alterius actionem exigit. Quod verò assumitur præter necessitatem argumenti non posse in intellectu fingi diuersas potentias ad species intentionales diuersas, non est examinandum. Legatur tamen præter Caietanum, Diuus Thomas, secundo, dist. 3. q. 2. artic. primo, in Corp. Vbi Angelici intellectus diuisibilitas insinuatur, & consequentur diuersitas potentiarum secundum rationem. Et hæc satis ad auctoritates.

NVNC ad rationes dicendum.

Ad primam rationem pro secunda sententia primo loco ex alijs allatam (postea verò dicetur ad superadditas) Respondetur, dato antecedente, & prima consequentia, non esse necessariam specierum harum productionem ad propriam operationem Angeli considerati in puris naturalibus, quæ sola respicienda sunt, cum de passionibus principia naturalia rei consequentibus agitur. Propria enim operatio rei censenda illa est, quæ naturaliter beatur Angelus. Ea verò est Dei, & sui cognitio, & amor naturalis

turalis, quibus in tali statu positis opera omnia rectificantur. Hæc autem in Angelo nullas species, nedum aliarum rerum exigunt. Habuisset enim illas quilibet Angelus necessariò, si vnicus in tali statu creatus esset.

Sed esto. Comparemus Angelum homini, quoad aliorum cognitionem, deturqué hæc cognitio Angelo, tamquàm operatio propria. Respondetur secundò, Et dico Angelum homine melius esse dispositum, etsi ab Auctore extrinseco eas species accipiat. Altius namque est ex natura deberi sibi à Deo ab ipsa statim creatione has species sine vlla causalitate, quàm hominem sibi eas comparare. Hoc enim supponit imperfectionem maximã, quam illud excludit. Sicut Cœlum, quoad motum melius, quàm animalia disponitur, licet illud ab extrinseco principio moueatur. Ista enim extra locum naturalem sunt, & mouentur; illud in suo semper loco, & secundum partes suas solũ mouetur, vt plura alia prætereãtur. Cui conforme est illud, quod de Christo Domino communiter Theologi dicunt, præstare scilicet eum habuisse semper animæ suæ beatitudinem sine merito, quàm ea caruisse, vel ad momentum, etsi statim merito proprio esset eam consequuturus.

Ad secundam respõdetur pars negans. Ad improbationem responderi potest. Primò negando consequentiam. Tùm quia cognitio aliorum non censetur operatio propria, quà scilicet Angelus in puris naturalibus carere non possit, vt dictum est: tùm quia hypothesis petita constat ex incompossibilibus naturaliter. Non enim stant simul, Deum creare, & non dare illi species vniuersi, quod creare decreuit, quæ illi naturaliter debentur, sicut creasse Cœlum, & non sub motu, quem vt connaturalem sibi vendicat; aut animam separare, & non dare illi species ad intelligendum. Ex huiusmodi autem suppositionibus nihil concluditur.

Secundò respondetur. Si de absoluta potentia sua Deus id fecerit; consequens, & consequentia conceditur. Nam miraculo tribuendum est, Angelum sine debitis sibi speciebus creari. Quid verò prohibet per miraculum ho-

minem

minem esse melioris conditionis Angelum verò peioris. Tertiò respondetur, adhuc negando simpliciter consequentiã, data hypothesi. Nam melius dispositus est Angelus ad suam operationem, esto se solum, ac in seipso Deũ cognoscat. Perpetua siquidem est, ac necessaria ista cognitio, & qua naturaliter beatus est. Dixi simpliciter. Nam secũdum quid minus eum benè disponi, quoad aliorum cognitionem, quæ ad beatitudinem Angeli naturalem superaddita perfectio est, non est maximi ponderis.

Ad tertiam respondetur: Antecedens illud melius disponitur habens lumen à seipso, quoad modum quidem habendi, semper est verum; siuè cætera paria, siuè imparia sint; at simpliciter non est verum, nisi reliqua sint paria. Absolutè enim melius est ab ipso sui initio accipere species tales ab alio, præsertim debitas sibi ex natura, quàm longè inferiores tantis cum difficultatibus, & periculis sibi comparare.

Secundò respondetur simpliciter Angelum adhuc esse dispositum melius: quia ex seipso lux est, & amplissima profectò, se,& Deum in se semper intuens,quod tanti valet, vt aptum sit illum beare.

Ad exemplum de Christi Domini merito responsum est exemplo einsdem D. N. animæ gloriam non promerentis.

Ad sextum respondent quidam; Ad primam, scilicet impugnationem concessi antecedentis, quòd si ratio illa bona esset, oporteret à Deo imprimi species omnium contentorum sub ente creabili; quia oporteret eum cuncta esse, quæ sub tali proprio obiecto continentur. Quo illi modo ad illud, eodem modo argumento suo nos respondebimus.

Respondent secundò alij: Non oportere Angelum esse aliquid aliud à se,(quod est negare consequentiam;)quia non debet esse, nisi ea, quæ continentur in obiecto suo terminatiuo proprio. Id verò sua essentia est, ac Deus, cuius est substantialis similitudo. Vndè his solis beari dictum est. Et hac responsione declaratur antecedens illud; Substantia intellectiua est ipsa,& omnia sub obiecto pro-

prio

prio contenta. At verò hæc duo responsa non videntur satisfacere. Primum enim nihil resoluit: secundum autem intellectiuo gradui communiter assignatam diffinitionem restringit.

Tertiò itaquè respondent quidam dicendo, hanc diffinitionem assignari, secundũ quòd animæ nostræ conuenit; cui vt beata fiat in puris constituta naturalibus, opus est alia nosse, & consequenter omnia alia fieri, per quæ ascendat ad cognitionem sui, & Dei; non debere autem alijs applicari, nisi cum magna proportionalitate; vt scilicet, alia fiãt, quæ ad propriam fœlicitatem sunt necessaria. Vndè, Deum quidem necesse est omnia simpliciter esse, quòd ad beatitudinem compræhensiuam sui oporæt eum omnia nosse in seipso. Angelos oportet esse omnia, quæ ad naturalem suam beatitudinem consequendam necessaria sunt: sed ista non sunt, nisi ipsemet Angelus, ac Deus, eorum substantiam seipso efficiens, & conseruans. Cæterum hæc responsio non minus prædictam diffinitionem restringit: Quod si contra præcedentem reputatur inconueniens, quomodo nunc acceptabitur?

Quartò itaquè respondent alij dicentes, Deum producturum in Angelis species aliquas, non quidem creatatarum rerum, sed tantum creabilium, quarum in Deo sunt rationes, non ideæ; de qua distinctione dictum est primò notabili. Sed hæc responsio minus placet; tùm primò, quia voluntariè asseritur, tùm secundò, quia cõis assertio Theologorum non saluabitur. s. Angelo deberi species rerum aliquao tempore futurarum. Ac tertiò demum, quia nulla ratio est, quarè debeantur potius species harum rationum, quam illarum. Itaque, vel nullius, vel omnium creabilium species debebuntur.

Quintò igitur respõdetur præmittendo diffinitiones nõ tractare de rebus, quatenus sunt actu, quandò scilicet adducuntur per proprietates, & à posteriori, quale est fieri alia actu; sed ab existentia abstrahendo considerare, & significare, quid ex natura rei diffinito conueniat. Esse autem alia actu, vel potentia, si ab existentia abstrahatur, significat, quid intellectualis natura sibi vendicet,

non

on quid habeat in rerum natura de facto. Vndè, sicut si Deus hominem de absoluta sua potentia priuet intellectu, qui est eius potentia, & passio, esset tamen homo natura intellectiua; quia naturam habet, cui intellectus deberetur: ita naturæ intellectuali conuenit esse alia: Et humanæ quidem animæ conuenit esse alia in potentia pura; Angelo autem idem esse conuenit actu (quantum ex natura sua est) si res cognoscendæ sint aliquo tempore futuræ: & hoc semper habet, quodcumque Dei supponamus decretum. Ad probationem igitur in forma respondetur ex antecedente, & prima consequentia datis, debuisse hoc modo inferri: ergò ita substantia intellectiua actualis habet actu principia omnia, quibus, si quæ res crearentur, esset facta actu talia; seu, habet principia, quibus debetur, vt esset actu talia, si qua creanda fuissent. Non valet autem vltima consequentia, quatenus infert: ita debentur ei species actu facientes eam talia. Et hoc probari videtur ex eo, quòd eadem naturali potentia Angelus potest recipere species creaturæ, quæ de nouo crearetur: quia, vt supra probatum est, potentiã ad talem speciem oportet esse naturalem: Et hoc videtur D. Thom. prima parte, quæst. 56. a. 4. insinuasse dicens; si Deus constituisset plures naturas creare, eadem ratione mentibus Angelorum plures species impressurum fuisse.

Ad quintam rationem respondetur latitudinem essentialem potentiæ sumendam videri penès obiectum per se primò in ratione motiui consideratum, non terminatiui: in hoc enim secundo conueniunt omnes intellectus Angelici, qui tamen specie differunt. Similiter, & ratio completi. Nam cum Deus in infinitum naturas multiplicare possit, quarum notitia Angelis erit naturalis, non posset mens vlla esse completa: quod enim de Angelis arguitur; & de animabus humanis posset argui, quas tamen posse esse completas nemo ambigit. Qui igitur intellectus respectu proprij, ac principalis obiecti motiui completus est, etsi extrinseca omnipotentis Dei actione magis perfici possit, censendus est esse completus. Quantò ergò magis, si naturali eius cognitione perpetuò, necessariòquè

sit

sit beatus? Quare, ad argumentum in forma, cõsequutiua negatur, & ad probationem quid dicendum sit, & similiter ad confirmationem, patet ex prædictis.

NVNC demum respondendum est rationibus pro conclusione superadditis.

Ad primam respondetur dari antecedens in hoc sensu, quòd de facto Angelus sit actualis intellectualitas intra latitudinem substantialis gradus; respectu verò potentiæ intellectus sit actualis ex sua natura exigitiuè (licet enim nomina rebus accommodare:) Negari verò; si sensus sit, esse Angelum actualem, quoad potentiam intellectus effectiuè; ac si ipse in se species producat. Ex sensu autem concesso antecedentis, sequela non valet. Ad cuius probationem negatur conditionalis. Stat enim actualitas intellectualis sine effectione specierum, si ex natura sibi vendicat eas ab initio, & ab initio habeantur actu.

Ad secundum superadditum respõsurus præmitto; Angelum ad duo posse comparari; Primò ad Deum, qui secundum excellentiorem modum semper considerari potest, & quasi ratiò producendi species rerum perfectiores, quæ ipsum imitentur. Quam variam excellentiæ rationem non possumus nos intelligere, nedum explicare sermone, etsi circumscriptionibus huiusmodi eam balbutiamus. Secundò ad res, quas in Deo exemplatas cognoscere possumus, vel eas in Deo videntes, vt beati, vel aliter earum cognitionem recipientes. Et respectu quidem primi, itemquè sui ipsius Angelus actualis immaterialitas est, tàm quoad substantiam, quàm etiam quoad operationem. At respectu aliorum non sunt eodem modo actualitas: ac si scilicet ex eorum natura effunduntur omnia principia essendi alia, sed tantum hoc modo; vt scilicet proportionaliter ad naturam suam, quâ Deo altiori, vel inferiori modo considerato assimilantur, debeantur eis principia talis cognitionis, quibus actu alia efficiantur. Et diuersitatis ratio patere videtur. Prius enim consideranda est substantialis perfectio, eiusquè latitudo gradualis, ex assimilatione substantiali ad deitatem, quàm latitudo, & gradus in potentia, & operatione,

sicut

ſicut ſubſtantia ante eius potentias, & operationes. Ratio verò diuerſi modi harum actualitatum ſumitur ex eo; quòd principium operandi reſpectu Dei, ſuiquè ipſius intrinſecum eſt, & ipſa Angeli ſubſtantia limitata, limitatioriquè modo habens rationem principij cognitionis: At reſpectu aliorum principium operandi non habet limitationem (cum ad innumera queat extendi) niſi quoad maiorem, minoremuè vnitionem, quatenus per ſpecies vniuerſaliores, vel determinatiores poteſt intelligere. Sicut & Cœlis omnibus eadem ſpecies motus, ideſt, circulatio conuenit; Variatio autem ſolum eſt penès velocitatem, ſitum polorum, & ſimilia, quæ ſibi varia ſinguli vendicant pro ratione naturarum ſuarum; quas nos non perfectè penetramus. Longè minus autem penetramus Angelos: ideòquè deſcribimus per eſſe ſeipſos, & alia vniuerſaliori modo, vel minus vniuerſali. Itaque ſiuè has, ſiuè alias ſpecies, hunc, vel alium Mundum creare Deus voluiſſet, dum Angelis conuenit ea eſſe, ac videre vniuerſaliori, vel particulariori modo prædicto; habetur ſufficienter ſpecifica diuerſitas ex ſubſtantiali priore graduatione ſumpta ex aſsimilatione ad deitatem ſub nobiliori ratione conſideratam. His præmiſſis ad rationem dicitur; Antecedente dato (potuit enim Deus velle creare Angelum vnicum, & nihil prætereà) nego conſequentiam ſimpliciter. Eſſet enim ex natura ſua actualitas: reſpectu Dei, & ſuimetipſius.

Dices. At reſpectu aliorum non erit actualitas. Reſpondeo ſimpliciter loquendo concedatur. Hoc enim non eſt eſſentiæ conſtitutiuum; nequè fluunt ab eſſentia principia, quibus eſſet alia: ſecundum quid autem, ideſt, ſecundum modũ, quo ſibi cõuenit eſſe alia, eſſet eſſentialiter actualis. Vendicat enim ſuaptè natura, vt ab extrinſeco Auctore Deo ſpecies magis, aut minus vniuerſales imprimantur; nec talis modus ex decreto libero Dei naſcitur.

Ad confirmationem. Dato antecedente; diſtinguo conſequens, ſcilicet: Ergò non requirit ex natura ſua ſpecies determinatas primo modo, ſcilicet, has, vel illas; & tunc verum

verum conſequens optimè deducitur. Secundo modo non requirit determinatas, quoad maiorem, minoremuè vniuerſalitatem, & conſequentia negatur. Imò ſicut comparatione hominis competit omnibus Angelis habere ſpecies vniuerſales; ita comparatione mutua inter ſe, quò Angelus eſt ſuperior, eò debentur illi vniuerſaliores.

Ad tertium reſponſurus præmitto quædam, Primum: Licet eſſe omnia alia longè inferiori modo homini, quàm Angelo, ac Deo conueniat; eſt tamen hæc hominis actio finis vltimus omnium rerum corporalium. Et prima dicti pars breuiter declaratur. Nam Deus eſt omnia ſimpliciter actu ex ſeipſo: Homo omnia ſenſibilia in pura potentia, & reliqua ſecundum quòd à rebus ſenſibilibus accipere, ex eiſquè expiſcari poteſt: Angeli in hoc medio ſunt omnia naturalia aliquo tempore futura, non à rebus, ſed à Deo cum natura ſcientiam omnium accipientes.

Secunda huius dicti pars declaratur. Quia quamuis vniuerſum totum ſit principalis, ac per ſe primò intentus Dei effectus; eius tamen partes ita inter ſe comparantur, quòd Angeli nulla omninò re corporea indigeant (ſiſtendo in puris naturalibus, ſcilicet:) nequè ipſi ad corpora, nequè corpora ad ipſos (vt ad fines, vel ad media) Angelis neceſſaria ſcilicet ordinentur: cum & eſſe, & beati eſſe poſſint ſine vllo prorſus corpore, vti quidam etiam Eccleſiaſtici Patres ante omne corpus creatos fuiſſe exiſtimarunt. Anima verò rationalis, quæ inter intellectiua vltima eſt, totius corporeæ naturæ finis eſt: Quia ad operationem ſuam, ac fœlicitatem etiam naturalem conſequendam eiſdem rebus ſenſibilibus, vt medijs omninò neceſſarijs vtitur. Cum enim pura potentia ſit, egeatquè proindè, tùm ſenſu à ſenſibilibus ſuſcipiente ſpecies, tùm ſenſibilibus eaſdem impreſſuris; neceſſe fuit corpus ei ad iſta proportionatum aptari, & conſequentur elementa, ex quibus conſtitueretur fieri, & propterea Cœlos, cum elementa ſine Cœlo, incorruptibili, ſciticet, corpore, conſiſtere non poſſunt. Quia ſicut 8. Phyſic. dicitur, ſi omnia eſſent corruptibilia, nullum corruptibile eſſet: eadem-

…emquè ratione cætera fieri oportuit ad hominis vitam …onseruandam, &c. Et recolendum insuper est illud: …ntellectum humanum à phantasmatibus, ideòquè à sen…ibilibus non solum initio operationis, cum recipiendæ …unt species, dependere, sed aliquo modo etiam perpe…uò, dum vitam hanc viuimus; quoniam semper oportet intelligentem phantasmata speculari. Quapropter verè dixit Aristot. 2. Physic. Esse nos omnium quodammodo finem. Sed illud quod dixit D. Thom. 3. contra gen. c. 97. in fine mirabile, sed verum est; videlicet. Omnia humana studia suaptè natura contemplantibus veritatem deseruire; quod ita debet intelligi: vt omnia omninò corporalia, tamquam propria media, in homine, atquè per hominem (qui sicut cætera omnia est propter suam operationem) contemplationi veritatis deseruire dicantur.

Corollarium autem valdè notabile infero ex hoc dicto: scilicet productionem specierum opus esse perfectiuum intellectus, quatenus intellectus est. Quamuis enim producantur species in sensibus; in hunc tamen finem producuntur; vt in intellectu recipiantur. Imò cum producantur species, quæ non solum extrinsecorum accidentium sunt similitudines, sed etiam eorum, quæ interioribus sensibus percipiuntur, quin etiam particularium substantiarũ, quæ percipiuntur à cogitatiua, vt iã supra declaratum fuit, (qua rõne vocatur intellectus passiuus) idquè in hunc finem, vt ex eis intellectus agens eliciat speciem vniuersalẽ quod quid est cùm accidentium, tùm substantiarum, & harum magis, quàm accidentium; patet harum specierum productionem opus propriè, ac primaria intentione esse institutum ad intellectus, quatenus est intellectus perfectionem. Quo fit vt meritò Angeli non accipiant à sensibilibus, quia non à corporalibus; quia non debent à corporibus perfici, cum quibus (si stetur in naturalibus) nullam habent communicationem.

Tertiò. Notandum est. Actionem productiuam speciei repræsentatiuæ, sui in alio non videri conuenire corporeis ex separatarum substantiarum participatione, nisi ra-

tione primæ substantiæ illimitatæ, quæ Deus est. Cuius dicti plures sunt rationes.

Prima. Nam respicit, perficitquè intellectum, vt intellectus, quem à solo Deo esse inde patet; quia ab anima fluit immateriali, vt immaterialis, ac immortalis est. Consequentia probatur. Nam vti materiam subiectam, ac formam oportet esse proportionata; ita & agens, (cuius agentis inquam forma introducenda est similitudo,) & formam productam oportet esse proportionata, eiusdé scilicet generis: Adeò vt formæ productio reducatur in agens, aut eiusdem, aut superioris ordinis perfectiuum subiecti per huiusmodi formam.

Secunda ratio. Substantijs à prima distinctis non conuenit secundum se intentionaliter quidpiam perficere; ergò id corporibus eorum participatione conuenire non potest: Consequentia videtur manifestissima. Nam participatio supponit in eo, à quo participandum est, illud idem, quod participatur. Antecedens verò probatur; substantiæ enim separatæ aliæ à prima non habent vim supra corpora, nisi ad motum localem, & consequenter non ad formalem mutationem per species.

Tertia ratio. Productio specierum intentionalium conuenit corporeis secundum supremum sui: ergò secundum illud, in quo à solo Deo dependent. Antecedens probatur, quia esse perfectiuum intellectus, quatenus est intellectus, corporeis non potest aliter conuenire: Tale autem perfectiuum est productio harum specierum, vt paulò ante declarauimus. Consequentia probatur: nam Cœli, & elementa secundum propriam substantiam suam corpoream à solo Deo dependent, vtpotè principales partes vniuersi, & incorruptibiles, vel secundum totum, vel etiam secundum singulas partes: ergò multò magis à Deo dependebunt secundum id, quod est in eis supremum, quidquid sit illud.

Quarta ratio. Quod spirituale, omnibusquè corporeis commune est, oportet reduci in spirituale principium commune omnibus; præsertim si ita spirituale sit, vt totam rei substantiam contineat, etiam non

factibi-

factibilem ab vlla creatura: Quo modo hæc propositio videtur per se nota. Atqui talis est hæc specierum productio, quia repræsentant speciem totam, Cœlorum etiam, qui à solo Deo creantur: ergò oportet eam in tale principium spirituale commune omnibus reduci, & consequuntur in solum Deum:

Sed instabitur. Si corpora ex Deo participant vim producendi species istas: ergò necessariò dicendum videtur eam participari à substantijs separatis; quoniam quicquid perfectionis est in inferiori natura, naturæ superiori negandum non est.

Respondetur negando, consequentiam, & ad probationem respondetur, illud assumptum: Quod est perfectionis in inferiori superiori tribuendum esse, intelligitur, vel idem formaliter, vel aliquid perfectius. Habent autem separatæ substantiæ aliquid melius, scilicet omnes species rerum creandarum, easquè ab initio suæ creationis; vndè, nequè opus est eas in alijs sui speciem producere, aut ab alijs recipere.

Quòd si quis arguat: habituras saltem vim producendi in seipsis species aliarum rerum, quod principaliter intenditur.

Respondetur negando, consequentiam; tùm quia ex limitatione substantiæ impediuntur producere similitudinẽ aliorum, quo ad propria, cum nec virtualiter illa contineant, præsertim superiora; tùm quia creaturæ corporeæ non participant hanc perfectionem, producendi scilicet aliorum species in seipsis, sed sui in alijs. Vndè, ad propositionem dicentem, quod perfectionis est in inferiori tribuendum esse superiori, hoc, de quo instatur, non facit ad propositum.

Tertiò notatur postremò, magnam esse differentiã inter productionem similitudinis sui ipsius in alio, & similitudinis aliorum in seipso, Nam primum pertinet ad pariendam in alio cognitionem de se: secundum verò, ad habendam cognitionem de alijs; & vt dici solet; primum infert cognosci ab alio; secundum verò cognoscere alia; ideò corporeis creaturis vniuersaliter loquendo, primum

conuenire potest, non secundum. His præmissis euacuatũ, prorsus est tertium argumentum: patet enim solum Deũ esse, cuius vim participant corpora; vndè consequentia ad Angelos est omninò nulla.

Ad confirmationem facilè respondetur negãdo, vltimã consequentiam: vt enim nequit inferri, posse informari corpus ab eis magis, quàm ab anima, licet eam præcellãt, ita nequè posse has in se species producere. Nam hæc perfectio conuenit animæ ex sua imperfectione admixta; siquidem ita intellectualis est, vt pura potentia sit ad se, ad Deum, & ad omnia alia cognoscenda, & consequuntur ad naturalem suam fœlicitatem consequendam. In Angelis autem hæc imperfectio non reperitur: imò, si non superadderetur superior gratiæ ordo, naturaliter essent beati, se, & in se Deum necessariò semper intuentes, & naturaliter eum super omnia amantes. Ideò animabus dari oportuit hanc vim producendi principij suæ actuationis, Angelis non oportuit; præsertim, quia melius est hanc perfectionem sibi ex naturali (licet passiuo) principio debitam habuisse semper, quam eam sibi acquirere tantis difficultatibus, & periculis, & erroribus frequenter admixtis, quod facit anima.

Ad quartum respondetur, dato antecedente, negatur consequentia. Non est enim par ratio; nam perfectio hæc tanta voluntatis illimitationem non infert, quam conuincit intellectus species ex se se producens. Quia cum sit eadem ratio de 100. 1000. & qualibet alia; innumeras deberet producere, &c. Adde longè altius disponi Angelum ex intellectu completo actuali, necessariaquè notitia Dei, & sui, ac debito habendi semper actu species repræsentantes vniuersum; quàm ex voluntate corporea mouente localiter. Vndè non est necesse omnem perfectionem in eius intellectu fingere siuè habere eam possit, siuè non possit.

Ad quintum respondetur primò, productionem hanc specierum totius vniuersi esse quidem accidens naturale, ac limitatum, ideòquè à Deo fieri posse; at non posse esse vlli creaturæ connaturale. Nam videtur implicare con-

contradictionem; quòd aliqua creatura omnium aliarum creaturarum ex proprijs principijs producat similitudinem, sicut & quod eas omnes secundum propria contineat.

Secundò respondetur. (& si in idem videtur redire) productionem specierum repræsentantium vniuersum esse quidem limitatum accidens: cæterum si ex principijs naturalibus rei necessariò, ac naturaliter prodire debeat,(& consequenter quantum potest,) non posse ex natura rei ad huius vniuersi potius, quàm alterius productionem intelligibilem limitari;& ideò ex hoc modo procedendi, hanc productionem esse infinitum quoddam accidens, ac proindè nulli creaturæ esse connaturale.

Tertiò respondetur. Esto hoc accidens de potentia Dei absoluta possit esse connaturale alicui; est tamen voluntarium id Angelis tribuere; cum efficaciter demonstratum non sit. Quo circa vltima consequentia negatur. Et ad probationem dicitur facilè posse nos abuti auctoritate illa D. Dionysij; atquè ex ea innumerabilia Angelis tribuere. Vndè phas illud, efficaci debet ratione confirmari.

Et hæc quidem videri possunt dicta de quæstione ista diffusius, quàm desiderari soleat; arbitror tamen non absquè vtilitate adducta fuisse tàm multa, sicut neque sine ratione prælectam Capreoli, & Caetani opinionem, ac nouo modo, eoquè non ineleganti illustratam. An verò probabiliter; & acutè satis pro dignitate rei, vtraquè sententia fuerit pertractata aliorum iudicinm expectamus, nè (quod est frequentissimum) in proprijs decipiamur. Interim Deo de omnibus ab eo acceptis gratias perpetuò agimus, atquè vniuersis vobis auditores de tam grandi, benignaquè attentione, qua nos supra omne meritum nostrum honorare voluistis.

A. R. P. M.
F. PETRIPAVLI
PHILIPPII

De Castronouo Caseronianæ, Ordinis Prædicatorum,

Sacræ Theologiæ in Academia Perusina Regentis, & Sanctissimæ Inquisitionis Consultoris.

RELECTIO SECVNDA.

DE ACTV AVGVMENTATIVO Charitatis.

CVM multæ sint difficillimæ, atquè permultæ etiam vtilissimæ quæstiones in Sacra Theologia, Viri nobilitate, & doctrina perillustres, qui summa hac vestra benignitate ad audiendum me conuenistis: nulla fortè est, cuius tractatio tàm multam contineat simul, & difficultatem, & vtilitatem: certè nulla est, quæ simul amplectatur discussionem rei, quæ ad mores nostros, & ad animum illustrandum pro quærenda perfectione virtutis maiores stimulos, & lucem afferre possit; & Philosophicis subtilitatibus æquè tamen abundet, ac ista disputatio de eo actu, quo Charitas in nobis augetur. Nam, & Apostolus excellentiorem viam hanc demonstrabat, & pro Philippensibus id orabat potissimũ, vt eorum Charitas abundaret magis, ac magis. Quem

locum

locum cum relegendũ suscepisset Hispaniæ,imò totius orbis splẽdidissimũ lumen illud P.F.Franc. à Vict.M. tã multis implexum cõperit circa hanc quæstionẽ difficultatibus;vt fateretur se potius dubiũ remanere,nescirequè difficultates expedire,quas pateretur præ alijs à se electa opinio S. Doctoris. Sequuti sunt post eum alij perillustres eiusdem, & aliorum ordinem Doctores; qui aut plus nimio Charitatis augendæ facilitatem docuerunt,aut difficultatem exaggerauerunt: Vt inter tantos viros non solum arduum sit, sed videatur temerarium velle iudicium de eorum ferre sententijs, aut noui quippiam afferre; quod à splendididissimis ingenijs, quasi prætermissum fuerit. Ego tamen etsi mihi conscius, quàm nec elaboratum eloquentia, nec arte perfectum, nec ingenio adinuentum acutius afferre possim; imò quantum meæ tenebræ ab hiscè syderibus distent, arbitratus sum, non vobis futurum esse molestum; si grauissimam hanc difficultatem vobis eam ipsam petentibus proponerem. Nam si quid ei lucis afferre concessum nobis à Deo fuerit, lucem illam inaccessibilem glorificabitis, cuius est è tenebris lucem eruere. Si tantum assequi non poterimus; gratus vobis animus noster erit,qui voluntati vestræ, cum sui honoris periculo, vobis promptissimus morem gessit. Et excusabimur apud omnes, si pro dignitate rei imbecillitas nostra tantam quæstionem non tractauerit. Sed interim.

Vt quò fieri potest, & dilucidè, & breuiter in hac materia procedamus, quæ non potest non parum longior esse, primum proponere volo aliorum celebriores opiniones, deindè,quam ego probem sententiam, aperire; & postremò pro mea virili eam defendere ab oppugnantibus.

Est igitur opinio prima Aragonensis P. Fr.Petri Ordin. D. Augustini sequentis Gabrielem, & nominales à Francisco à Victoria in relectione sua citatos; qui ad ad Diuũ Thom. 22.24.6 tria dicit: quæ singillatim prosequimur.

Primum dictum. Quolibet actu charitatis æternæ vitæ præmium, & charitatis augmentum meremur. Cuius

hæc sunt præcipua fundamenta. Primum: Nam ex Scripturis habetur expræsſè ſingulis charitatis operibus promitti præmium vitæ æternæ; ergò dictum iſtud de fide eſt, nedum verum. Antecedens patet tritis ſententijs. Matt. 20. Voca operarios, & redde illis mercedem ſuã. 1. Cor. 3. Vnuſquiſquè recipiet ſecundum ſuum laborem. Pſal. 61. Quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua. Et longè prius Abrahæ dictum à Deo fuit. Gen. 15. Noli timere: ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.

Secundum. Singulis quibuſquè operibus charitatis meremur augmentum iuſtitiæ animam per inherentiam iuſtificantis: ergò quolibet eius actu augetur charitas. Antecedens probatur auctoritate Concilij Tridentini, Seſſ. 6. cap. 10. & Can. 32. cuius verba inferius ponentur. Conſequentia probatur. Quia non poteſt Iudex iuſtiſsimus non reddere benè operanti mercedem meritorum ſuorum.

Tertium. Deus pro ſingulis peccatis damnatum in Inferno nouo ſupplicio punit, ac proprio. Ergò multo magis in Cœlo beatum, & in hac vita benè operantem ex charitate remunerat pro ſingulis operibus nouo, ac proprio præmio. Antecedens conceditur ab omnibus. Conſequentia probatur. Nam largior eſt Deus in remunerando, quàm in puniendo.

Quartum. Petrus in tertio gradu charitatis, actu eam excedente, verbi gratia, vt quatuor meretur augmentum charitatis, & de facto eius charitas augetur, etiam ſecundum opinionem aduerſantium. Ergò factus auctior, ideſt eleuatus ad quartum gradum, charitatis actione ſimiliter, vt quatuor merebitur, & charitas augebitur. Conſequentia probatur. Alioquin ex augmento charitatis actus ille efficietur peioris conditionis; ſiquidem non meretur, nec gratiam augebit.

Quintũ. Si non omni actu gloriæ, & charitatis augmentũm meremur, ſed ſolum inteſiore, ſuperante ſcilicet charitatem, quæ eſt illius actus principium; ergò maior pars vitæ hominum, quin potius ferè tota tranſigitur ſine merito. Hoc non ſolum eſt falſum, & contra tritum Illud

D. Gre-

D.Gregorij dictum; Nequè etiam somnus Sanctorum vacat à merito; sed videtur etiam piarum aurium offensiuũ. Consequẽtia probatur. Quia communis fidelium vsus ita habet, vt non intensius operetur.

Confirmatur. Ex sententia opposita, sequitur primò, Iustos in hac vita non crescere (communiter loquendo) in charitate contra illud. Semita Iusti quasi lux splendet, crescit vsquè ad perfectam diem.

Secundò sequitur. Absterreri homines à bonis operibus, dum audiunt ea remuneranda solum, quæ fuerint intensiora.

Secundum dictum. Quemlibet actum charitatis, etsi remissum, statim sequitur augmentum charitatis promeritæ. Hoc probatur argumentis sequentibus.

Primum. Statim post remissum etiã, charitatis opus, homo est formaliter acceptus ad maiorem gloriam, quàm prius. Ergò habet maiorem gratiam, & charitatem. Antecedens probatur. Nam scripturæ passim operanti bonum promittũt gloriam; ergò per illam regulam vsu tritã. vt simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximè ad maximè, plus operanti, plus gloriæ promissum intelligitur, & consequenter acceptatur ad maiorem gloriam. Consequentia probatur. Quoniam formalis acceptatio est gratia; seu, Gratia est, qua homo est formaliter acceptus ad gloriam.

Secundum. Augmentum gloriæ non pendet ex actu intensiore, sed solum ex meritorio: ergò posito merito statim habetur gratiæ, & charitatis augmentum. Probo sequelã. Deus non tardat promissionem suam. ex 2. Petr. 2. Antecedens probatur. Augmentum gloriæ non pendet ex actu intensiore, vt patet ex Scripturis gloriam promittentibus operanti ex charitate, nulla omninò facta de intensiore actu mentione: ergò nequè gratiæ, & charitatis: Nam hæc tria æquis passibus procedunt, vt modò suppono.

Tertium. Eò ipso, quis est melior, quò pluribus abundat meritis. Ergò eò ipso habet charitatem maiorem. Probo antecedens. Hoc ipso est plus à Deo dilectus. & maio-

maiorem ei gloriam, ac bona Deus vult: ergò est melior. Amor enim Dei, causa est boni in eo, qui amatur. Probo consequentiam. Homo est bonus formaliter per gratiam, & charitatem; ergò oportet, quò melior est, eò maiorem gratiam, & charitatem eum participare.

Quartum Meritum est tota, ac sufficiens dispositio ad gratiam, & charitatem augendam; ergò posito merito charitas statim augetur. Antecedens probatur (nam consequentia clarissima est.) Primò Augmentum charitatis est merces sub merito cadens comparatione Dei retributoris iustissimi, & fidelissimi promissoris. ergò nihil aliud exigit, præter meritum sui, vt retribuatur. Secundò probatur idem Antecedens. Si quid præter merita requireretur, esset actus intensioris dispositio, vt patet ex opinione contraria. Sed hunc actum non requiri probo tripliciter. Primò, quia in Scriptura, vel Concilio Tridentino de his tractante facta mentio eius fuisset aliquandò ad hominum eruditionem perutilissimam, quam non conuenit credere à Spiritu sancto prætermittendam fuisse.

Secundò. Hæc dispositio ibi requiritur, vbi disponens formam efficit, ad quam disponit; aut saltem effectiuè concurrit ad effectum principalem. At ad gratiam, vel ad hominem iustificandum non concurrit homo effectiuè, vt suppono etiam cum sententia contraria; ergò in hoc augmento non requiritur hæc dispositio. Maior probatur (si id quisquam postulet) Nam disponere est agere: ergò dispositio concurrit quasi actio, qua disponens efficit· ergò vel ipsam formam, vel saltem totum principalem effectum. Vnde & homo disponens ad animam rationalem, quàm tamen non efficit; attamen effectiuè hominem producit. Tertiò probatur. In rebus adeò diuinis nihil debet inutile, ac superuacaneum asseri. At hæc dispositionis ratio esset inutilis (hæc inquā ratio dispositionis, qua actus remissus dicitur dispositio remota, ac propterea indigere, vt succedat dispositio proxima actus intensioris) Et maior non eget probatione, licet sit in promptu ex eo, quòd in naturalibus longè scilicet inferioribus, nihil reperitur inutile, ac superuacaneum.

neum. Sed minor probatur. Actus remissus vtilis dispositionis rationem, remotè tamen habet. Ergò vtilis erit hæc dispositio, ad aliquem gradum particularem. (Puta 1.3.10.20.) charitatis. Hoc falsum, ergò non habet rationem vtilis dispositionis. Probatur consequentia; quia omnis dispositio, omnisquè disponens ad certum aliquem finem disponit; quia agit, & agentis oportet esse certam intentionem determinati finis, vt habet etiam Sanctus Doctor p.7. 3. Falsitas probatur. Nam per opinionem contrariam qualescunque præcesserint actus, remissior, remississimi, aut adæquati etiam charitati operanti, nihilominus mensura augmenti sumitur ex solo actu intensiori. Exemplum est confirmans argumentum istud. Petrus in decimo gradu, vti & Andreas constitutus, sed operans remissè, vt 6. vel 10. ex Dei liberalitate prorumpit in actum intensiorem, vt 25. Eius charitas apud aduersarios efficitur, vt 25. At Andreas operatur adæquatè actus plures, vt decem. Sed ex Dei libera voluntate prorumpit in actum intensiorem, vt quindecim eius charitas eisdem contrariæ sententiæ Auctoribus efficitur, vt quindecim. Eccè igitur quòd illi actus sunt omninò superuacanei, quoad rationem disponendi pro augmento charitatis.

Quintum. Si ad augmentum charitatis consequendum intensioris actus exigitur dispositio, non potest actus remissi, & adæquati meritum præmio suo, augmento scilicet charitatis, remunerari. At hoc est inconueniens; ergò Minor, seu inconuenientia assumpta probatur. Irrationabiliter dicitur sub merito cadere, quod non potest reddi in præmium; quia meritum, & præmium sibi correspondent. Et licet aliquandò præmium ex propria præmij ratione spectet ad aliam vitam, vt beatitudo, ideòquè differatur redditio eius; tamen præmium augmenti, quod pertinet ad hanc vitam, in qua crescere possumus, in hac vita debet posse reddi, si cadit sub merito. Conditionalis propositio probatur. Totum augmentum charitatis cadit sub merito intensioris actus, & tanquam eius præmiũ redditur; ergò alij actus adæquati, & remissi non possunt

hoc

hoc præmio augmenti remunerari. Quòd si dicas eos remunerari eodem præmio, quo, & intensior: Contra dupliciter. Primò. Meritorius actus ex ipsa natura sua non sibi vindicat carere merito proprio, (esto id illi eueniret ex aliquo extrinseco, seu extraneo. Vt de Christo Domino Nostro, dicitur omnes eius actus præmio eodem remunerari, quia ob dignitatem personæ infinitā quilibet actus præmium totum tamquam proprium merebatur. At per istam opinionem hi actus adæquati, ac remissi carebunt proprio sibi præmio augmenti: ergò non erūt meritorij. Et consequenter opinio ista dicens eos esse meritorios implicabit contradictoria. Maior apertissimè patet. Nam implicat ex sua natura quid inclinari, seu ordinari in aliquid, & ex eadem natura non posse illud obtinere; sicut implicat naturam inclinari, vel òrdinare ad impossibile. Minor etiam patet, quia dicit ex actus remissi natura nasci, quòd sine intensiore actu non possit habitus charitatis augeri.

Secundò. Meritum, & præmium sunt proportionata, & correlatiua ex communi consensu omniū. Ergò quodlibet meritum speciale ex sua natura speciale præmium sibi vindicat: alioquin certè non erunt proportionata, si præmium ad sui consecutionem duplex exigit meritum. Confirmatur. Hoc augmenti charitatis præmium, exigit actus intensioris meritum, vt ait opinator. Ergò actus adæquatus, & remissus Charitatis non possunt illud mereri Et consequenter; nō erunt meritosij simpliciter augmenti charitatis contra expressam diffinitionem Tridentini Concilij dicta Sess. 6. Can. 32. Consequentia videtur apertissimè nota. Quo enim modo sub merito actus cadit illud, quod præter illum actum aliquid eo amplius, ac superius exigit? An non patet euidenter non esse illi actui proportionatum, cum ipsum excedat, exigatq; alium præstantiorem?

Sextum. Moriatur Petrus in quarto gradu gratiæ, & cū mille remissis, vt tria, vel adæquatis actibus: certum est rececepturum eum fore gloriam maiorem, quàm si sine illis actibus esset mortuus, aut cum quinquaginta,

vel

vel centũ ſolis: ergò habebit maiorem charitatem. Currunt enim æquis paſſibus gratia, gloria, charitas. At non eam comparauit ſibi in Cœlo: ſed ex hac terra, non excifuram, ſed perficiendam portauit. ergò.

Tertium dictum huias ſententiæ eſt. Augmentum charitatis in præmium meriti reddi ſecundum totam meriti ſui latitndinem, ſiuè actus intenſior ſit, ſiuè remiſſus; non ſecundum aliquam eius partem. Probatur hoc dictum tripliciter.

Primò. Charitas augetur ſecundum meritum, non ſecundum rationem diſpoſitionis intenſioris, vel remiſſi actus, ſeu diſpoſitionis remotæ, vel proximæ; Ergò eius augmentum fit iuxta latitudinem meriti, non iuxta exceſſum diſpoſitionis ſupra præexiſtentem charitatem. Conſequentia videtur enidentiſſima, Antecedens probutur. Alioquin non eſſet Deus in verbis ſuis fidelis, qui nulla de intenſiore actu facta mentione operibus bonis etiam minimis, qualis eſt calix aquæ frigidus propter Deum datus mercedem ſuam promiſit.

Secundò. Cum intenſione actus coniungi poteſt meritum minus: ergò iſte actus ratione maioris intenſioris erit magis præmiandus, iuxta aduerſantium ſententiam, & erit minus præmiandus ſimul ratione minoris meriti. Conſequentia, & implicatio in adiecto conſequentis videntur euidentes. Antecedens probatur. Nam contingit intenſiſsimo animo miniſtrare infimo, & martyrium animo valdè remiſſo ſubire.

Tertiò. Gloria eſt merces reddita ad pondus operi; Ergò reſpondet latitudini toti operis meritorij: ergò etiam gratia, & charitas, quæ cadit ſub merito, & tamquàm merces redditur operanti ratione ſui operis. Antecedens probatur primò, valdè efficaciter ex Diui Pauli verbis, ad Roman. 2. Ijs quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & incorruptionem quærunt, vitam æternam. Illud ſiquidem verbum, ſecundum patientiam boni operis, bonæ actionis latitudinem indicat. Secundò probatur efficacius ex illo Pauli 2. ad Cor. c. 4.

Id enim, quod in præſenti eſt modicum, & lene tribu-

lationis

lationis nostræ (en operationem) supra modum æternæ gloriæ pondus (audisnè etiam ipsum, quod in antecedente sumpsimus verbum?) operatur in nobis.

Tertiò probatur efficacissimè. Ez illo. 2. Timoth. 4. Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die, iustus Iudex; non solum autem mihi, (vt scilicet intelligatur vniuersalis promissio) sed ijs, qui diligunt aduentum eius. Iustitia profectò coronæ redditæ, Iudicisquè reddentis æqualitatem importat inter opera præstita, eorumquè coronam. Consequentia verò primum ex opposito patet; ex quo sequeretur mercedem operi non respondere ad pondus. Secundò autem, ex illo trito axiomate gloriam, charitatem, & gratiam paribus passibus progredi.

Et hanc sententiam videntur profectò hæc argumenta fecisse probabilem non parum Auditores doctissimi.

Sed eò probabilior apparebit; si ea, quæ contra illam argumenta, quasi tela, ac sagittæ iaciuntur, facili negocio euanida esset monstrêtur. Sic itaquè quarto loco probatur conclusio, & sententia ista tota.

Quartò. Non est aliqua ratio, qua necessaria probetur esse hæc dispositio actus intensioris. Non est igitur asserenda, nec discedendum ab aperta diffinitione Concilij Tridentini statuentis actibus à iusto, tamquam viuo Christi membro per Dei gratiam, & meritum Christi Domini factis mereri eum augmentum gratiæ, & nihil insinuantis omninò de actus intensiotis necessitate: Præsertim cùm de eo nihil omninò referatur ex antiquis Patribus Sanctis. Consequentia videtur manifestissima. Et antecedens probatur afferendo, soluendoquè rationes, quæ opponuntur.

Ratio prima est, quæ ex Diuo Thoma sumitur 22. 24. 6 Videlicet augmentum charitatis fieri ad instar naturalis augmenti animalium; in quo talis dispositio remota proximam exigens reperitur, vt ibi declaratur.

Ad hanc Petrus respondebit, multipliciter. Et primò, Assumptum etiam in naturalibus quibusdam formis pati diffi-

difficultatem. Sunt enim quædam formæ, quæ intenduntur fortè continuè fine tali proximæ dispositionis sequentis remotam necessitate, vt apparet in illuminatione, cuius subiectum summè per diaphaneitatem dispositum continuè fit luminosius ad continuum Solis ascendentis motum localem.

Secundò respondebit. Rationem supponere id, de quo dubitatur, actum scilicet intensiorem esse proximam dispositionem ad augmentum charitatis, & ad idem omninò charitatis augmentum, actum remissum esse dispositionem remotam. Imò verò ad augendam charitatem meritum ex ipsa charitate nascentis operis tota, ac sufficiens ratio probata est.

Tertiò respondebit, illud opinionis contrariæ proloquium propositum, Augmentum charitatis fieri ad instar augmenti naturalis; si vniuersaliter asseratur, ab istis etiã ipsis negari. Qui nolunt actu intensiore efficienter charitatem augeri; quod tamen dispositioni naturales formas augenti concedunt. Si verò particulariter; argumentũ peccabit & in forma, dum procedit ex maiori propositione particulari, & aliquo modo in materia, quia non redditur ratio, cur in hoc assimiletur; esto redderetur, cur non assimiletur in altero.

Secunda ratio est. Actio fieri non potest ab inæqualitate minoris perfectionis, ergò argumentum charitatis per actum ea remissiorem fieri non potest. Respondebit. Ridiculam videri rationem, & consequentiam. Vbi enim quid non concurrit efficienter; quid mirum si maior virtus effectiua non requiratur? In augmento autem charitatis nullus actus, ne intensior quidem, efficienter concurrit.

Tertia ratio. In prima hominis iustificatione requiritur dispositio ad gratiam, & quædam reperitur remota, quædam proxima; ergò requiritur etiam in eius augmento. Antecedens ab omnibus conceditur; consequentia probatur ex paritate rationis.

Respondebit. Argumentum vehementer falli in assumpta paritate rationis ad consequentiæ probationem. Imò

verò

verò magna disparitas est. Nam cum homo primò iustificatur, extra gratiam est. Ideò primam gratiam repugnat esse ex meritis, nec potest meritum esse dispositio ad obtinendam gratiam primam. At quandò hominis augetur gratia, supponitur iam gratia inesse: vndè augmentum sub merito cadere potest, & meritum potest dispositio esse sufficiens, ac proxima ad augendam gratiam.

Quarta ratio est. Sententiam hanc, si vera sit, inferre; ingentem fore statim copiā & vltrà mensuram, charitatis auctæ contra sensatam experientiam. Si enim Petrus semper adæquatè gratiæ suæ operetur, & secundum latitudinem meriti charitas augetur: primo actu efficietur duorum graduum; secundo, quatuor; tertio, octo; quarto, sexdecim; quinto, trigintaduorum; sexto, sexagintaquatuor graduum; & consequētur sic singulis diebus, hoc modo operando adæquatè vnicum actum, intra mensem crescet supra modum; intra annum verò, ferè incredibiliter. Quid ergò dicendum de eo, qui non vnicum quolibet die, sed centenos elicuerit tales actus? quid de eo qui isto modo operando longam duxerit vitā, vt de multis Sanctis pijssimum est credere? Specialiter de Apostolis, qui à die Confirmationis suæ per aduentum Spiritus Sancti ad 40. & plures annos vixerunt? de Sancto Ioanne Baptista, de quo canit Ecclesia, ne leui saltem maculare vitam famine posset antra deserti fugientem petijsse adhuc sub teneris annis; De Beatissima Virgine, de qua certum est sine vlla culpa vixisse, & opera præstitisse, super egregia. Et hoc argumentum Bagnes adduxit contra sententiam istam, sumptum ex Victoria, qui ipsum mirificè amplificat: & certè difficillimè solui potest. Attamen respondebit Petrus. Primò negando communiter ab hominibus ea præstari opera frequenter, quæ meritoria sint. Nam ad meritum præsupponitur moralis bonitas, quæ & obiectum bonum, & finem, & omnes debitas circumstantias exigit; cum bonum ex integra causa constet, malum ex singularibus defectibus. Si enim verè ait Iac. 3. cap. In multis delinquimus omnes, non est tàm frequens meritorum copia.

Secun-

Secundò respondebit. Longè rarius operari homines adæquatè ad gratiam suam communiter loquendo; præsertim cum ad quandam peruenerit maiorem latitudinem, verbi gratia, quadraginta, vel sexaginta graduum. Communiter enim videmus homines remissiores esse in operibus suis, præsertim quæ laboriosiùs præstantur. Itemquè rarissimos videmus ea cum circumspectione viuere, aut attentione vacare operibus, quæ requiritur, vt actus prodeat charitati suæ coæqualis.

Tertiò respondebit. Non videri inconueniens, si negetur charitatem semper æqualem sibi actum in hac mortali vita habere posse. Nam cnm millesimum gradum ascenderit, quis credat elicere posse actum, vt mille intensum? Et cum Victoria hoc redarguit; quia ideò charitas, & quilibet habitus dicitur, vt octo, quia producere potest actum intensum, vt octo, ita dicetur millesima, quia actum, vt mille intensum producere potest. Distinguo consequens. Dicitur millesima. Quia potest quantum ex ea pendet, producere potest intensum vt mille concedo: quia absolutè, & simpliciter potest adeò intensum actum producere: nego consequentiam; Impeditur enim ex subiecti conditione. Et habet hæc responsio magnum fundamentum in simili, quod de gratiæ dicitur attributo. 1. Ioan. 3. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Sicut enim hoc intelligitur de gratia Dei, quantum ex ipsa dependet; & tamen ob arbitrij nostri fluxibilitatem (ehu me miserum) pecco plus nimiò in dies: ita quantum est, & dependet ex millesima gratia, & charitate, elici potest amor intensus, vt mille; sed debilitas humanæ mentis correspondere non valet tantæ excellentiæ in operando.

Quartò respondebit, non esse etiam inconueniens in sanctissima Virgine matre Dei Maria, in Sanctis Ioanne Baptista, Apostolis, alijsquè similibus viris supereminentem pro modo cuiusquè (cuiusmodi ponderator Dominus est, cuius donatione obtinetur) charitatem à Deo habuisse in operum suorum remunerationem. Voces enim

sunt quædam à Paulo prolatæ ingentem ostendētes cumulum charitatis: quibus similes ante Ægeam protulit Andreas, Ignatius in Epistolis, & alij Apostolicæ vitæ egregij imitatores. Quòd si ista quatuor responsa in vnū scias colligere; habebis fortè responsionem hanc difficillimam rationem euacuantem. Et tandem quintò. Respondebit non esse quærendum testimonium sensatum, quoad habitus infusos. Soli enim habitans, qui operibus nostris efficienter producuntur, experimentali cognitioni subijci possunt: nequè etiam actus sintnè supernaturales, an naturales experientia discerni queunt.

Quinta Ratio. Esto non operaretur semper adæquatè, certè operaretur, qui in charitate hoc modo cresceret, actus insensos valdè, & semper ferè; Vt millesima charitas, actum intensum vt centū, centesima actum vt viginti: ergo maximum citò cresceret augmentum charitatis, antecedens probatur; quia habitus inclinationem parit; & consequentur quanto habitus maior est, maiorem inclinationem: ex inclinatione autem maiore ad actum, nascitur actus intensior. Hoc autem nullus etiam pijssimus vir experitur. Imò & sanctorum actus quosdam hæroicos referri videmus à sanctis in auxilium specialissimum Dei.

Ratio est meritò à Victoria difficillima iudicata: respondebit tamen Petrus (quem certè miror ista silentio profundissimo præterijsse, quæ in Hispania omnibus peruulgata sunt ob Victoriæ celeberrimam opinionem) Antecedens dupliciter intelligi posse. Primò quòd de facto sic operaretur; & negatur in hoc sensu. Secundò quòd quantum est ex parte & meritis habitus charitatis, tali intensione operaretur. Et hoc modò conceditur; sed vt ex primo modò accepto antecedente consequentia valet, sic ex secundo modò penitus nulla est. Exemplum est: Quantum est ex parte gratiæ homo iustus non potest peccare: ergo homo iustus est impeccabilis, vel confirmatus, aut prædestinatus simpliciter; consequentia prorsus est nulla. Antecedentis autem probatio in secundo similiter sensu tenet, non in primo.

Sexta Ratio. Quam bagn. ex proprijs efformat. Sequitur

r ex hac sententia habitum Charitatis futurum semper tensiorem actu illo, quo augetur, quantumuis remissus, it intensus sit actus ille, hoc autem est inconueniens: rgò. Sequela probatur. Iustificetur Petrus in secundo radu Charitatis, & postea remissé operetur vt vnum: Charitas eius efficietur vt tres: item operetur actum vt uo, efficietur charitas, vt quinquè si opus faciat vt quinque intensum, charitas efficietur, vt decem, & si tunc operetur intensiorem actum, puta vt 15. charitas efficietur, vt 25. Et sic semper habitus excedet actum, & non mediocriter; Idquè necessariò, quia præexistenti charitati additur Charitas, quanta est latitudo noui operis eam augentis. Inconuenientia probatur. In prima Iustificatione hominis actus, & habitus, qui infunditur, sunt æquales: ergò & in reliquo Iustificatiouis progressu sunt æquales. Mirum inquit profectò est à primo Iustificationis instanti inter actum, & habitum æqualitatem ne posse quidem esse: nec facilè differentiæ huius rationem quis assignabit.

Respondebit autem Petrus facilè; magis se mirari Doctissimum Bag. quòd in propatulo positam rationem differentiæ nō aduerterit. Siquidem in prima impij iustificatione supponitur in subiecto gratiam nullo modo esse: ideòquè secundum latitudinem actus disponentis proximè infunditur habitus illi æqualis: at in augmento perseuerante hoc primò infuso habitu iterum infunditur habitus ad actus noui, qui meritorius, & vt sic dispositiuus est, ad dicti actus latitudinem æqualem, vti conuenit rationi dispositionis. Et propterea habitus retinens priorem gradum non potest amplius fieri actui nono æqualis.

Septima Ratio. Quam idem Bag. excogitauit. Sequitur ex hac sententia lumen gloriæ non posse æquari cum intensione actus, & habitus tali actu crescentis, quod est inconueniens. Sequela patet. Quod enim vni inæqualium æquatur, impossibile est alteri inæquali esse æqualem, alioquin adæquata vni tertio inter se non essent æqualia. Inconuenientia probatur. Gloria datur pro meritis: ergò principium gloriæ, idest lumen gloriæ esse debet æqua-

le, & merito, & habitui charitatis tale meritum consequentis

At verò Respondebit Petrus mirari se, quomodò Bag. non Considerauerit actum alio modo concuerrere, quàm habitum. Habitus enim Charitatis quid permanens est, ita vt nec etiam excidat in morte, cui lumen gloriæ, quod similiter res permanens est, adæquatur. At opera non permaneat in seipsis, sed solum in acceptatione diuinæ mentis. In hac ante diuinæ mentis acceptatione non manet solum actus, qui modo fit, sed & qui præcesserunt omnes: & ideò non debet adæquari lumen gloriæ huic actui nouo solum, sed & cunctis in se quidem præteritis, sed manentibus tamen in mente Dei remunerandis. Et tunc omnibus simul aggregatis actibus, & addito eo, quod sine vllo merito in prima iustificatione supponitur, erunt ipsi actus, Charitas, & lumen gloriæ inter se æquales semper.

Quarta Ratio, quam Achillem reputat Bagn. Sequitur ex hac opinione: inter Petrum vnico actu, vt quatuor merentem in instanti, & Paulum per diem, imò horam integram continuantem eundem specie actum meritorium, vt quatuor, esse distantiam (quoad mereri augmentum Charitatis) infinitam, & Pauli meritum supra meritũ Petri in infinitum crescere: quod apertissimè falsum esse supponitur. Et sequela breuiter probatur. Quia vt instans ad tempus infinitè distat, (vt vnicum ab innumeris, quæ in quolibet tempore continentur) ita meritũ, in instanti cõparatum, à meritò continuato per horam. Respondebit autem (in fallor) & facilè, & euidenter Petrus: Latere scilicet in argumento fallacium à sensu diuiso ad compositum. Nam quia in quolibet instanti esse põt actus aliquis voluntatis meritorius, & sunt in quolibet tempore instantia infinita; infertur opus continuatum per horam æquiualere actibus infinitis instantaneis, ac si non solum singuli illi actus instãntanei singillatim secundum se, separatimq; sumpti possint in instanti fieri, & esse; sed etiam coniunctim, simulquè in temporis continuatione successiua sumpti possint esse, & fieri in instanti quolibet continuante tempus illud. Sic enim in illo tempore cõcipi possunt fieri,

&

: esse actus correspondentes infinitis Instantibus tempo-
s. Et hæc est virtus argumenti, si attentè considere-
ır. Corruit verò funditus hæc ratio,cum negatur, non
finitos solum; sed ne duos quidem, fieri posse successiuè
bi immediatos in duobus nostri temporis instantibus:sed
portere alterum, saltem durare, per tempus, aut inter-
osita alicuius temporis quiete sibi succedere. Ex quo fit,
on posse in vllo determinato tempore esse actus infini-
s, etsi in seipsis sint omninò indiuisibiles. Quòd autem
:gauimus duos indiuisibiles actus posse immediatè sibi
ccedere sine spatio interposito temporis, à nobis alibi
:obatum est efficaciter; eò quòd ex opposito dicto se-
ıatur tempus nostrum ex instantibus componi, quod
ngo discursu in Physicis demonstratum est esse falsum.
Si contra Petrum sic respondentem instes, ergò saltem
ontinuatum meritum Pauli adæquandum fore quamplu
mis actibus, qui in instantibus horæ illius possunt exer-
:ri, vel à Paulo, vel à quouis alio, & quæras; quonam,
quanta intensione illi futuri sint. Respondebit; vtiquè
ultos; sed nec intensionem, vt quatuor, nec certum nu-
erum excedentes: eum verò numerum, qui sit, ad
:um pertinet scire, qui spirituum ponderator est,& re-
unerator meritorum. Et ex hoc patet rationabiliter di-
ab omnibus longè meliorem esse (cæteris paribus)
onditionem continuantis opus, quàm multiplicantis
tiones.

Verum enimuerò vos acutissimi Auditores, quàm
orsus has rationes euacuent responsa data iudices eri-
; sicut etiam de ijs rationibus, quas loco suo opinio-
m nostram explicaturi afferemus: Interim tamen exa-
nate eas, quas contra sententiam istam affero ratio-
s. Et talis est

Prima. Ex hac sententia sequitur hominem à magna
atia puta millesima lapsum in mortale peccatum, &
nima (sed vera tamen) pęnitentia, puta contritione
duo, resurgentem nihil omninò damni esse passum, si
tim moriatur: quod certè omnium pias aures offen-
t. Sequela probatur. Per pœnitentiam hanc omnia

præcedentia merita reuiuiscunt, quæ habebat prius: ergò ei debentur ijdem gradus gloriæ, qui prius; & consequenter charitatis, luminis gloriæ, gratiæ. Quid igitur amisit? Nec verò dicere isti possunt reparatam gratiam mensuram fore meritorum, quia merita, quibus ad millesimam peruentum est gratiam, possunt fuisse remissiora, quàm reparata gratia: dum non exigitur ad gratiam, & charitatem augendam actum esse intensiorem præexistente charitate.

Secundò, quia in gratiæ, & gloriæ, augmento comparando isti ad solam meritorum latitudinem cuncta referant: quam latitudinem meritorum non reuiuiscere per reparantem pœnitentiam dicere isti non possunt, aut saltem eius afferre rationabilem causam debent.

Secundum argumentum est: confirmatioquè prioris, Esto non haberet homo contritioné, adhuc reparatus à lapsu in mortale à millesima gratia potest nihil perdidisse omninò. Quod si non reputatur absurdum; quid absurdius excogitari potest? Probatur, & declaratur assumptum. Nam potest quis attritionem tantam habere, quæ sine sacramento gratiam non obtineat, adiuncta tamen sacramento peccata deleat, gratiamquè, & virtutes, ac merita reparet.

Tertium argumentum est. Imò iste adeò debili pœnitentia reparatus meliori conditione statim morietur, quã non ille solum, qui continuis, sed remissioribus actibus ad millesimam peruenit gratiam, & charitatem, sed quasi itinere longiore; sed etiam meliore, quàm ille, qui breuiore cursu, sed intensioribus, & magnis operibus ad eandem millesimam gratiam ardentius peruolauit: si omnes in eo statu moriantur. Et sequelæ ratio est. Nam ille primus ad eundem numerum meritorum reparatur, ad quantum isti suorum meritorum latitudine perducuntur; & prætereà habet amplius meritũ actus, quo pęnitentiam agens etsi debilem, concurrit ad suam iustificationẽ; vel saltem gradum illum gratiæ, quem ex opere operato Sacramentum producit in anima iustificata.

Quod siquis est, qui ista sibi deuoret, & quasi cibum suauissi-

ſuauiſſimum in ſtomachum traijciat, is conſideret, & naturaliter animalia quædam venenoſis nutriri, vt mures ſcorpionibus, ſimiæ araneis; & conſuetudine Regem Mitridatem veneno, & acconito complexionem ſuam Regiam aſſuefeciſſe. Sed de prima ſententia ſatis.

Secunda ſententia eſt Magiſtri Dominici Bagnes ad eundem locum 22. D. Thom. quæ circa punctum difficultatis in quatuor ſequentibus propoſitionibus conſiſtit.

Prima propoſitio. Licet quilibet actus charitatis vitam ęternam, & augmentũ eius, & charitatis ẽt augmentũ, mereatur, nunquam tamen iſtud augmentũ charitatis recipit, niſi in actum ipſa præexiſtente charitate intenſiorẽ proru perit; idquè in hac vita tantũ. Prima pars, in qua cum prima ſententia conuenit, probatur ex Concilio Tridẽtino, Seſſ. 6. Can. 32. inferius loco ſtatuto adducendo.

Secundam partem probat auctoritate S. Thom. 22. 24. 6. tũ in corpore articuli, tum in reſp. ad 1. & ex p. 2. 114.

Tertiam partem. Intenſiorem ſcilicet actum debere in hac vita haberi; probat primò, quia tempus habendi hunc actum eſt, quando quis ad eum conatur, ex Diuo Thoma loco citato 22. Conatus autem non eſt poſt hanc vitam. ergò.

Secundò. Quia talis actus intenſior habetur vtendo gratia tali modo, vt non deſit homo gratiæ Dei per negligentiam, vt dicitur 2. 27. 1. 5. 2. Negligentia autem in hac vita ſolum timeri debet, & poteſt: ergò habetur vſu gratiæ pertinentis ad hanc vitam. Vide paulò infra in propoſitione tertia ſequenti in fine.

Secunda propoſitio eſt. Quilibet charitatis actus ea non intenſior meretur nouum præmium ſubſtantiali gloriæ accidentale, ipſumquè obtinebit. Declaratur, probaturquè ſimul. Merces æternæ vitæ operanti ex charitate, vel remiſsius, vel adæquatè erit debita nouis titulis iuxta multitudinem taliuum actuum: ergò in beatitudine operator iſte perfundetur gaudio de nouis hiſcè titulis prædictis operibus comparatis: ergò habebit nouum, accidentale quidem gaudium, quia non eſt gaudium de Deo ipſo, quod tamen (inquit) eſt longè excellentius, quam to-

tum id, quod in hac vita comparari potest. Dari autem tales nouos ad eundem substantialis gloriæ gradum titulos probatur. Ex 3. sen. 18. quæst. 1. 2. ad 4. quia sufficit ad merendum, etsi quoad merendi rationem non proficiat (quæ tota reuertitur ad charitatem, vt dicitur, 4. 49. 1. 4. q. 4.) si saltem proficiat, quoad mercedem; vt scilicet eam sibi debitam faciat, vel simpliciter, vel quantum ad aliquem modum, quo sibi prius debita non erat. Confirmatur. Quia 3. d. 18. 1. 5. Dicitur, charitatem operari etiam postquàm meruit; & illud, quod in præmium sibi vno modo debebatur, alio modo posteà sibi deberi. Et ad hoc idem resoluitur, quod alibi dicit crescere huiusmodi homininem in dignitate, seu in beatitudiue sub ratione maioris dignitatis: quia scilicet ea beatitudinis gloria nõ vnico modo, vel ratione, sed multiplici iuxta actuũ ex charitate perfectorum multitudinem dignus est: & propter quemlibet actum eadem remuneratur.

Tertia propositio. Solus actus præexistente charitate intènsior meretur nouum gradum substantialis gloriæ, sic, vt tempore scilicet suo obtineatur à perseuerante in prædicta gratia.

Probatur. Soli actui intensiori conuenit præmium augmẽti gratiæ habitualis sic, idest, ita vt de facto eo actu posito obtineatur augmentum habitualis charitatis, vt prima propositione probatum est. At soli actui augenti charitatis habitum debetur præmium noui gradus gloriæ substantialis, qui est actus intensior charitate præ existente: ergò soli huic actui debetur in præmium nouus gradus gloriæ substantialis. Non reperio in quæstione Bagnes formaliter hanc rationem. ex ea tamen facilè exculpitur. Et propositio minor probatur ex D. Thom. 4. d. 49. q 1. 4. q. 4. ad 2. Vbi dicitur, gradus in gloria futuros esse secundum diuersos gradus charitatis in hac vita. Qua auctoritate confirmare potes tertiam partem primæ propositionis.

Quarta propositio. Etsi actus charitatem, qua fiunt, non excedentes in homine iusto moriente sine intensiore succedente irremunerati remaneant in perpetuum, quoad

prẽmium

præmium noui gradus gloriæ substantialis; Attamen remunerantur præmio substantialis gloriæ, sed debito prius actui, quo charitas ad præexistentem illis actibus gradũ peruenit, quasi nouo titulo reddito. Probatur prima pars. illorum actuum meritum, tàm quoad augmentum noui gradus gloriæ, quàm etiam quoad augmentum noui gradus gratiæ dependet sub conditione, si actus intensior successerit, quo solo gratia maior obtinetur, & cui soli gradus gratiæ maioris debetur in præmiũ, & maior gloriæ gradus, vt dictum est propositione præcedenti: ergò cum ista conditio deficere supponatur, nec obtinebunt nouum gradum gratiæ, nec nouum gradum gloriæ.

Secunda pars primò persuadetur à Bag. Exemplo Christi: cui retribuitur idem præmium, quod vnico actu, ac primo voluntatis meruerat ingrediens Mundum, tâm multis actibus, quasi titulis nouis correspondens.

Secundò potest à nobis confirmari. Quia cum actus ex charitate productus ordinetur ad præmium æternæ vitæ substantiale, & actus hi remissiores, vel adæquati non possint obtinere nouum gradum gloriæ, vt paulò supra probatum est: ergò à largissimo remuneratore Deo, qui nullum bonum patitur esse irremuneratum, præmio gloriæ remunerabuntur prius promerito, quasi his nouis titulis, causisquè reddito: iuxta doctrinam ex 3. d. 18. 1. 4. & art. 5. 1. supra, propos. 2. adductam.

Quo pacto melius dicetur gloria Beatorum crescere, quàm dicatur crescere pœna essentialis damnatorum, quæ in priuatione diuinæ visionis consistit. Hæc enim crescit ex eo, quòd ex grauiore delicto infligitur: Siquidem non intenduntur huiusmodi priuationes, aut remittuntur, nisi ex causarum suarum intensione. At gloria illa cœlestis in ratione præmij reddita, maior efficitur ex eo, quòd pluribus actibus gratiam operantem non excedentibus, quasi pluribus rationibus, ac titulis obtinetur; & præterea actibus gratia præexistente intensioribus ad nouum gradum maiorem, aliquandò perducitur.

Tu verò obiter considerabis, quomodò Bagn. loco citato, dubio 2. ad 4. principale argumentum sibi ipsi consen-

consentiat: dum in secunda responsione dicit essentialem pœnam inueniri in omnibus damnatis æqualem: & post paulum eandem asserit esse in diuersis maiorem, iuxta culparum, propter quas incurritur, varietatem.

Hanc opinionem ego non sequor multis rationibus adductus, quas infra asseram, illa ad præsens contentus: quia scilicet vim facere videtur scripturis, vbiquè passim promittentibus cuilibet, quantumuis minimo actui charitatis, prẹmium proprium, ac propterea nouum æternæ vitæ, & gloriæ substantialis; quòd in omni opere Iustificati hominis ex ipsa natura sua charitas perse primò sẽper intendit: ac propterea sine vlla necessitate refugere ad noui huius tituli patrocinium; cum non sit impossibile nouum secundum rem præmium assignare. Attamen in exercitationis, disputationisq; gratiam visum est non futurum inutile, si argumenta, quibus acerrimè, & acutissimè à quibusdam impugnatur, examinemus: & tamquam deditissimi tanto huic Magistro, in eius honorem, ac reuerentiam eam defendere pro virili conemur; quod peritiores alij facilius longè præstabunt.

Igitur Primum argumentum in contrarium est. Conc. Trid. affirmat per actus charitatis iustum mereri augmentum gratiæ, & gloriæ: ergò opinio Bagn. sustineri non potest negans actus non intensiores mereri argumentum istum. Respondetur primò negando consequentiam Concilium enim non format hanc propositionem vniuersalẽ; Iustus per omnes actus mæretur augmentum gloriæ, & gratiæ: sed statuit propositionem contradicentem errori Lutherano, qui est, Iustum nullo opere suo mereri gloriã, vel gratiam. Huic autem indefinita seu particularis affirmatiua contradicit. Ideò quantum pendet ex intentione concilij sufficit veritas propositionis particularis: Opus iusti, vel aliquod opus iusti ex charitate factum meretur. Et dico meretur, non autem potest mereri: non enim hoc, sed illud asserit Bagnes.

Secundò Respondetur. Esto Intentio concilij esset determinare quodlibet tale opus mereri, & gloriam, & gratiam, & vtriusque augmentum; consequentia tamen nulla est

est. Neque enim opinio ista à quouis opere charitatis hominum omnium meritum negat simpliciter, & absolutè, sed ali modo; vt scilicet consequatur premium huius augmenti, nisi sequatur actus intensioris conditio. Quod est dicere mereri quidem istum, non absoluto tamen merito, sed conditionato. Quod non versatur in controuersia fidei, cum sit disputatio inter Catholicos Doctores tantum, vsquè Scholasticos Vndè nullo modo Concilij determinatio ad ista pertingit, quod non sedet Iudex, ad determinandum nisi fidei quæstiones.

Secundum Argumentum est, ex Concilio Auras.2.can. 18. quod habet, Merces debetur bonis operibus, si fiant; vt autem fiant, gratia Dei præcedit: ergò per quodlibet, si remissum, opus charitatis mæremur gratiam, & gloriam, & vtriusquè augmentum. Consequentia probatur; quia antecedens, cum sit in materia necessaria, proindè fert conclusionem vniuersalem; Concilium verò Tridentinum determinauit gloriam, gratiam, & vtriusquè augmentum mercedem esse operum Charitatis. Respondetur iuxta hanc opinionem ex prædictis. Concilium determinasse quidem ista esse mercedem, non tamen determinasse modum huius mercedis consequendæ, respectu gratiæ, & augmenti vtriusquè; an scilicet absolutè, & simpliciter, an meritò conditionato. Vndè isti ijdem opinantes reputant probabiliorem esse sententiam, quæ negat dari statim augmentū promeritæ gratiæ per actus remissos; quia dispositio actus intensioris requisita non sit. Quòd si Concilium de supposita conditione mentionem non fecit; ergò nec eam includit, nec excludit: sed sua probalitate Theologorum concertationes dimisit.

Tertium argumentum est. Quilibet actus charitatis separatim ab alio consideratus meritorius est æternæ vitæ, Concilio Tridentino, & D.Thom.22. 26.6. ergò cuilibet ita considerato respondet præmium essentiale consequentia patet; nam meritum, & prę mium sunt correlatiua. Confirmatur. Actus Charitatis non efficitur peioris conditionis eò quòd Charitas altius augeatur, At antequam ascenderet (ad decimum gradum v.g.) actus dilectionis

nis remissiores puta, vt tria, vt quatuor, vt octo, vel nouem merebantur augmentum gratiæ, & gloriæ: ergò & postquam peruenit ad decimum gradum charitatis ijdem actus merebuntur idem.

Respondetur primò. Ex eo, quòd præmium, & meritum correlatiua sint, non sequi, tot debere esse præmia distincta numero, quot merita. Patet enim in Metaph. filiationem, & paternitatem relationes esse correlatiuus, non tamen oportet aut tot esse patres, quot filij, alioquin non possent esse plures vniius patris filij, quod omnibus apertissimè falsum est; vel tot esse in eodem homine paternitates, quot filiationes illi correspondent, vt habet non probabilior, sed vera sententia D. Thomæ. Sed his prætermissis.

Secundò Respondetur, & argumento, & Confirmationi. Actum quemlibet, remissum etiam, charitatis mereri augmentum gratiæ, & gloriæ sub conditione reddendũ, si aduenerit intensior actus: attamen adueniente actu remunerabitur eodem augumento, & gratiæ, & gloriæ, quo actus ille intensior: si non aduenerit premiabitur eadem gloria; qua præmiandus est actus ille, quo peruenit ad eum gradum gratiæ, in quo actus illi remissi facti sunt respectiuè. Quod præmium licet non sit ei proprium isto modo, quasi non reddatur propter hos solos actus, sed sit commune actibus, de quibus est dictum; est tamen ei hoc modo proprium, quia scilicet est ei optimè adæquatum. At verò.

Contra instatur. Singuli actus recipient propriã mercedem ex 1. Cor. 3 Vnusquisquè propriam mercedem accipiet secundum suum laborem: ergò propriam gloriam essentialem distinctam: conseq. probatur; quia proprium præmium operis charitatis est gloria substantialis; quia hoc est, quod Charitas per se primò intendit.

Quòd si dicas Paulum non esse loquutum de operibus, sed de operantibus, quibus propria merces reddenda sit; non videtur sufficienter euadi. Nam sicut illa est totalis propria merces operantis, quæ toti eius labori commensuratur; ita est partialis propria eius merces,

quæ

quæ partiali labori, huic scilicet & illi operi propria, & commensurata est. Vndè & Matth. 10. dicitur, dantem Calicem aquæ frigidæ suam mercedem amissurú non esse.

Respondetur. Euasionem sufficientissimam esse. Et ideò vti totalis merces propria est, quæ toti labori, an opertis commensuratur quasi reddita vel vnico titulo, vel pluribus, si plures facti sunt actus adæquati sine alio intensiore; ita dicendum est de singulis remissioribus actibus. Satis enim remunerantur: si gloria eis correspondens ita pro singulo quoquè redditur: quòd etsi nullus præcessiet alius, in huius solius tamen remunerationem, & præmium redderetur. In similem sensum fortè accipi potest illud Pauli ardentissimi amoris dictum.

Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, quo significat amare se Iesum Christum, ac si pro se solo adæquatè totam sustinuisset in tota eius vita Crucem: ea enim, quæ fecit, & passus ille est, ita in Pauli salutem, gratiamquè cesserunt; ac si pro ipso solo, nemineque alio ea fecisset, ac passus esset. Gratum itaquè ardentemquè amore animum gerebat; ac si ipse solus adæquatum esset obiectum, pro quò Dominus omnia operatus fuisset.

Quartum argumentum est. Petrus in secundo gradu charitatis intensius operatur, vt sex, & nouum præmium acquirens, distinctumquè moritur; Beatissima autem Virgo Dei mater Maria morti vicina in intensissima charitate posita operatur adæquatè suæ charitati, & per te non acquirit nouum gradum substantialis gloriæ: ergò Petrus magis meretur, quàm Beatissima Virgo Mater; Quod offendit auditum. Consequentia probatur. Nam ista acquirit actu suo præmium nouum accidentale tantum, ille verò nouum præmium substantiale.

Respondetur, Immeritò imponitur Bagn. quòd adæquatus actus charitatis augmentum gloriæ substantialis non mereatur, cum expresè oppositum doceat: quamuis non satis fortè loquutus cautè sit, dùm præmium huiusmodi actui, ac remissioribus redditum vocat accidentale: vndè ad verba eius spectando argumentum hoc, & similia vim magnam videntur habere. Et quidem si hi

tituli

tituli, quibus pro operum non intensiorum multitudine merces olim promerita redditur, considerentur secundũ se; cum solum dicant creatum quippiam; accidentale præmium tantum esse possunt. At ego in defensionem opinionis huius aliter circa hoc theologizandum puto.

Ad cuius maiorem euidentiam (vndè plura argumenta facilè soluentur) Dico, præmium nouum dupliciter accipi posse. Primò formaliter secundum rem nouam; vt cum actus intensiores ex charitate producuntur. Secundò virtualiter nouum; quod est illud, quod si alias debitum non fuisset, pro hoc ipso solo actu deberetur. Sed & hoc ipsum virtualiter nouum præmium, potest dupliciter considerari: primò secundum rem, vt factum est hactenus; & tunc est præmium nouum tantum virtualiter: quia illud idem, quod sub priore merito cecidit, eiquè iam pridem debetur. Secundo modo, secundum rationem; & hoc modo sumptum potest dici nouũ formaliter: quòd ita declaratur.

Nam visio beatifica, si ex sola Dei gratia nullis omninò intercedentibus meritis daretur, puri doni, non præmij, vel mercedis rationem haberet; nunc verò cum datur pro meritorum ratione, retributionis, seu præmij rationem habet. Similiter si non proprijs meritis obtineatur, sed alienis sibi communicatis, vt infantes eam obtinent; iam mercedis quidem rationem habet, non tamen propriè, si comparetur ad illos infantes; sed propriè merces est reddita merito Christi, cui illis communicato retribuitur. At verò adulti ea visione remunerantur ex iustitia propria quidem, sed tamen gratis sibi ab alio donata, vndè August. epist. 105. ad Sixt. Quapropter ò homo, si accepturus es vitam æternam, iustitiæ quidem stipendium est: sed tibi gratia est, cui gratia est, & ipsa iustitia. Tibi enim tanquàm debita redderetur, si ex te tibi esset iustitia, cui debetur, &c. quæ & supra latè prosecutus est: ideòquè rationem præmij habet, sed admixti liberalitati, ac misericordię, iuxta illud Psal. 102. Qui coronat te in misericordia, & miserationibus. At longè gloriosioris præmij rationem haberet, si eandem visionem quis obtinere

inere posset ex meritis gratiæ non habitæ alieno dono, ed propria quasi virtute. Sed hoc non decuit Christum espectu visionis beatificæ: Decuit tamen respectu aliuarum rerum aliarum, quæ sunt aliquo modo de subantia beatitudinis, vt gloria corporis, honor, & reueentia, qua colitur ab ijs, qui in Cœlo, qui in terra, qui n inferno versantur. Vndè huiusmodi accidentalis gloiæ præmium in Christo, & in nobis, quamuis re idem pecie sit, secundum rationem tamen idem ipsum prẹmiũ st valdè diuersum. Et longè gloriosius est Christo præniari tali præmio ex rigorosa iustitia, qnàm nobis; qui li et eodem specificè præmio remuneremur secundum em, & ex iustitia vera; non ex rigorosa tamen, sed funlata, atquè innitente super misericordia ad producenda nerita gratiam donante; Vndè & sponsa ascendere dicta st de deserto innixa super dilectum suum. Cantic. viij. Ac si titulus vndè præmium habetur, licet quiddam acidentale sit in seipso, redundet tamen in præmium subantiale aliquo modo formaliter. Itaque in sententia Bagn. dicendum est actus remissiores, vel adæquatos non uccedente intensiore remunerari præmio substantialis eatitudinis, antiquiore actu quidem secundum rem pronerito, eò scilicet, quo charitas peruenit ad gradum præxistentem, secundum rem considerato non nouo formaiter, sed virtualiter tantum. (Sic enim res, quæ datur in præmium, secundum rem tantum consideratur, & in sepsa) attamen etiam nouo formaliter præmio, si res illa secundum rem, & rationem simul consideretur. Nam tan a visio, vt reddita ex multiplicibus titulis, rationibusquè ustitiæ (en quomodò tituli non separatim secundum se considerantur, sed res sub titulis, seu tituli, vt formales rei rationes) amplius secundum rationem aliquid dicat, quàm res ipsamet reddita solum vnico titulo. Et certè iuustum est (sicuti supra quoquè insinuauimus) beatitudinis essentialis præmium dignificari magis ex iustis huiusmodi titulis; cum pœna damnatorum ex similibus titulis augeatur. Et hoc primò dictum sit ad argumentum, cuius negamus consequentiam, & ex dictis ostendimus

assumi

assumi falsum in eius probationem.

Secundo Respondetur in Beatissimæ Virginis præmio duo contineri; primum res, quæ sub metito cadit, quæ longè amplissima est. Secundum nouitas, quia noua ratione debetur, quæ nouitas, si secludatur à re, accidentale quid est: At si accipiatur simul cũ re, vt prædeclarauimus, est præmij substantialis ratio quædam noua, præmium illud realiter antiquum, faciens formaliter nouum. Vndè opus illud Beatissimæ Virginis Matris præmium habet secundum rationem formaliter nouum continens rem iterum, iterumq; promeritam excellentiorem eo præmio, quod sub Petri meritò cadit. Quarè formaliter respondendo argumento; Negatur consequentia. Ad probationem concesso assumpto eo modò, quò declaratum est, iterum consequentia negatur. Etsi enim Petrus mereatur aliquid secundum rem nouum distinctum ab eò, quòd prius meruat, Virgo autem Beatiss. Dei Mater non aliquid nouum distinctum re à promeritò priùs; non valet tamen: ergo Petrus magis meruit. Quia illud antiquum cadens sub nouo meritò Virginis excellit illud, quod Petrus meretur de nouo. Et apertè fallacia argumenti apparet procedentis à mæreri de nouo, ad mæreri magis. Ille mæretur magis, qui actu suo rem præstantiorem sibi debitam facit: quòd verò ei prius deberetur ratione alterius actus, vel non deberetur, est per accidens; & potiùs ad modum mærendi, quam ad rem promeritam pertinet. Applicetur argumentum hoc actibus Christi alijs à primo comparatione præmij gloriæ accidentalis. Numquid Christus minus quippiam talis gloriæ mæruit illis actibus, quàm Virgo Beatissima eius Mater, quo nouos gradus illius gloriæ nouis actibus mærebatur. Cùm Christus totam suam gloriam talem singulis mæreretur, quam vnico primò actu suo mæruerat?

Quintum Argumentum est. Ergò actus remissior, & adæquatus charitati vitam æternam mæretur solo titulo, quòd malè sonare videtur. Et probatur sequela. Eo pacto mærentur, quo pacto vita æterna in præmium illis correspondet: per hanc autem sententiam correspondet illis

illis vita æterna nouo titulo solùm: ergò.

Respondetur. Hoc argumentum negotium facesset etiã Christi merito, omnibusq; consentientibus omne suum præmium primo actu Christum meruisse, sequentibus, autem actibus idem diuersis titulis. Distinguo igitur illud prædicatum consequentis, meretur de solo titulo. Primò, vt significet non realiter, ac verè, sed titulotenùs solum. Et hoc modo videtur ab arguente sumi, cui malè sonat, Sicut illud Lutheri; liberum arbitrium est res de solo titulo: & falsum est consequens, imò heræticum, & Christi meritis iniurium: Et ex antecedente in hoc sensu non sequitur. Ad probationem consequentiæ; Maiore concessa, minor distinguitur, æterna vita correspondet his actibus nouo titulo solum. Primò sola nouitate in titulo inuenta; vel secundò solum respondet titulo, non reuera. In hoc secundo sensu consequentia inferretur, in quo sensu minor est heræsis, nedum falsa. In primo sensu vera minor est, sed non concludit meritum de solo titulo, idest, non verè, sed quoad titulum solum, in quo sensu consequens exponitur, & eius sequela ex antecedente illo negata est. Concludit autem respondere eis præmium antiquum de nouo, ita vt nouitas non reperiatur in pręmio, sed in titulo ad illud præmium. Sicut contingere in humanis solet, in quibus iura noua frequenter acquiruntur ad rem, seu in re alio titulo iam possessa.

Et hic erat secundus modus intelligendi prędicatum illius consequentis, qui sanè non sonat malè; sed pientissimè, doctissimèquè ad Christi noua semper merita accommodatur. Et ista satis, superquè dicta esse videntur de secunda principali opinione.

Tertia sententia est. Quorundam, quos Bagnes inter examinanda argumenta Victoriæ, contra Gabrielem, in hac materia insinuat; & ex manuscripta quæstione R. P. Lectoris F. Francisci Carifs. Romani, Ordinis Prædicatorum, (acutissima illa quidem, ac docta) videtur in quatuor dictis principalibus consistere. Primum dictum est.

Etsi non quolibet actu augeatur habitus charitatis quoad ipsam habitus substantiam (quod vocatur augmẽ-

tum habitus secundum esse physicum) augetur tamen secundum esse meritorium, (quòd vocant esse morale) in eo, quòd quolibet actu acquirit ius nouum, ad nouum præmium substantialis gratiæ secundum totam latitudinem meriti, & proprium aliquandò habendum.

Probatur affirmatiua pars. Quia in scripturis passim reperitur promissio præmij substantialis vitæ pro operibus, etiam singularibus, vt merces sua, & consequenter cuilibet actui propria. (Nam alioquiin non esset illi operi sua, sed esset etiã merces aliorũ actuum.) Et consequenter noua; quia si esset antiqua, nõ posset nõ alteri operi esse cõis, & nulli propria operi; Idq; meritũ tribuitur sine vlla restrictione magnitudinis cõparatæ ad magnitudinẽ operis. Ergò quolibet actu charitatis homo ius acquirit ad hoc nouum promissum hoc modo præmium propriũ, ad meriti totam latitudinem. Consequentia patet. Benè operans siquidem pro operis mercede conuentione facta ius habet ad mercedem iuxta conuentionem; vndè illud conducentis ad conductos in vinea facilè huic aptandum proposito. Amice non facio tibi iniuriam. Nonnè ex denario conuenisti mecum? Matth. 20. Ergò non potest aliquando non reddi à Deo fidelissimo promissore, & retributore iustissimo; vt facilè ex eodem loco Matthæi deduci potest.

Confirmatur contra tacitam responsionem Bagnes. In scripturis absolutè, & nulla prorsus facta mentione conditionis vllius, aut dispositionis debitæ ad huius præmij augmentum, singulo cuiquè actui charitatis promittitur merces æterna, quam per se primò respicit charitas: ergò sine vllo fundamento solido exigitur ad hoc augmentum dispositio actus intensioris: dico ad hoc augmentum præmij, & item charitatis quoad hoc esse meritorum.

Secundum dictum est: Quilibet actus bonus ex charitate meretur augmentum habitus secundum esse physicum, seu quoad ipsam substantiam charitatis secundum totam latitudinem, actus meritorij proprium, ac nouum.

Probatur primò. Ex determinatione Concilij Tridentini, Sess. 6. cap. 32. expressa habetur. Iustum mereri

gloriam,

gloriam, augmentum gratiæ, & gloriæ vno, eodemquè contextu: ergò vti absolutè quilibet actus meretur nouum, & proprium augmentum gloriæ, ad meriti latitudinem, ita etiam meretur augmentum gratiæ.

Confirmatur. Augmentum secundum esse meritorium non cadit sub merito. Ergò Concilium determinat augmentum quoad substantiam ipsammet habitus. Antecedens probatur. Nam hoc esse meritorium, si est ius ad obtinendam maiorem gratiam, consequitur de necessitate opus ex charitate factum, saltem promissionis diuinæ suppositione facta. Quæ verò necessaria sequela sequuntur opus bonum, non possunt esse merces, & præmium operis, quod scilicet est ab extrinseco retributore recipiendum pro meritis. Afferatur Textus Scripturæ, Concilij, Patrumuè limitantium hanc rationem augendi habitum charitatis ad totam meriti latitudinem, secundum proprium, & nouum gradum charitatis. Si verò esse meritorium, significat meritum ipsum, quod multiplicatum augmentat charitatem, in partu scilicet suo, magis patet huiusmodi augmentum non cadere sub merito. Oporteret enim dicere, vti primò meremur secundum; ita & secundo, tertium; & consequenter in infinitum infinita. Et prætereà quid inopinabilius, quàm opus ex ipsa charitate proditurum esse præmium alterius operis ex charitate profecti? Patet enim accipi ab extraneo remuneratore, non ab ipso operante produci liberè rem, quæ præmium est.

Secundò. Deus non negat mercedem operi debitam; esset enim iniuria. Matth. 20. At augmentum habitus est propria merces operis à charitate producti, cuiuslibet, cum eadem sit cuiuslibet operis ratio ex determinatione dicta Concilij Tridentini: ergò cuilibet operi, etiã remisso, reddit Deus augmentum charitatis, & ad meriti latitudinem; quia non est ratio, cur magis secundum vnam, quàm secundum aliam partem.

Tertiò. Dabit Deus Petro augmentum gloriæ, quam meruit quolibet actu charitatis, vt primo dicto probatum est: ergò etiam dabit totum augmentum gratiæ, &

charitatis ei correſpondens tanquam promeritum pariter ex condigno . Antecedens confirmatur ex Seſſ 6. com 32. Vbi cum determinatum eſſet iuſtum mereri vitam æternã, & augmentum gratiæ , ſubdit . Verè mereri vitæ æternæ conſecutionem , ſi tamen in gratiam deceſſerit, & gloriæ augmentum . Conſequentia ſic deducitur. Maior gloria ſupponit maius lumen gloriæ : hoc autem ſupponit maiorem charitatem, cui immediatè commenſuratur, tamquã vltimæ, ac propriæ diſpoſitioni ; ergò maior gloria , maiorem charitatem ſupponit ; ergò qui meretur, & habebit gloriam maiorem, meretur, & habebit maiorem charitatem .

Quartò Tandem elicio ex p. 124. 9. argumentum tale. Omnes, quod à Deo meremur , (niſi impedimentum peccati ſuperueniat) certiſſimè conſequimur ; ergò etiãſi actus intenſior non ſequatur , actu remiſſo conſequemur augmentum habitus , quod meriti ſumus. Nequè enim peccatum eſt vllum operari adæquatè, vel remiſsè ſolum ex charitate .

Tertium dictum . Habebit homo hoc augmentum , quandò fuerit diſpoſitus per actum intenſiorem correſpondentem huiuſmodi actibus , non in fine vitæ huius communiter loquendo , nequè in purgatorio , ſed in primo ingreſſu cœleſtis patriæ.

Ratio primæ partis eſt : quia actus actiuorum in patiente diſpoſito fiunt ; iuxta proloquium tritiſſimum omnium Philoſophorum . Quòd verò illa diſpoſitio ſit actus intenſior, indè probatur; quoniam meritum ipſum ſolum eſſe non poteſt . Alioquin oporteret primam ſententiam ſequi, ac dicere ſtatim actu quouis ex charitate producto totum augmentum charitatis haberi : Quod falſum eſſe ſententia ipſa ſupponit ſe probaſſe argumentis quibuſdam allatis ſupra .

Ratio verò , cur actus ille debeat adeò intenſus eſſe , vt remiſſis , alijſquè non ſecundum totam latitudinem ſuam vt ſic remuneratis correſpondeat , & æquiualeat ; hæc eſt . Nam diſpoſitio iſta ad augmentum totum habitus, quod omnes illi actus promeruerunt debet eſſe vlti-

ma dispositio ad illud, ad quod disponit. At si Petrus in decimo gradu gratiæ positus centum actus, vt quatuor remissos fecit, & propterea augmentum charitatis promeruit ad quadringentos gradus, non habebit dispositionem vltimam ad istos tot gradus, si actum habeat excedentem charitatem suam in duobus, vel tribus, puta, intensiorem vt duodecim, vel vt tredecim; imò nec si vt centies, vel ducenties, vel trecenties intensum. Ergò oportet, vt æquiualeat, & sit intensior, vt 400.

Ratio secundæ partis. Cur scilicet non in fine vitæ cõmuniter est. Nam communiter in huiusmodi statu non habetur actus hoc modo intensior. Nec valet dicere: Posse actus remissos, & paucos, & adeò remissos præcessisse, vt facilè succedere actus intensior possit illis omnibus æquiualens; sufficienterquè propterea disponens ad totum illorum remissornm augmentum promeritum obtinendum.

Respondetur primò, quia non est verisimile illos habituros esse actum huiusmodi æquiualentem omnibus præcedentibus, qui tàm remissè, ac rarò solent operari.

Secundò, quia si alicui vni, vel alteri ex specialissima gratia id concederetur, non posset tamen vniuersaliter statui, ita in omnibus fieri ex aliquorum priuilegio singulari. Confirmatur. Nam innumeros videmus finem vitæ concludere lethargo, alijsquè similibus accidentibus vsu rationis priuantibus; plurimos cum venialium peccatorum reatu, imò etiam proposito; de quibus nulla potest spes rationabiliter concipi, quòd in actus intẽsiores adeò prorumpant. Notanter addunt illam determinationem communiter. Existimare enim videtur hæc sententia viros quosdam admirabili virtute præstãtes, vt illi, ad quorum obitum Angeli, alijuè Sancti occurrunt, habituros intensissimos actus istos. Idquè sibi persuadet, quia probabile valdè est Deum respicere excellentiora eorum merita, & in grauissimo periculo specialiori auxilio affuturum; itemquè motum naturalem ardentissimæ charitatis in fine futurum vehementiorem, ideòquè proruptu-ram in opera intensissima. Sed profectò persuasio ista

vim non habet ad conuincendum.

Ratio tertiæ partis est, s. quòd nó in purgatorio habeatur actus talis. Ibi enim actus iste non potest esse sub ratione meritorij, cùm extra hanc vitam meritò locus non sit; Nequè sub ratione præmij. Cum locus ille ad expiandos culparum reatus, non ad præmia recipienda sit institutus; Nequè sub ratione dispositionis, quia vltima ad formam dispositio simul cum forma est, ad quam disponit; augmentum autem huiusmodi non potest in purgatorio esse, cùm præmium sit extra pœnarum locum recipiendum. Non potest autem intensior iste actus haberi, nisi sub aliqua harum rationum: ergò.

Ratio quartæ partis, quod habeatur in ingressu primo patriæ; sumitur ex necessitate asserendi, hunc actum probata in primo dicto, & exclusione aliorum temporum, seu statuum, in quibus asseri posset.

Notanter addunt hic etiam illam determinationem communiter. Quod viris excellentissimè pijs, & à Deo amplioribus gratijs instructis videantur concedi tales actus: in cuius exemplar afferunt Stephanum inter lapides morientem, dum positis genibus pro suis lapidatoribus orauit. Tu verò interim.

Corolarium hoc nota. In hac sententia asseri actum intensissimum omnibus non remuneratis actibus, quatenus non remunerata sunt, æquiualentem dari hominibus. Aut in fine vitæ, licet perrarò, aut in primo in primo ingressu patriæ communiter.

Secundò probatur hoc dictum, præsertim quoad quartam partem. Nam ratio nulla affertur validè illud impugnans: vt patet soluendo eas. Sunt verò duæ.

Prima ratio. Quia in patria non est locus huiusmodi dispositioni: ergò antecedens probatur. Nam in patria non est locus merito. Actus autem charitatis eam augens meritorius est. Quæ ratio ex Scoto sumpta videtur, 4. 22. quæst. vnica. Sed ille quidem pertransijt assumptum hoc pro antecedente non probans, ea fortè ratione, quòd visnm ei sit euidentius, quàm, vt indigeret probatione. Est autem ratio eius; quia charitas opere nostro non

effectiuè

effectiuè, sed meritoriè solum augetur.

Respondetur autem facilè. Actus nostros in hac vita ad charitatis augmentum concurrere duplici modo, & meritoriè, & dispositiuè. In ingressu verò patriæ dispositiuè tantùm. Itaquè actus ille intensissimus in primo illo ingressu meriti nunquam debet habere rationem: Sed vel præmij tantùm, vel tantùm dispositionis. Nam si comparetur ad actus præcedentes in hac vita ex charitate productos, Præmium est. Quo enim actu merueramus (aiunt) augmentum habitus, eodem etiam dispositionem, quæ ad augmentum illud obtinendum necessaria est. Si verò comparetur ad charitatem in illo primo ingressu augendam secundum totam latitudinem meritorum, quæ hoc augmento non fuerunt hactenus remunerata, dispositio tantùm est. Nequè inconuenit idem esse præmium vni comparatum, & dispositionem si comparetur alteri; vt in lumine gloriæ patet: quod est dispositio ad essentiam diuinam recipiendam, & tamen redditur in præmium operum.

Secunda ratio est. Visio beata apud D. Thom. 1. 12. 6. commensuratur lumini, gloriæ, hoc autem lumen charitati desideranti, & consequenter existenti in via, vbi desiderinm propriè sumptum esse tantum potest: ergò & gratia, & charitas patriæ commensuratur charitati viæ, ergò actui intensiori in ingressu primo patriæ.

Respondetur. Commensurantur quidem charitati viæ in esse meriti: nam datur actus iste intensior ad latitudinem meritorum, qui præcesserunt in via; nihilominus etiam commensuratur huic actui, tamquàm mensuræ immediatæ: Præsertim quia iste actus consideratur tamquàm ordine naturæ, etsi non temporis prior illo charitis augmento, ad quod asseritur dispositio: & hoc augmentum similiter. Nam, non tempore prius lumine gloriæ; quod simili ordine visionem, & charitatem patriæ præcedit, cum tempore omnia simul fiant.

Quartum dictum. Incidenter tamen ob argumentorum quorundam solutionem. Si contingat hominē lapsum à magna gratia, verbi gratia: Centum graduum cum mil-

 le me-

le meritis remissioribus, vt 50. Vel etiam adæquatis in mortale peccatum resurgere ad gratiam minorem, puta quatuor graduum; merita olim mortificata resurgent, non ad valorem, quem habebant ante peccatum singula. Scilicet, vt 50. vel vt centum, neque omnia simul consequenter: sed reuiuiscent singula ad valorem, vt quatuor tantum, omnia verò simul ad valorem, vt quatuor millium. Et in illo primo ingressu patriæ dabitur huic resurgenti actus pro illis reparatis meritis intensior, vt quatuor millium; & consequenter habitus charitatis huic æqualis actui, & lumen, & visio.

Ratio primæ partis sumitur ab auctoritate D.Th. 3. 89. 5.3 Vbi dicitur, resurgentem in minore charitate habiturum præmium essentialis beatitudinis secundum quantitatem charitatis, in qua inuenitur. Quomodo autem probetur singulos, non autem omnes simul, actus meritorios reparatos ad valorem gratiæ eiusdem æqualem reniuiscere, nec eos aduertere potui declarasse, neque in id incumbere modò nobis necessarium est.

Bagnes loco citato 22. 24. 6. dub. 1. Scoti sententiam, de reparatione lapsi per pęnitentiam affert ad hanc dubitationem, quasi sententiam quartam, quàm secundo loco enumerat. Sed hoc solum videtur ad propositum facere, quia dicit habitus gratiæ, & charitatis augeri solum opere, qui dispositio propria sit: Gloriam verò augeri meritis, & operibus. Atquè adeò posse Petrum, & Ioannem secundum habitus prædictos esse inter se æquales, & tamen Petrum in gloria excedere Ioannem; quia Petrus, & frequentius, & ardentius operatus sit. Sed de hac re modò non oportet plura addere: quia ex dicendis apparebit etiam veritas, quam Bagnes inquirit circa sententiam istam?

Et de celebrioribus quidem opinionibus, circa difficultatem istam tanta nobis dicta sint; & ad primo loco promissa complenda sufficiunt. Si quæ sint aliæ opinationes tenuiores; prudentiæ, ac ingeniosissimæ solertiæ nostræ doctissimi Auditores omittuntur, nè longiore, minimèquè vtili enumeratione fastidium generemus.

ITA-

ITAQVE secundo loco iam opinio nostra in mediũ afferenda est; quod per conclusiones faciemus, quò procedatur apertius; vbi prius duas distinctiones, & vnicum quasi fundamentum præmiserimus.

Prima distinctio est. Præmium operum bonorum ex charitate duplex est. Vnum substantiale, quod est visio aperta Dei, vt est in seipso, & indè consequens de Deo viso gaudium, & delectatio, siuè fruitio Dei; hæc enim duo in hac materia pro vnico computantur. Alterum accidentale; quod est quiduis aliud à prædicto; siuè pertineat aliquo modo ad beatitudinis substantiam, vt corporis beati quatuor illæ dotes, locus perpetuæ habitationis, cognitio rerum ipsarum in Deo, præsertim earum, quæ ad fidei articulos spectant, siuè non pertineat. In quorum numero fortè ponendæ sunt oblectationes sensuum, cantus: laudes, societas, gaudium de bonis actibus suis, & alienis, honoratio mutua, colloquia prædulcissima, & similia innumera, qualia in illa patria futura in æternum sperantur.

Secunda distinctio est. Cadere sub merito quædam multipliciter. Vno modo non per se primò. Et hæc sunt illa, ad quæ per se primò respicit charitas, quam totam esse rationem merendi dictum supra est ex Diuo Thoma: & ex Apostolo probatur, quia sine illa nihil prodest quodcumquè aliud, nequè fides, nequè scientia, nequè ipsum martyrium. 1. Cor. 13. Nequè omnes passiones huius temporis cõdignæ sunt ad futuram gloriam reuelandam in nobis. Rom. 8.

Altero modo secundariò. Quæ scilicet secundariò respicit charitas. Respicit autem charitas per se primò Deum, quem visione possidere, & gaudio compræhendere intendit, vt vltimum omnium finem, sibi tamen & finem, & obiectum proprium. Secundariò autem respicit alia, & seipsam, & accidentia. Inter quæ tamen distinctio est: cum quædam substantiali præmio prædicto per se connexa sint, sicuti dotes illæ corporis, & illis similia; aliqua non sint ei per sè connexa, nisi ex diuina prædestinatione, vel liberalitate. Exemplum primarum

est

est sanitas, diuitiæ, cæteraquè his similia bona temporalia. Certum est enim ista non esse per se connexa cum acquisitione præmij substantialis: alioquin non beati illi, qui pauperes, qui lugent, qui persecutionem patiuntur, contra Domini sermonem habitum in monte. Matth. 5. Sed ex sola Dei prædestinatione. Vndè temporalia huiusmodi cadunt quidem sub merito, sed quasi per Accidens, & extra genus bonorum spectantium ad spiritualem vitam constituta, & ex ordinatione diuina ei deseruientia. Exemplum secundarum est augmentum gratiæ, charitatis, aliarumquè huiusmodi infusarum virtutum; quo quis à gradu à gradu in gradum altiorem ascendit. Huiusmodi enim augmentum, cum principaliter fiat ex auxilio diuino eleuante in quandam altiorem filiationem supranaturalem hominem adultum, & consequenter actu suo libero huic augmento obtinendo concurrentem, reducitur principaliter in Deum vtentem actu nostro, tamquàm conuenienti dispositione. Et hoc solum sufficeret, (Quod valdè notandum est,) vt sicut in prima iustificatione præmium substantiale correspondens sub merito caderet; ita etiam augmentum eiusdem præmij caderet sub augmento iustificationis: Attamen placuit Altissimo, magis honorare nos, iuxta quod dixit Propheta natiuū ei esse; (Nimis honorati sunt inquit Psal. 137. amici tui Deus) & actus nostros ex gratia, & charitate productos voluit esse meritorios, non solum præmij substantialis, eiquè per se annexorum; sed & omnium ad illud conferentium, & ipsiusmet augmenti gratiæ: quò si non possumus nobis esse causa nostræ à peccato reparationis, ac proindè filiationis diuinæ; quia primam gratiam repugnat cadere sub merito, & esse debitam, proptereaquè non gratiam, vt argumentatur Apostol. 4. ad Rom: Saltem simus nobis causa meritoria illustrioris rationis diuinæ filiationis. Qua ratione, vt in capite nostro nos præ omnibus Angelis honorauit faciens hominem esse verum naturalem filium Dei; ita in nobis nos honorat; dùm supra multos Angelos multi, & supra omnes Angelos aliqui, Beatissima saltem Dei mater Virgo Maria, eleuati

ita sunt; vt huius eminentissimæ filiationis augmentum ipsi sibi operibus suis merendo effecerint. Cadit itaquè augmentum charitatis, & gratiæ sub merito non per se primò, ac principaliter, sed quasi accessoriè, & per accidens. Et quidē quòd nō per se primò, ac principaliter patet; quia res est omninò distincta à Deo, eiusquè visione, & fruitione. Quòd verò accessoriè, patet, quia præmio essentiali obtinendo hoc non est per se coniunctum; quòd scilicet augmentum gratiæ habeatur meritoriè; cum sufficere potuisset actus in ratione disponentis. Dixi tamen quasi per accidens, vt à temporalium merito istud distinguam. Illa enim simpliciter per accidens cadunt sub merito; quia secundum se sunt extra spiritualium rernm coordinationem: augmentum verò gratiæ non ita: Quia gratia aucta, gratia simpliciter est. Et ideò, cum augmentum sit progressio quædam motus, cadere sub merito potest gratiæ, eiusquè motione. Quia qui terminum motus intendit, intendit etiam progressum motus ad terminum, vt dicitur p. 2. 114. 8 Sed hoc est verum absolutè, nos respectiuè tractauimus, hæc inter se comparantes, quæ cadunt sub merito.

Fundamentum præmittendum est. Aliter cadere sub merito charitatis, & gratiæ præmium æternæ vitæ; aliter gratiæ, & charitatis augmentum. Nam præmium gloriæ cadit sub merito absolutè, & simpliciter, sinequè vlla conditione, nisi ea, quàm natura ipsa præmij ex se ipsa exposcit, quoad redditionem tamen ipsius præmij. Quæ duplex est. Prima, quòd expectetur mutatio vitæ per mortem; Exigit hanc conditionem ipsa diuinæ essentiæ visio teste Deo, ad Moysen dicente Exod. 33. Nō videbit me homo, & viuet; quod etiam demonstrat ratio naturalis apud D. Thom. p. 12. & alibi.

Secunda conditio est perseuerantiæ, aut existentiæ in gratia tempore mutationis vitæ; quæ ex natura eiusdem præmij exigitur. Intima enim visio, & plusquàm familiarissima conuersatio cū Deo, quæ hæreditas, & corona nostra est, haberi non potest ab inimicis Dei, sed à filijs. amicis, legitimequè certantibus. Qui autem à gratia in morta-

mortale peccatum cadunt, inimici Dei constituuntur; omniumquè iustitiarum, pro quibus erat eis corona, mercesquè reddenda, memoria omninò delebitur; vt dicitur Ezech. 18. Et has duas conditiones expressit in Concilio Tridentino, Sess. 6. Can. 32. Spiritus sanctus.

Ratio huius partis primæ propositi fundamenti est: Quia hoc præmium debetur, vel ex sola natura gratiæ, & charitatis; quæ cum constituant filium Dei, & dignè Deo ambulantem in bonis operibus, dignum faciunt hæreditate, & cui secundum iustitiam, (qualis inter patrẽ, ac filium, talemquè patrem, & filium reperiri potest) debeatur heræditas; vel ex eisdem, ac superaddita promissione, statutoquè Dei de præmio tali bonis operibus retribuẽdo. Quę cũ ex sola Dei reuelatione cognosci potuerit, Ecclesiæ facta in Scripturis sanctis, aut alijs fidei declarationibus legittimis; his nihil ex diuinatione nostra superaddere possumus. At verò nulla in Scripturis alia, vel conditio, vel modus reperitur; sed absoluta promissio præmij huius operantibus ex charitate: ergò præmium vitæ æternæ simpliciter, & absolutè sub merito operum ex charitate procedentium cadit.

Augmentum verò charitatis, & gratiæ cadit sub huiusmodi operum merito, quasi habente modum, naturamquè dispositionis, secundumquè dispositionis, conditiones.

Et quoniam veritas hæc plurimi refert ad ea, quæ sequutura sunt, nec ab vllo (quod ego viderim) tractata est, sed quasi aut per se nota relicta est, aut quasi sufficienter probata auctoritate solum Sancti Thomæ, ac sequaciũ eius; quæ etsi meritò plurimi facienda sit, non tamen recipienda ab omnibus existimatur; ideò pro tenuitate mea diligentius, ac distinctè eam prosequi per propositiones sequentes constitui.

Prima propositio. Actus liberi arbitrij ad augmentum charitatis non per se primò comparantur in ratione meritorij. Ratio est. Nam nequè ex parte charitatis respiciunt per se primò augmentum, sed Deum ipsum ratione supra iam dicta; nequè ex parte augmenti formaliter sumpti

sumpti ratio meritorij respicit augmentum per se primò. Siquidem augmentum formaliter sumptum, idest charitas aucta, vt sic, vel augenda, significat terminum motus, & dispositionis perducentis ad terminum; ad quam nihil refert, sed accidit esse, vel non esse meritoriam.

Secunda propositio. Actus liberi arbitrij per se primò comparantur ad augmentum charitatis sub ratione dispositionis. Ratio insinuata iam est. Nam augmentum formaliter sumptum, idest, charitas, vt aucta; vel augenda significat terminum motus: terminus autem motus dispositionibus, ac motu inducitur, vt dispositiones sunt: & consequenter actus adducentes terminum comparantur ad ipsum, quasi dispositiones, seu sub rõne dispositionis: ergò sub ista ratione actus liberi arbitrij comparantur ad augmentum charitatis. Probatio minoris. Terminus motus forma est in subiectum introducenda ab agente volente simile sibi facere ex dissimili: ergò oportet dispositionibus remouere dissimilitudinem, & subiectum formæ aptum facere ad formam: ergò actus id præstantes rationem habent dispositionum.

Tertia propositio. Actus liberi arbitsij in ipso augmento charitatis concurrentes, non comparantur ad præmium gloriæ propriè sub ratione dispositionis, sed meriti. Probatur prima pars negatiua: Quod propriè, ac præcisè præmium est, ab extrinseco agente est, neque in recipiente aliquid aliud exigit, quàm opus statutũ pro obtinendo præmio effecisse: (est enim quiddam diuersum omninò ab omni eo, quod à merente, vel in merẽte præcedit:) ergò opus ad obtinendum ipsum propriè non habet rationem dispositionis subiecti comparatione præmij.

Notanter dixi, propriè. Nam communi, & impropria quadam ratione vocare actus illos dispositiones non esset erroneum, vel falsum: sed in doctrinis ita loqui non conuenit.

Probatur secunda pars affirmatiua. Præmium siquidem, & meritum correlatiua sunt: Et ipsum præmij nomen remunerationem meritorum significat.

Hinc verò fit, vt si qua vmbra dispositionis in his actibus

bus comparatis ad præmium æternæ vitæ appareat, ita in ratione meritorij imbibatur, vt absorbeatur penè. Præsertim quòd ratio ista absoluta, simpliciterquè meriti excedat rationem dispositionis, ex eo, quòd ratio meriti necessariò præexistit præmio; at dispositionem non opus est præexistere, cum habeat comparationem materiæ ad formam, quæ eodem esse etiam potest existere, & secundum varia causarum genera sibi mutuò præcedere ordine naturæ.

Quarta propositio. Quamuis in actibus liberi arbitrij comparatis ad charitatis augmentum ratio meritorij sit: attamen ratio dispositionis in eisdem inuenta, vniuersalior, ac prior est. Probatur.

Primò. Nam ratio dispositionis reperitur in omni omninò adulti iustificatione, non autem ratio meriti respectu gratiæ, qua iustificatur: vt patet in prima eius iustificatione. Et hinc probatur secunda pars.

Vniuersaliora enim priora sunt; quia ab eis non cõuertitur existendi consequentia.

Secundò, & validius ad vtramquè partem propositionis arguitur. Quod est de ratione iustificationis adulti & vniuersalius, & prius inest eo, quod non est de eius ratione; At concursus liberi arbitrij disponens ad gratiam de ratione est iustificationis adulti, non autem concursus eiusdem merentis ipsam gratiam: ergò ratio dispositionis est vniuersalior, & prior in actibus his liberi arbitrij, ratione meritorij.

Confirmatur. Ratio dispositionis inuenta est in iustificatione Angelorum in ipsa eorum creatione, in miraculosis conuersionibus, vt Pauli Apostoli, in ipsa animæ Christi iustificatione; quos illam omninò gratiam primam non meruisse nemo non confitetur.

Quinta propositio. Hæc eadem ratio dispositionis in his actibus comparatis ad augmentum charitatis. Intimior est ratione meriti. Probatur.

Primò. Nam conuenit eis ex ratione iustificationis adulti ratio disponendi, non autem ita conuenit ratio meritorij; est aut intimus id, quod conuenit ex ipsa ratione rei: ergò.

Se-

Secundò. Ad augmentum formaliter sumptum per accidens concurrit ratio meriti, non aūt ratio dispositionis: ergò ista ratio intimior est. Consequentia est euidentissima. Antecedens patet ex primis duabus propositionibus. Quod etiam confirmatur; quia posset ex sola dispositione maiori haberi augmentum sine merito, sicut in prima impij iustificatione habetur in vno abundantior gratia, vti in Magdalena, quàm in alio, vti in latrone conuerso in Cruce; nisi Deus ex abundantiori largitate statuisset, vt etiam gratia ipsa augenda caderet sub merito, vt dictum fuit supra in declaratione secundæ distinctionis.

An verò instabis? Quia ad charitatem, (quæ in eam augente supponitur) per se, ac necessariò, intimissimèq; sequitur ratio meritorij? Sed

Respondetur primò. Hoc esse verum loquendo de eo præmio, quod sub merito cadit per se primò. Ideòquè potest concludi, his actibus intimius, ac prius conuenire rationem meriti respectu gloriæ, quàm rationem meriti, vel etiam dispositionis respectu augmēti charitatis: quod verum quidem est, non tamen veræ huic nostræ propositioni contrarium.

Secundò respondetur. Hos actus comparari ad augmētum posse dupliciter: primò, vt à charitate sunt. Secundò, vt sunt à libero arbitrio, licet informato charitate. Quicquid instantia concludat de eis primo modo sumptis, non curamus: non concludit tamen de eis sumptis secundo modo, vt inquam sunt actus liberi arbitrij charitate tamen informati, quòd intimius, ac prius mæreantur, quàm disponant. Quia disponere eis conuenit ex eò, quòd est iustificatio quædam adulti; quæ ratio, & vniuersalior (cum reperiatur etiam in prima impij iustificatione,) & consequenter prior est, ac intimior: vt probatum est. Non tamen in his actibus liberi arbitrij putes esse rationem disponendi, vt sunt à libero arbitrio: sed vt ei coniungitur auxilium Dei speciale monentis, & dirigentis in gratiam.

Tertiò probatur. Ratio meritorij his actibus comparatis ad iustificationem accedit ex superaddito accidente chari-

charitatis, ratio verò dispositorij conuenit ex intrinseca ratione iustificationis adulti, quę in hoc augmento charitatis saluatur: ergò ratio dispositorij est illis intimior.

Quod si addas charitatem superadditam vendicare sibi rationem meritorij per se primò respectu præmij æternæ vitæ, & consequenter respectu status patriæ, (hoc enim præmium ad illum statum pertinet, imò ipsum efficit,) respectu verò eorum, quæ sunt in hac vita, ad eamquè pertinent, aut per accidens, aut quasi per accidens; videbis rationem meritorij in his actibus repertam comparatione iustificationis maioris conuenire eis quasi per accidens, cum ratio dispositiua, quasi per se, ideòquè etiam intimius eis conueniat. Certum autem est, vt primam, ita & auctiorem iustificationem ad hanc vitam pertinere. Cæterum ex his vnum.

Corollarium annotatione dignissimum non prætermittas colligere. Videlicet:

Nos ipso actu, quo meremur augmentum charitatis, prius, ac principalius mereri præmium substantiale æternæ vitæ. Nam quod alicui secundariò, & per accidens, aut quasi per accidens conuenit, (quale est meritum augmenti charitatis comparatum actui à charitate prodeunti) nunquam excludit, aut præcedit id, quod per se primò conuenit, (quo modo conuenit charitati æternam vitam promereri.)

Sexta propositio. Hi actus liberi arbitrij. Respectu augmenti charitatis non habent rationem meriti simpliciter absoluti, sed modificatam ad naturam, modum, conditionemquè dispositionis.

Et hoc fuit, quod principaliter nobis proposueramus declarandum.

Hæc propositio declaratur ab opposito. Nam iustus benè ex charitate operando æternæ vitæ præmium meretur, & ad illam obtinendam nullam exigit aliam conditionem, nisi vt in fine vitæ, quandò reddendum est, in gratia reperiatur. At fieri potest, vt mereatur quidem gratiæ, & charitatis augmentum, attamen aliqua alia consimilis exigatur dispositio, qua non adueniente non

obti-

obtineatur; & item eadem adueniente, habeatur quidem; sed tamen modo, ac memsura quadam conuenienti non rationi meriti absoluti, sed rationi dispositionis.

Hæc propositio sic declarata, plurimumquè annotãda Probatur primò. Ratio meriti aduenit hiscè actibus, tanquàm posterius quid, minusquè intimum ratione dispositionis, imò vt accessorium; ergò modificatur ad naturam, modumquè, ac conditionem dispositionis. Antecedens patet ex propositionibus præmissis. Consequentia probatur. Quia accessorium iuxta peruulgatum apud omnes axioma sequitur naturam principalis, cui accedit.

Secundò. Etsi ex coniunctione ad superiora res nobilitentur, illa tamen nobilitas in inferiori modificatur ad naturam inferioris. Hoc ipsum sensus ipsemet experitur. Cogitatiua enim sensus est ex coniunctione ad rationem nobilitatus valdè, vt & particulares scilicet substantias cognoscat, vtquè discurrat: hæc tamen nobilitas modificatur; vt & cognitio, substantiarum sensibilium sit, & discursus, sit etiam particularium, & particulariter. Ergò licet actus humanus ad iustificationem per se primò, vt dispositiuus concurrens, per adiunctionem meritorij excellentiam magnam acquirat (præstat enim valdè esse dispositionem meritoriam formæ illius, ad quam disponit, quàm esse tantum puram dispositionem, vt supra dictum est) hæc tamẽ ratio meritorij in ratione dispositionis modificatur, & vt ita dixerim imbibitur ad naturam, modũquè, & conditionem dispositionis.

Septima propositio. Hoc meritum, seu potius dispositio meritoria duobus modis se habere potest, respectu augmenti charitatis, cui vt dispositio meritoria, seu meritum dispositiuum comparatur. Primò, vt dispositio proxima, siuè vltima. (Quod tunc est; quandò, si habitus per actum nostrum posset efficienter produci, habitus illius operis virtute secundum ipsam substantiam suam crescceret.) Secũdò, vt dispositio remota: quandò actus scilicet talis est, quòd ipsa habitus substantia non cresceret, etiamsi talis habitus per actus nostros efficienter producer etur. Probatur dari huiusmodi duplicem modum dispositionis in actibus humanis in ordine ad gratiam.

G Primò.

Primò. Nam hoc commune eſt omni formæ introducendæ in materia; habere ſcilicet, duplici tali modo diſpoſitiones ſecũdum vniuerſorum Philoſophorum doctrinam, etſi ab extrinſeco penitus forma illa veniat, qualis anima rationalis eſt.

Secundò. Nam communis omnium Theologorum ſententia eſt, habere quandoquè homines actus plures ad gratiam primæ iuſtificationis diſponentes; & quoſdam eſſe remotas, quoſdam proximas diſpoſitiones; & vtraſquè tàm Philoſophi, quàm Theologi eodem modo ferè declarant, quo nos declarauimus, per analogiam ad naturales diſpoſitiones formarnm naturalium. Ergò ſimiliter contingit circa gratiam in tota iuſtificatione augendã: Eadem eſt enim natura partis, & totius. Hi verò actus rationem diſpoſitionis habent: meritũmquè in eis ad naturam, modum, conditioneſquè diſpoſitionum modificatur, vt prædidictum eſt.

Ex hac verò propoſitione, eiuſquè declaratione poſtremò pro hac declaratione iſtud dictũ concludã; Quod erit.

Octaua propoſitio. Meritum actus, qui intenſior eſt charitate ei præexiſtente, diſpoſitio proxima eſt, ſeu eſt meritum proximè diſpoſitiuum ad augmentum charitatis: Meritum verò actus dictæ prçexiſtenti charitati adæquatus, vel etiam remiſſior illa, eſt ad augendam charitatem diſpoſitio remota. Probatur.

In quæſtione enim de Actu augmentatiuo, habituum moralium acquiſitorum probauimus ſolo intenſiore actu virtutes augeri, non autem adæquatis, aut remiſſioribus, quantumlibet frequententur, aut continuentur: ergò ſolus actus intenſior charitate erit diſpoſitio proxima, reliqui verò remota; ſicut etiam in moralibus virtutibus acquiſitis. De charitate enim, gratia, & huiuſmodi infuſis ad moralium virtutum acquiſitarum analogiam ſentiendum, & determinandum eſt; quod peregregiè Victoria probauit in relectione ſua de hac materia, & alij quoq; conſentiunt, deduciquè poteſt ex illo, inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, cognoſcuntur. Rom. 1. Sed non eſt in hac re modò immorandum.

HIS

HIS ita, vt ego arbitror, firmiter constitutis afferamus Conclusiones.

Prima Conclusio est. Quolibet actu bono charitatis meremur præmium substantiale vitæ æternæ; idquè per se primò, & absolutè simpliciter. Habet hæc conclusio multas partes: quas explicatas singillatim probabimus.

Prima pars est, Actu charitatis mereri nos æternam vitam: quæ probatur. Primò authoritatibus scripturæ à prima opinione pro dicto suo primo allatis, quibus aliæ innumeræ addi possunt. Vt illud Rom.6. Gratia Dei vita æterna; (idem enim tribuitur gratiæ, vt primæ radici, & causæ, & charitati, vt proximæ.) Item 1. Thim.4. Bonum certamen certaui, cursum consumaui fidem seruaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi iustus Iudex. Item 1. Pet. 1 Regenerauit nos in spem viuam in hæreditatem incorruptibilem paratam reuelari in tempore nouissimo, In quo exultabitis modicum nunc si oportet contristari in varijs tentationibus, &c. & 2. Pet. 1. Hæc enim si vobiscum adsint, & superent non vacuos, nec sine fructu vos constituēt in Domini Nostri Iesu Christi cognitione. Item Apoc. 3. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt & dealb. stolas suas in sanguine agni: Ideò sunt antè Thronum Dei, &c. vsquè in finem capitis. At non oportet multiplicare, quia de his controuersia non est.

Secundo, probatur authoritate Concilij Trident. sess.6. can.32. c.26. Auraui 2. can. 18.

Secunda Pars est. Quòd meremur hoc præmium singulis huiusmodi actibus: Probatur.

Primò. Actus humani non possunt huiusmodi præmium mereri ex natura sua, iuxta illud: Non sunt condignæ passiones huius tēporis ad futurā gloriam, quę reuelabitur in nobis, Rom.8. Ergò merētur illud ex principio superaddito gratiæ, & charitatis, de quo Ioan. 4. Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ergò cuilibet actui ex tali principio conuenit meritum istud; hæc vltima consequentia probatur. Quia ad naturam gratiæ, & charitatis quilibet actus eodem modo se habet: Et natu-

ralis vis , & conditio gratiæ , & charitatis eadem in omnibus idem facit . Confirmatur , & explicatur . Quod conuenit actui ex natura habitus, quo producitur, conuenit omni actui ex habitu eodem producto . At præmij substantialis gloriæ meritum humano actui conuenit ex natura charitatis , & gratiæ . Ergò conuenit omni humano actui ex charitate producto .

Confirmatur . Secundò, Præmium istud est Corona de qua Paulus dixit 1. Thim. 4. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet, &c. Sed hęc corona non magis reddenda est vni operi facto ex charitate, quàm alteri ; quia natura charitatis,& gratiæ , quæ principium est operis, vna simpliciter est in omnibus; nec potest facere diuersitatem , nisi secundum magis , &c.

Secundò principaliter . Quod per se est, & est necessarium, & vniuersale, vt patet ex Logicis;mereri præmium hoc inest charitati,& gratiæ per se: ergò inest necessariò, & vniuersaliter : ergò in quolibet opere suo facit charitas meritum istud . Minor propositio demonstratur eò , quòd inest hoc gratiæ, & charitati ex natura sua: est autẽ per se omne , quod ex natura inest .

Tertiò. Ratio meriti huius ex natura gratiæ, & charitatis , & ex Diuina promissione pollicente remunerationem hanc operam pendet, & quantum est ex natura charitatis communis omnibus operibus comprobata est . Promissio habetur , tùm antiquitus Abrahæ. Ambula coram me: Ego ero merces tua magna nimis: Tùm vniuersis à Christo explicata : Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cœlorum . Et beati pauperes , qui lugent, misericordes, qui patiantur propter iustitiam. Ipsorum enim est Regnum Cœlorum . Et hęc non est facta vni generi bonorum operum , non autem alteri ; nec vni excellenti , non alteri debili : ergò omnibus , &c. Profectò dare calicem aquæ frigidæ pauperi, ferè nihil est: cui tamen mercedem propriam Deus pollicitus est .

Quartò, & vltimo . Axioma omnibus Theologis probatum est;De pertinentibus ad fidem non esse audendum quippiam affirmare; præsertim Scripturæ verba limitando,

do, extendendo, declarando, nisi ex reuelatione habita per easdem Scripturas, aut Patrum, Conciliorum, traditionumuè, ac aliarum huiusmodi regularum fidei determinationes, aut saltem nisi euidenti deductione ex talibus principijs concludatur: ergò nequè de merito, ac præmio substantialis gloriæ: quæ ex sola possunt reuelatione cognosci, eò quòd sint omninò de fide. Cum igitur Scripturæ bonis operibus ex charitate hoc præmium promittant: oportet illud omnibus operibus eius tribuere: Alioquin afferatur auctoritas, aut ratio, &c. Quæ nulla omninò est.

Proindè. Determinatio Can. 32. Sess. 6. Conc. Triden. Vniuersalis censenda est: præsertim cum afferat rationem propriam, per se, & vniuersalem meriti; scilicet opera esse facta per gratiam Dei, meritum Iesu Christi, à viuo Christi membro. Ex quo facilè acutus Lector hanc partem conclusionis demonstrabit.

Tertia pars est. Quòd meremur hoc præmium per se primò his actibus charitatis. Probatur. Illud meretur opus ex charitate factum, quod à natura ipsa charitatis intenditur. Et dico, meretur & per se, & per se primò, si intenditur per se primò. Notior est hæc propositio, quàm vt debeat probari. At à charitatis natura, & per se, & per se primò intenditur Deus, Vltimus scilicet omnium finis, charitatis verò proprius finis, & obiectum. Et dico Deum, vt est in seipso visus. Perfecta enim amicitia intendit perfectam amici præsentiam, fruitionemquè non absconditam, & obumbratam: ergò &c.

Secundò. Illud est per se primò præmium operis, ad quod opus illud principaliter ordinatur. Propositio est apertissima, cum præmium, & meritum correlatiua sint. Habeturquè ad verbum ex Diuo Thoma 3. 18. 1. 4. ad 4. At opera ex charitate facta principaliter ordinantur ad id, quod est de substantia æternæ beatitudinis: quam etiam propositionem habet Sanctus Doctor loco citato; & ex ipso charitatis obiecto probari facilè potest: ergò hoc ipsum est per se primò præmium operis ex charitate facti.

Quarta pars est. Quòd absolutè simpliciter istud præmium meremur. Probatur.

Primò. Non pendet hoc meritum ab vllo alio principio, quam gratiæ, & charitatis, vt dictum est initio propositi fundamenti: ergò est meritum simpliciter absolutũ.

Secundò. Adde nullum hactenus hoc negasse, vel in dubium reuocasse: & consequenter oppositum potius esset (si non erronea; quod mihi profectò videtur) temeraria assertio.

Huic conclusioni adiungere potes corolarium illatum supra propositione quinta, scilicet

Nos ipso actu, quo meremur augmentum charitatis, prius, ac principalius meremur præmium substantiale æternæ vitæ.

Secunda Conclusio. Siuè opus remissior sit ea charitate, à qua procedit, siuè sit illi æqualis, siuè intensior, semper meretur hoc præmium substantiale per se primò.

Ratio demonstrans est. Quia hoc meritum ex ipsa natura charitatis, & etiam hoc modo conuenit omni actui charitatis ex præcedenti conclusione.

Adde secundò. Illud, quod accidentale est, non variat naturam rei, & consequenter non tollit ea, quæ conueniunt ex natura rei: alioquin non accidentale, sed repugnans esset: Atqui esse remissum, vel adæquatum, vel intensius accidentale est charitatis actui. Vndè idem actus, vt sex intensus comparatus charitati in quatuor gradibus constitutæ intensior dicetur: in octo autem constitutæ gradibus, remissior; in sex autem gradibus constitutæ, erit æqualis: ergò si in vno puta in primo est meritorius huius præmij, ita & in reliquis.

Adijcio Conclusioni. Siuè charitas præexistat operi, (vt in homine olim iustificato) secundum tempus, siuè præexistat solum secundum naturam, vt contingit cùm homo adultus in prima iustificatione sua actu libero concurrẽs gratiam consequitur. Ratio est, quia semper est actus à charitate ex ipsa sua natura directus per se primò in hũc finem: & anticipatio temporis, aut solius naturæ accidentia sunt nihil immutantia.

Tertia Conclusio. Per actus charitatis quantumuis remissos iusto crescit meritum, ac præmium æternæ vitæ substantiale. Quod est dicere meretur augmentum gloriæ.

Ratio demonstrans est. Quolibet opere ex charitate facto meremur præmium substantialis gloriæ per se primò absolutè, simpliciter, ex prima conclusione. Ergò nouis aduenientibus operibus ex charitate, oportet augeri præmium. Consequentia ex se videtur aperta: sed & probatur; quia par ratio est de omnibus, & singulis quibusquè.

Secundò. Probatur tanquàm de fide. Nam ita determinauit Conc. Trid. Sess. 6. Can. 32.

Nec potest dici vllam ibi conditionem supponi. Quia ibi nulla explicatur; nisi dicas illam afferri; si tamen in gratia decesserit: quæ ad consecutionem præmij pertinet, non ad meritum: alioquin hoc meritum esset post decessum expectandum; quod est planè non solum falsum, & error in fide, sed etiam ridiculum.

Nequè vel ex natura operis, aut charitatis, quæ principium eius est, nequè ex natura eius termini, seu finis (præmij inquam) vlla omninò potest deduci conditio.

Quarta Conclusio. Præmium substantialis gloriæ cadit sub merito singulorum operum ex charitate, secundum totam latitudinem meriti. Vbi fuerit probata declarabitur.

Prob. pr. Hoc meritum nascitur ex ipsa natura charitatis absolutè: ergò secundum eam latitudinem, secundum quam in tali opere se exerit charitas, secundum eandem sequitur in opere latitudo debiti præmij; seu (quod idem est) meritum præmij sequitur secundum eandem latitudinem. Confirmatur. Nam actum esse, vt quatuor, vel vt sex, significat esse dignum præmio, vt quatuor, vel vt sex.

Secundò. Non est vlla ratio, cur merito simpliciter absoluto non debeat correspondere præmium illi æquale. At horum operum meritum comparatum præmio substantialis gloriæ est meritum absolutum. simpliciter

ergò. Et minor quidem in fundamento præmissa est, & prima conclusione repetita. Maior autem probatur. Primò. Nam meritum, & præmium sunt correlatiua. Secundò. Quia tunc non redderetur iusta, & propria merces, si non esset æqualis latitudini meriti.

Tertiò. Nulla est anctoritas Scripturæ, vel Patrũ, nullum principium persuadens huius præmij merito absoluto comparati limitationem: ergò præmij latitudo tanta asserenda est cadere sub merito, quanta est latitudo ipsius meriti.

Declaratur autem Conclusio ex D. Thoma, p. sen. 17. 2. 3. ad 2. & dist. 27. p. 3. hanc remunerationem esse æquandam merito secundum geometricam æqualitatem, non secundum proportionem arithmeticam: quia qualitates scilicet eorum non sunt æquales, sed proportiones.

Quinta Conclusio. Præmium hoc substantialis gloriæ hominibus post hanc vitam infallibiliter, totumquè reddetur, secundum totam latitudinem meriti, si decesserint in gratia, & charitate eadem. Vbi

Notanter dixi. Si decesserint in eadem gratia. Quia de ijs, qui cadunt à gratia maiore, reparanturquè per pœnitentiam ad minorem gratiam inferius disputandum diligentius est.

Probatur. A Iustissimo Iudice, & fidelissimo promissore non potest non reddi præmium, quod absolutè promissum est operibus bonis, & quod meriti sumus simpliciter. Hæc propositio adeò est euidens, vt non sit opus eam probare; quia eius oppositum concluderet in Deo iniustitiam, & infidelitatem. At præmium æternæ vitæ hoc modo sub operum ex charitate prodeuntium merito cadit, vt habetur conclusione prima: ergò non potest infallibiliter non reddi totum, & secundum latitudinem totam meritorum, decedentibus in eadem gratia.

Notandum hoc loco primò, rationem redditam fuisse supra in fundamento præmisso harum duarum conditionum pertinentium non ad meritum, sed ad remunerationem meritorum, scilicet dilationis temporis, & existentiæ in gratia in fine vitæ ex ipsa natura præmij reddendi;

dendi; ideòquè non repetetur frustra.

Secundò. In hac voce præmio contineri etiam augmentum præmij huius substantialis, & charitatem Deo viso fruentem, & gaudentem; quorum par ratio est, cùm idē sint præmio substantiali, vti initio dictum est. Hæc enim charitas illa est, quæ à Diuo Thoma p. 17. 2. 3. ad primum vocatur charitas, vt perfectio Beatitudinis, & iam suprà dictum est gaudium de Deo viso in hac materia, cum visione pro vno computari. Est autem alius modus charitatis habendæ, vel augendæ; qui loco citato vocatur charitas, vt principium operis meritorij. Hæc autem augetur, cum ad nouum gradum ascendit. Sic enim dicitur augeri, secundum quòd est principium operis; quia scilicet opera ex ea facta, quamuis remissa sint ad vnum scilicet, duos, tresuè gradus, vti erant etiam antequàm nouum hunc gradum conscendisset, nobiliora sunt tamen præcedentibus, nobiliusquè remuneranda. Nam cum Deus respiciat prius ad hominem, deindè opera eius; vti homo eleuatus ad altiorem gradum charitatis est gratus magis, ita etiam gratiora sunt opera eius. Potest etiam hoc membrum sic declarari; vt dicatur charitas, vt principium operis, ad differentiam charitatis patriæ, quæ principium non est operum meritorium, vnde non est principium augendi, multiplicandiquè merita, atque seipsam, sed est præcisè pręmium: quæ verò in hac vita est, & præmium est præteriti meriti, & potest esse principium noui, quo augeatur in se, & multiplicetur in meritis.

Sexta Conclusio. Quilibet actus charitatis meretur, ac tempore suo infallibiliter, vti conclusione præcedenti dicitur, obtinebit omninò nonum præmium substantiale æternæ vitæ.

Contra secundam sententiam hęc Conclusio probatur.

Primò. In ijs, quæ pertinent ad præmium æternæ vitæ, de qno dicitur, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Dominus, &c. nihil est afferendum, nisi quod habent Scripturæ sacræ, Ecclesiæ diffinitiones legitimæ, Sanctorum Patrum auctoritates, aut quæ necessariò, & clarè ex istis deducuntur

tur ratione per axioma cunctis Theologis semper decantatum. At Scripturę omnibus charitatis operibus simpliciter, nulla omninò restrictione, aut modificatione apposita promittunt mercedem, & ratione etiam ita dicendum esse demonstratum est supra Conclusione prima. quoad meritum, & consequenter etiam quoad pręmium secunda conclusione: ergò cuilibet conuenit, & tempore suo reddetur propria merces. At si præmium non sit omninò nouum, non erit merces illi operi propria, sed illi, alijsquè communis. Ergò oportet esse præmium omninò nouum.

Nulla autem affertur, aut Conciliorum, aut Patrum, similiumuè auctoritas in contrarium, nulla ratio ex illis deducta; quia nequè afferri contra veritatem similia possunt.

Secundò. Nouus iste titulus non affert secundum rem nouum gaudium de Deo magis viso: ergò reuera non affert nouum præmium substantiale: ergò ex Deo per nouum titulum obtento, reuera non crescit substantiale præmium, & realiter. At per opera quælibet charitatis realiter præmium substantiale crescere dictum, probatúquè est supra Conclusio. tertia: ergò inutilis, & fallax est nouus iste titulus.

Tertiò. Destrueturquè fundamentum oppositæ sententiæ. Oppositorum oppositæ sunt conditiones. At in merendo præmio Christus opposito modo se habet, quàm nos; ergò erunt oppositæ conditiones. Declaratur, simulquè probatur minor. Christus enim voluit omnia simul promereri, cùm potuisset illa promereri per partes, si voluisset: at nos necessariò per partes ad totius prædestinati præmij meritum peruenimus. Et ideò optimè illi conuenit, vt cùm primo actu suo intentum, propositumquè sibi præmium totum promeruerit, nouis actibus idem sibi, quasi diuersis titulis debitum faceret, ac mereretur: id verò nobis non conueniat, sed vt semper nouum quid mereamur.

Quartò. Ratio, cur ita idem mereri nouis titulis conueniat, est Christo propria: ergò non potest hoc ipsum

nobis

nobis attribui. Consequentia videtur per se nota. Antecedens probatur hae declaratione. Christus enim totum præmium sub eius merito potens cadere proposuit sibi, & in illud opus suum direxit. Vndè ab Hebr. 10. dicitur: In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel. Et ideò non potuit mereri noui quippiam. Nobis autem ex ipsa præmij, & charitatis, & nostræ cognitionis ratione semper ad noua progredi proprium est: ergò.

Quintò. Ratio, quarè sic Christo conuenit idem nouis titulis promereri, est adeò propria Christo, quòd nulli est creaturæ communicata; quin (adde amplius) nec est etiam communicabilis: ergò rationi repugnat idem nobis, quod Christo, attribui, præter naturalem conditionem operis meritorij. Et de consequentia quidem non oportet sollicitari, adeò videtur manifesta. Antecedens autem probatur. Conuenit enim id Christo ex eo, quòd eius meritum infinitum erat, propter infinitam dignitatem personæ operantis, scilicet Dei hominis, quæ persona vnione consistit verbi cum nostra humanitate: Est autem hæc vnio omni omninò creaturæ puræ prorsus impossibilis, & incommunicabilis; ergò, &c.

Tu verò acutè Lector, ac disputator hanc rationem diligenter pondera. Nam quòd Christus ita sibi totum præmium suum proposuerit, quòd totum sibi debitum primo ipso opere fecerit, & posteà tamen adeò cõtinuis, atquè innumeris consequentibus illud idem totum nouis, quasi titulis de rigorosa (vt aiunt) iustitia promereretur, non casu, aut quasi mera voluntate statuente factum est; sed summa ratione persuadente id faciendum ei, qui Deus homo cùm esset, proportionaliter personæ, ac dignitati suæ operari debuit, ac mereri. Et propterea, vti semper infinitè merebatur propter personæ dignitatem, & immensitatem gratiæ; ita etiam debuit semper totum mereri, quod sub eius merito cadere potuit. Nam longè excellentius est totum infinito merito infinities promeruisse, quam peruenire per partes ad totum: ideòquè hoc ipsum debuit eligere tamquàm proprium, atquè personæ

suæ

suæ merenti debitum modum. Ex quo intellige illud: Copiosa apud eum redemptio.

Notanter autem dixi; Præter naturalem conditionem operis meritorij. Inferiùs enim ostendemus rationabiliter asseri, idem augmenti charitatis præmium sub merito, intensioris, remissiorisquè operis cadere, & quasi pluribus titulis homini operanti retribui.

Sextò probatur. Non est à consueto, & naturali modo rerum in extraordinarium, ac præternaturalem discedendum sine maxima necessitate, & ratione; præsertim in rebus adeò grauibus, quales sunt ęternę vitę meritum, ac pręmium. At non esse forsitan vllam necessitatem, nedum maximam, introducendi hunc nouum modum humana nostra merita pręmiandi ex sequentibus apparebit: ergò, &c. Et vide, an in Christo asseratur ex maxima necessitate, ac ratione ista remuneratio ex titulis diuersis, ex paulò antè declaratis.

Septimò, & vltimo. Petrus in decimo gradu gratię habens 100. actus ei adęquatos, erit beatior Paulo totidem habenti in eodem gradu gratiæ remissos, vt duo, in quibus vterquè moritur: ergò aliquid habet amplius substantiale, quàm Paulus: ergò non sufficit multiplicatio ista titulorum, in qua sunt pares: sed opus est Deum videri magis. Antecedēs probat ratio iustitiæ: (plus enim merenti debetur præmium amplius,) & in hac materia semper intelligitur præmium substantiale visionis, quod est à charitate semper per se primò intentum, vt supradictum est. An confugiet ad visionem essentiæ coniunctam tali titulo meliori, quia scilicet magis intenso, quia adæquato gratiæ decem graduum? Sed hoc est omninò vanū. Quia cum opinio dicat visionem esse eandem simpliciter; differentia non potest attendi, nisi secundum dignitatem, actus, ergò differentia non potest vllo modo pertinere ad præmium substantiale; cùm non sit de Deo magis viso; sed de nobiliore ratione perueniendi ad visionem.

Septima Cōcl. Nullus omninò actus ex charitate procedens, etsi remissus frustra exit, seu producitur à viro iusto.

Probatur. Id frustra dicitur fieri, quod finem principalem

lem non consequitur. Ex Aristot. 2.Physicorum. At omnis quamquàm remissus actus bonus ex charitate procedens finem suum principalem consequitur suo tempore, præmium inquam substantiale æternæ vitæ, vt probatum est conclusione sexta, & octaua; ergò, &c.

Hoc loco occurrendum putaui mussitationi quorundã intra se quærentium, quomodò meritum æternæ vitæ sit principale, ac per se primò intentum à charitate; cùm istud in Christo non fuerit, in quo nihil minus habere debuit charitas, quàm in alijs, sed præstantiora potius, cùm ex vnione, cùm persona ineffabili sit supra modum exaltata. Nam istud meritum obtinendum per se primò à charitate intelligitur, quandò extra patriã caret aperta Dei visione, quàm charitas nata est quærere meritorio motu, quousquè eã assecuta summum bonum suum possideat. Attamen non esset à fide, rationequè alienum asserere non defuisse charitati hanc perfectionem in Christo, & vehementius, & augustius exaltatam, sed pro ratione capitis. Hinc siquidem Christo conuenit, vt præmiũ hoc, non sibi ipsi (vt persona quædam ab omnibus distincta est) mereretur. Non decuit enim caput vmquam illo fine carere, ad quẽ alios perquàm multos erat adducturus, sed nasci plenum gratiæ, & veritatis quasi vnigenitus à patre. Attamen quatenus persona quædam mystica est fidelibus omnibus suis, tamquàm membris constans huius præmij capacibus, sibi ipsi non ratione capitis huius personæ mysticæ, sed ratione suorum membrorum, meruit substantiale æternæ vitæ præmium. Et prætereà, (ecce exaltationem gratiæ, & charitatis in Christo) omnia interna, externa, vtilia, necessaria, actualia, habitualia, quæcumquè cuiuis fidelium data sunt. Et in vniuersum omnia bona, cuiusquè generis nobis venerunt ab illa; quamuis dispositiones remotas, remotissimas eas appellaueris, &c.

Octaua Conclusio. Quolibet actu charitatis meretur Iustus eiusdem charitatis augmentum: attamen non statim à quolibet huiusmodi merito augetur charitas, sed solum cum habetur actus intensior ipsa præexistente chari-

charitate augenda. Habet hæc conclusio plures partes, quæ singillatim tractandæ sunt.

Prima pars est; Quolibet actu bono ex charitate iustii mereri augmentum ipsiusmet charitatis; quæ probatur. Primò. Auctoritate Concilij Tridentini, Sess. 6. Can. 32. Si quis dixerit ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum est membrum, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atquè etiam gloriæ augmentum anathema sit. Ex quibus patet omnium horum augmentum, scilicet gratiæ, & gloriæ; Vitam æternam, eiusquè consecutionem cadere sub merito bonorum operum hominis iustificati: & eodem fundamento niti meritum eorum, quia gratiæ Dei, merito Christi, & modo existendi Christi membrum, videlicet membrum viuum.

Tunc est argumentum primum. Et videtur palmare, non solum conuincens actus bonos ex charitate mereri augmentum charitatis, quæ expressa sententia fidei est in hac diffinitione, sed etiam singulos quoslibet, etsi remissos. Eodem fundamento nituntur omnes actus ex charitate procedentes, quamuis remissiores sint: ergò eadem mereri omnes necesse est. Antecedens patet. Nam super Dei gratia, merito Christi, & vita membri Christi operantis fundatur etiam remissus actus: Alioquin non esset meritorius æternæ vitæ, contra Conclusionem secundam iam statutam, & vniuersalem sententiam omnium Doctorum, imò fidelium, Consequentia patet, quia ab eadem causa semper idem effectus est in omnibus tali causa participantibus.

Secundum. Eadē sententia est Cōcilij de merito operū ex charitate prodeuntium, quoad mereri vitam æternam, æternæquè vitæ consecutionem, & gloriæ augmentum, ac de merito augmenti gratiæ, vt patet ex ipsis verbis Canon. 32. prædicti. Sed quilibet etiam remissior actus ex charitate procedens meretur æternam vitam, eiusquè consecutionem, & augmentum, vt prædictum est: ergò

Tertium

Tertium. Ad rationem meriti per accidens est actum esse, vel non esse æqualem, aut remissiorem, vel intensiorem: licet non sit accidentale rationi causalitatis in ratione dispositionis: ergò cum ex fundamento gratiæ Dei prædicto actui charitatis conueniat mereri augmentum gratiæ, & charitatis iuxta diffinitionem Concilij, per accidens erit illi actui esse remissum, adæquatum, intensiorem. Quod autem per accidens est, non mutat rei conditiones; ergò si intensior actus meretur augmentum, etiam remissus.

Quartũ. Videtur esse Cõcilio iniuriũ exigere in actu intensionem maiorẽ, vt mereri possit augmentum, aut gratiæ, aut gloriæ: ergò opposita sententia falsa, nostra Conclusio vera. Consequentia est euidens. Antecedens probatur, & declaratur. Nam si ad horum meritum habendum exigitur intensio maior falsum erit; Iustificatum operibus suis, quæ per Dei gratiam, Christi meritum à viuo Christi membro fiunt, illa mereri. Hæc enim etiam reperiuntur in opere remisso, & adæquato gratiæ, quod secundũ oppositam sententiam, tamen illa non meretur.

Secundò principaliter probatur auctoritate D. Thomæ expressè id asserentis 2.2.26 6. ad 1, de charitate, & prima 2. 114. 8. de gratia. Vbi Caietanus ostendit, vel retractatam sententiam, quam habuit in sententijs, aut exponendam; ac si negauerit meritum augmenti concomitantis meritum; quale reuera tractare videtur. 2. sent. 27. q. p. art. 5. per totum. Et potest ex eodem loco tertia assumi ad propositum authoritas. Habet enim ad 2. Quandò actus meritorius se habet ad præmium solum in ratione meriti, tunc verum esse, quòd sicut quis per vnum actum eiusdem rationis meretur præmium, ita & per alium, Tunc sublumo, sed (vt ipsra patebit) omnes actus remissi, & adaquati se habent ad augmentum gratiæ, & charitatis tamquàm præmium, solum in ratione meriti, intensior autem in ratione, & meriti, & causæ. ergò quolibet actu charitatis meremur augmentum eius.

Tertiò principaliter probatur rationibus. Prima est. Maius est mereri gloriam, quæ est gratiæ perfectio, quàm

mereri

mereri augmentum gratiæ; quia gratiam augeri est minus, quàm eandem perfici; at quolibet, etsi remisso, actu charitatis meremur gloriam; vt dictum est conclusione secunda, & gloriæ augmentum ex Concilio Tridentino, & supra dictum est conclusione tertia: ergò etiam quolibet actu meremur eius augmentum.

Secunda est. Ad merendum tantum augmentum requiritur, & sufficit, charitas, & gratia, libertas arbitrij concurrentis, auxilium Dei mouens: at in quolibet opere charitatis producto ista reperiuntur: ergò quolibet opere ex charitate facto meremur augmentum.

Notanter dixi ad merendum tantum ista requiri; nam ad merendum, & obtinendum non item ista sufficerent.

Tertia. Operibus, quibuslibet ex charitate productis, meremur vltimum terminum iustificationis: ergò & progressum illius; hic autem progressus augmentum est: ergò. Antecedens patet ex Conclusione secunda. Consequentia probatur; quia sub eadem gratiæ, & charitatis motione, & intentione cadit terminus motus, & motus progressio.

Quarta. Augustius honorantur amici Dei, si non solum concurrunt ad augmentum gratiæ, vt disponentes, sed etiam, vt merentes; at Deus nimis honorat amicos suos: ergò concurrunt ad augmentum gratiæ, tamquàm merentes.

Secunda pars est. Non statim à merito semper augmentum hunc gratiæ obtineri.

Probatur primò. Auctoritate Sancti Thomæ, vbi supra, videlicet, secunda secundæ, 26. 6. cor. & ad argumenta, p. 2. 114. ad 8. 3. p. 17. p.. & 2. 27. p. 5. Quamuis enim in summa non recipiat dictum illud, non quolibet actu nos mereri augmentum; retinet tamen illud idem dictum, qnatenus negat augmentum concomitari semper actum. Ex quo glossam Caietanus excerpsit; negari scilicet meritum augmenti concomitantis meritum, non autem meritum augmenti absolutè.

Secundò. Si statim sequitur in homine augmentum promeritæ gratiæ, & charitatis, homines pij, & qui sedulò

dulò peccata cauere nituntur, facillimè possent cognoscere per experientiam acquisitam perfectionem habitus, aut actuum, & effectuum, eius, etiam valdè intensam. Hoc falsum esse experientia ipsa conuincit: ergò, &c. Declaratur, & probatur maior: Etsi enim habitus infusi charitatis, & aliarum moralium ab ea per se dependentium virtutum non possint experientia cognosci, vel ratione; quia eorum principium effectiuum finisquè, & ipsa demum eorum supernaturalitas omninò, & sensum, & omnem potentiam naturalem excedit: tamen actus illi, qui à talibus habitibus fiunt, experientia percipiuntur, etsi nequè etiam ista experientia, versetur circa hoc, quod tales actus sint ab huiusmodi virtutibus supernaturalibus; quod est experiri quidem in se materialiter actus supernaturalium habituum, licèt non formaliter. Similiter ex habituum infusorum actibus, aut augentur, aut etiam generantur apud multos Auctores, (quicquid modò dicendum de hoc sit in doctrina D. Thomæ,) habitus acquisiti virtutum. Ac certè in sententia Petri Aragonen. quam hæc Conclusio impugnat, sedant hi actus passiones rationi rebellantes, tranquillitatem pariunt inclinationum virtutibus aduersantium. Itaquè sic Argumentor. Habitus auctior natus est horum actus, & effectus magis intensos facere: ergò experientia facilè quis poterit ex effectibus, & actibus istis cognoscere perfectionem, etiam intensam valdè habitus charitatis, aliarumquè eam comitantium infusarum.

Tertiò. Ex opposita sententia sequitur: Virum iustum imperfectum esse perfectum simpliciter; aut saltem modica difficultate, ac tempore posse effici simpliciter perfectum. Intellige de perfectionr tamen simpliciter, qualis esse in hac vita potest, vbi charitas terminum non habet. Primùm apertam contradictionem implicat. Secundum repugnat communi sensui omnium Doctorum, ac virorũ summa contentione vitæ spirituali incumbentium. Consequentia sic deducitur. Non solum potest esse, sed de facto ita est in multis religiosorum virorum, ac mulierum congregationibus, vt sit Nouitius à vanitate sæculi con-

uersus charitati donatæ adæquatos actus frequenter eliciens, puta ad quatuor, vel sex gradus, etiam quolibet die centenos. Huic si post actus singulos datur charitatis augmentum; vnico anno ascendet ad immensam ferè quantitatem charitatis: semper enim duplicabitur quantitas charitatis ob actum semper charitati auctæ adæquatum de nouo productum. Adde ad huiusmodi perfectionem consequendã non oportere semper, & singulos actus adæquare charitatem. Alioquin vnico ferè die cresceret supra modum: Cum in quolibet die contingant plurimos actus fieri ex charitate formaliter, aut virtualiter imperante.

Nec dicas talem non semper habiturom actum adæquatum charitati, ex qua prodit. Nam sufficit veram esse hanc conditionalem. Si semper operetur adæquatè charitati præexistenti nouitius ad Deum imperfectissimè conuersus modico tempore, & difficultate efficietur perfectus simpliciter, vel existens imperfectus erit simpliciter perfectus. Si enim modica difficultate, ac tempore acquirit charitatem tantam, in qua perfectio simpliciter Christiana consistit, vt suppono, apertissimè patet consequentia inducta. Et

Nota hoc argumentum validissimum esse contra Petrum, ac nominales tenentes augmentum fieri semper secundum totam latitudinem meriti.

Confirmatur. Esto, vt alia sententia tenet, non semper, ac statim haberetur augmentum promeritum; sed in fine vitæ, aut in ingressu patriæ daretur, & consequenter gloriæ gradus huic augmento gratiæ tunc reddito æquales; sequitur nouitium istum vnico tantum anno per actus remissos ad sex puta gradus singulis diebus centenos, ad bis mille gradus gloriæ peruenturum magna cum facilitate. Hoc autem videtur repugnare sententiæ Saluatoris dicentis: Arctam viam, & angustam portam, quæ ducit ad vitam. Quantò ergò arctior, & angustior, quæ ad tantam, & tàm breui tempore ducit vitę perfectionem? contraquè illud; propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Psal. 16.

Nec

Nec dicas ſcriptum Pſal. 118. ... latorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor ... enim dilatatio fit auctione charitatis; quę ... ntia, quam modo ſupponimus, non obtinetu ... ctus ſupponuntur eſſe rem ſſiores, quibus hi ndl ... itatem augeri.

Quartò. Si ſtatim infallibiliter ad meritum actus ex charitate quantumuis remiſſum ſequitur habitus augmentum, vt iſti dicunt, infertur hominem ad magnum graduum gratię numerum eleuatum, puta ad bis mille gradus, ſi cadat in mortale, & per imperfectiſſimam contritionem reparetur, puta vnius tantum gradus; eiuſdem omninò conditionis futurum, atquè ante caſum erat; imò & melioris. Conſequens apertam abſurditatē continet, & omnibus vniuerſim diſplicet. Conſequentia deducitur. In iſto ſic à peccati caſu reparato merita antea peccato mortificata reuiuiſcunt, omnium Catholicorum Doctorum conſenſu: ergò faciunt ei, vt prius debitam vitam ęternam: ergò vti prius ei debebantur bis mille gloriæ gradus, ita & poſt reparationem à lapſu. Conſiſtit enim vita meritorum in eo, quòd mercedem illam debitam faciant, & hoc modo tribuant æternam vitam. Et ſic deducta eſt conſequentia quoad primam partem, ſcilicet ęqualitatem conditionis.

Secunda autem pars; Futurum ſcilicet melioris conditionis, deducitur. Nam pręter dignitatem eandem ob merita reuiuiſcentia, habebit etiam meritum huius noui actus, quo concurrit ad reparationem ſuam.

Confirmatur. Imò ſequitur ad eādem omninò gloriam, & maiorem reparari ſine vllo merito ſuo nouo, quod eſt abſurdius. Declaratur, & probatur conſequentia. Si iſte à tanta gratia lapſus habeat attritionem, quę cum Sacramento iuſtificet, ſine illo autem non iuſtificet, & conſequenter non ſit illa vnquàm meritoria; reparabuntur eadem amiſſa merita glorię eiuſdem, & pręthereà ex ipſius Sacramenti proprijs viribus aliquid gratię, & proindè gloriæ obtinebit: ergò ſine vllo nouo merito iſte lapſus ad eandem, quàm prius, & maiorem gloriam imperfectiſſima huiuſmodi conuerſione reparabitur.

Nota autem [...] mentum, quod contra Petrum est validissi[...]um non ponat limitationem meriti reparati e[...]dignitate, quę imperfecta illa conuersione ad v[...]um, vel duos gratię gradus reparatur; non vide[...]habere latibulum ad vim argumenti effugiendam. Nec tamen illi, qui limitant hoc modo reuiuiscentia merita, satis se extricant ab eodem argumento. Nam hæc ad duos, verbi gratia, gradus meritorum restrictio in hoc adeò imperfectè à lapsu reparato fundamentum nullum habet. Proprium enim meriti est personam reddere dignam, non è conuerso, etiam in istorum sententia. Nam volunt habentem decem gradus charitatis, & ex ea nulle actus remissos, vt duo effici virtute illorum meritorum dignum bis mille graduum charitatis, & gloriæ, quos illis reddet Deus in primo ingressu patrię saltem. Quòd si hęc remissa merita multiplicata eleuant adeò dignitatem huius habentis ex habitu huius charitatis, vt decem tantum, vt dignus sit, eiquè debeatur bis millesimus glorię gradus; quarè cum reparata sunt non similiter eleuant? Nulla certè apparet mihi probabilis ratio. Sunt etiam aliæ rationes, quę afferentur inferius.

Visus est Scotus quarto d. 22. p. occurrere voluisse huic argumento, negans futuram conditionem meliorem reparati huius, eò quòd intermedium tempus ei interfluxerit sine merito æternę vitę. At reuera non satis subtiliter aduertit; quid esset dicendum huic conditionali; si statim ferè à lapsu de maxima gratia quis repareturminima contritione ad gratiam, æqualis, ac melioris etiam conditionis erit, ac prius ante lapsum. Siuè enim conditionalis antecedens esse possit, siuè non possit, modò sequatur ipsa in se conditionalis falsa; semper illa sententia est necessariò falsa, quæ talem infert conditionalem, vt Aristotelico modo procedendi patet in 4. Physic,

Quintò probatur. Argumento ad tertiam partem iam, iam afferendo ostensiuè reddendo causam vtriusquè partis propositionis.

Tertia pars Conclusionis est. Augeri charitatem solum, cum

cum exit in actum intensiorem. Haec probatur ex sexta propositione in fundamento praemisso posita, & octaua hoc modo.

Actus liberi arbitrij ex charitate producti in ordine ad charitatis augmentum continent rationem meriti modificatam ad rationem dispositionis, eiusquè modum, & conditionem, atquè adeò est dispositio meritoria tali modo, vt intensioris actus meritum sit proxima dispositio ad augmentum; aliorum autem actuum adaequatorum, scilicet, ac remissiorum meritum sit dispositio remota. At remota dispositione proxima non sequitur forma, ad quam disponit; posita verò proxima, (quae scilicet vocari solet necessitans) statim forma ponitur, ad quam disponit: ergò meritum remissioris, vel adaequati actus non statim concomitatur augmentum charitatis, posito autem intensiore statim habetur.

Et clarescit Conclusio ex ijs, quae dicta sunt in quaestione de actu augente virtutes acquisitas morales: quam videas. Ad harum enim instar, & proportionem de horum supernaturalium augmento determinandum esse, constitutum est: licet nostri actus non effectiuè ad eorum generationem, aut augmentum concurrant.

Notandum hoc loco est; Sententiam Valentiae dicentem augmentum charitatis fieri frequentatione, vel continuatione actuum charitatis dispositiuè quidem, ac meritoriè non efficienter, etsi actus illi vel adaequati, vel etiam remissiores sint; Intensiore autem vnico non augeri charitatem, sed exigi plures tales; duobus fundamentis niti; vno vero, quod statim praemisimus, ad instar scilicet acquisitarum moralium, charitatem incrementum habere; Altero falso; hoc modo scilicet has acquisitas augeri. Cuius falsitas quaestione particulari probata est sufficienter ex eò, quòd etiam in naturalibus experientia, & ratione conuincitur proxima dispositione posita sequi statim formam ad quam disponit. Itaquè sit.

Nona Conclusio. Augmentum habitus charitatis habetur in hac vita infallibiliter statim, vbi actus augenda charitate intensior productus fuerit.

Prima ratio demonstrans. Non tardat Deus reddere retributionem operis; qui nobis præcipit, nè mercenarij opus vsquè manè retineamus: ergò.

Secunda ratio. Acquisita moralis virtus statim augetur, cùm primùm intensior actus fuerit productus: ergò & charitas. Antecedens probatum est quæstione propria. Consequentia patet ex supposito principio; infusos habitus augeri ad acquisitorum moralium proportionem?

Tertia fundamentalis ratio, ex Physicis desumpta est. Quia posita vltima dispositione sequitur statim forma, pro qua disponit. Est autem actus iste intensior vltima ad augmentum dispositio, vt in fundamento ab initio præmisso probatum est: ergò, &c.

Decima Conclusio. Actus hic intensior charitate ad tria comparatum habet rationem meriti.

Declaratur. Habet rationem meriti respectu præmij substantialis gloriæ, quatenus est à charitate augenda, vt augenda; Et respectu augmenti ipsius charitatis; Et prætereà vt est ab aucta per eum charitate est meritorium maioris præmij substantialis gloriæ. Vel certè quatenus adducit charitatem maiorem.

Primum meritum de hoc actu probatur. Quia omnis actus charitatis meretur substantialis gloriæ præmium, ex Conclusione secunda, at hunc actum, quatenus est ab augenda, & vt augenda charitate, à charitate esse patet ex ipsis terminis: ergò meretur substantiale præmium gloriæ.

Secundum meritum probatur. Quia omnis actus charitatis augmentum eiusdem meretur ex Conclusione octaua. Nequè verò id ei tollit intensio maior charitate, imò potius efficacius reddit meritum, & præmium adducit, vt probatum est Conclusione præcedenti.

Tertium meritum probatur. Quia maior gradus præmij substantialis debetur charitati maiori consequenti actum: non charitati, quæ radix actionis fuit, vt habetur expresè p seu. 17. 2. 3. ad quintũ: ergò actus in ẽsior meretur huiusmodi præmium maius, vt est ab aucta charitate, non vt ab augenda. Consequentia patet; quia charitas,

ritas, vt aucta, est charitas maior consequens actum; sicut est illius actus radix, vt minor, & per eum augenda.

An hæc præmia, vt ab augenda minore, (scilicet actu ipso, qui est intensior,) & vt ab aucta, quomodo iam actui charitas est æqualis, sint re, vel ratione distincta; non oportet modò operosius considerare: vtrumquè posse dici mihi videtur: magisquè placet distinctio realis; quia ad munificentiam diuinam magis accommodata est, quæ solet etiam vltrà condignum remunerare. Vndè idē opus realibus effectibus adornat, puta, merito æternæ vitæ, satisfactione culparum, impetratione pro alijs, pro diuersis secundum rationem conditionibus, quæ in eodē opere inueniuntur. Sed hæc missa faciamus.

Vndecima Conclusio. Quandò adueniente intensiore actu, charitas in hac vita augetur, non fit augmentum secundum illam latitudinem meritorum adæquatorum, vel remissiorum, qui præcesserunt: imò nequè secundum totam latitudinem illius intensioris actus, quo augetur: sed solum secundum eam; in qua actus intensior præexistentem charitatem excedit.

Ratio demonstrans est. Hæc ipsa conueniunt in augmētum virtutum moralium acquisitarum; quod speciali quæstione tractauimus, efficaciterquè conclusimus. At augmentum charitatis eodem modo fit, quo virtutum moralium acquisitarum: ergò.

Explicari etiam potest. Merita actuum ex charitate ad naturam, modum, conditionemquè dispositionum modificantur, adeò, vt remissi, & adæquati sint remotæ dispositiones, intensior verò proxima: vt fundamento ab initio posito dictum est. At dispositiones remotæ non determinant quantitatem formæ, sed solum dispos[illegible] vltima: quæ etiam non totam latitudinem affert, quantam habet in seipsa, sed solum quanta excedit augendam formam: ergò.

Duodecima Conclusio. Si in hac vita nullus actus præexistente charitate successerit intensior; quotcumquè numero, & quanticunquè continuatione producti fuerint actus ex charitate adæquati, vel remissiores, non obtinebunt

nebunt præmium augmenti charitatis, quod meruerunt.

Ratio efficax adducta iam est in præcedenti conclusione. Quia scilicet hæc merita modificantur (comparata scilicet ad augmentum charitatis) ad naturam, modum, conditionemquè dispositionis. Ex præmisso fundamento. Est autem conditio dispositionis, vt quæ remotæ sunt, non succedente proxima, formam non obtineant, ad quam disponunt, sed sola dispositio proxima: ergò cùm intensior actus sit proxima, reliqui remotæ dispositiones; etsi hi ponantur, illo non succedente in hac vita, non obtinebunt augmentum charitatis.

Hoc loco notanda videntur duo.

Primum. Posse aliquod meritum carere proprio præmio, etsi nullum peccati impedimentum ponatur. Nam potest quis abundans meritis sua gratia remissioribus, vel adæquatis sine vllo intensiore succedente mori; in quo dum viuit, probatum est non esse charitatem augendam. Quod verò 12. 114. 9. dicitur obtineri semper à Deo, quicquid apud eum homo meretur, nisi peccati adueniat impedimentum; de eo intelligitur, quod sub merito absolutè simpliciter cadit: quod verò meritum conditionale est, sine præmio esse potest, vel adueniente peccato impediente, vel solo defectu conditionis requisitæ. Sine peccato autem potest quis mori sine intensiore actu; quia nullibi reperitur præceptum operandi intensius.

Secundum est. Non posse etiam tertiam sententiam rationabiliter negare, aliquod præmium pluribus operibus aliquo saltem tempore, quasi nouis titulis, comparari: Cùm in hanc, & præcedentem conclusionem consentiat: in quibus expressis ferè verbis, sed certè apertissima sententia habetur, idem præmium reddi in hac vita pro meritis remissioribus, & adæquatis præexistenti charitati, & pro intensiore; licet eadem sententia aliud præmium istis eisdem actibus post hanc vitam asserat comparari.

Tertiadecima Conclusio. Vbi in hac vita remissiori, & adæquato actui successerit intensior actus, & augmentum charitatis iuxta modum præcedentis Conclusionis, nullius augmenti charitatis meritum, vel præmium ex eis

vltra

vltra remanet, aut expectandum est. Imò si non successerit actus intensior, & augmentum charitatis in hac vita; sed cum solis remissioribus, & adæquatis charitati actibus moriatur, nullum est vltra præmium augmenti charitatis expectandum.

Prob. prima pars. Primò. Eodē modo augeri charitatē concessum est, & suppositione postulatum, quo virtutes morales acquisitæ; Sed istæ sic augentur, quòd nihil vltra expectandum est, vbi adueniente intensiore actu secundum latitudinem excessus sui supra præexistentem habitum virtus illa creuerit: ergò, &c.

Profectò, qui præter hoc augmentum volunt charitatē augendā fore secundum latitudinem meritorum, intensi, adæquati, remissioris, qui præcesserunt, non sunt constantes in hoc principio, augmentum charitatis fit eodem modo, quo augmentum moralium acquisitarum, vt patet apertissimè.

Secundò. Vni actui non debet assignari præmium duplex eiusdem rationis, & ordinis; nè inter præmium, & meritum conuincatur improportio. Sed actui remisso charitatis respondet augmentum ipsius charitatis in hac vita adeptæ cùm intensior successerit, vt tertia sententia asserit ex Diuo Thoma 22. 24. 6. ergò ei non debet assignari aliud augmentum charitatis expectandum in fine vitæ, vel ingressu patriæ, quod est eiusdem rationis, vt patet.

Tertiò. Aut hoc meritum est absolutum, sicut dictum est de merito æternæ vitæ, aut est modificatum ad naturam, modum, & conditionem dispositionis. Si primò ergò reddendum est ei præmium suum absolutè: nec remissior, aut adæquatus actus debet expectare aduentum intensioris.

Confirmatur ergò nulla ratione dici potest actum intensiorem non esse remunerandum secundum totam latitudinem suam. Imò nulla est ratio; quarè remissi, & adæquati (saltem adueniente intensiore actu) non sint remunerandi secundum totam suam letitudinem: sed expectanda sit alia vita, aut vitæ finis. Præterea cùm fundamentum initio iactum conuellatur, reddenda ratio est;

aut

aut saltem respondendum rationibus, quibus constructũ fuit. Si autem est modificatum ad naturam, conditionẽquè dispositionum; ostendatur ratio, cur in alijs non sit opus dispositionibus remotis aliquid particulare respondere supra id, quòd conuenit dispositioni proximæ, in istis verò necesse sit.

Nec certè alia mihi in mentem venire potest; nisi alijs dispositionibus non esse annexam rationem meriti, huic autem esse connexam. Sed ista inutilis est prorsus. Quia huic annexa quidem est ratio meritorij comparatione. Primò, ad præmium patriæ celestis, & hæc est absoluta; Vndè supra dictum fuit actibus remissis iustum compara re sibi meritum præmij gloriæ infallibiliter reddendum tempore debito (quod scilicet conditioni visioni Dei cõiungi potest) totum, & secundum totam latitudinem illorum actuum: Et item secundò comparatione augmẽti charitatis, sed hæc modificatur ad rationem, modum, conditionesquè dispositionum. Vndè disparitas assignata, quantum spectat ad istam partem, prorsus euanescit. Ceterum vt euidentius procedamus, ac distinctius contra tertiam sententiam asserentem dandum, vel in fine vitæ actum intensissimum correspondentem toti latitudini actuum remissorum, & intensiorum, qui nunquam fuerunt antea secundum totam suam latitudinem remunerati, vel certè in primo ingressu patriæ, ponantur Conclusiones duæ sequentes, (in quibus secunda pars Conclusionis latè probabitur,) quorum prima in ordine reliquarum sit.

Quartadecima Conclusio. Actus intensior, quo proximè disponente charitas augeatur, in fine vitæ sub merito cadere non potest, nequè in fine vitæ potest haberi tamquàm præmium meriti vllius.

Probatur secunda pars, apertè ex prima consequens; si enim præmium meriti esset vllius, iam sub merito cecidisset. Itaquè.

Prima pars probatur. Primò. Meritum nullo modo potest esse præmium meriti prioris. Actus ille intensior in fine vitæ correspondens meritorum priorum latitudini

est

est meritum; ergò. Minor assumpta probatur. Nam cùm ex gratia, & charitate ab agente libero fiat, nulla omninò potest ratione existimari non meritorius. Nisi fortè status ille finis vitæ dicatur excludere meritum. Quod falsum esse probatur. Primò, exemplo ipso, quod afferunt ipsimet. Nam cùm genuflexus in fine vitæ positus Beatus Stephanus pro suis lapidatoribus orauit, certè non caruit merito, non solum congrui comparatione conuersionis Apostoli Pauli, sed etiam condigni comparatione præmij æterni.

Secundò. Quia ille finis vitæ non est instantaneus ille terminus, in quo primò res corrupta est (is enim in Beato Stephano fuit primus ingressus patriæ; vt in vnico exéplo ab ipsis sumpto intelligatur inductio omnium summè piorum, exeellentioribus meritis pollentium, & priuilegijs specialissimis ornatorum à Deo, quibus autumant in fine vitæ hunc actum conuenire in præmium.) ergò oportet esse tempus precedens, cùm necessariò vltimum instans, etsi fingatur ab alio instanti præcedi, oporteat sequi tempus aliquod; Cùm duo instantia non possint esse immediata. Ergò finis ille vitæ pars huius status viæ est, & consequenter non potest ab illo actu excludere rationem meriti veri, & proprij.

Adde tertiò. Ex eorum verbis dari huiusmodi viris actum illum, vt ardentius summum periculum, & tentationes hostis superent; ergò ille est status pugnæ, & conflictus; ergò non est extra latitudinem viæ; & consequenter vti pugnam non excludit, ita nec meritum.

Maior propositio probatur primò. Quia siquis actus potest esse præmium meriti prioris: ergò dato primo actu meritorio merebimur secundum meritum, quo item tertium; & isto quartum; & quarto quintum; & sic in infinitum; siquidem eadem ratio omnium est: ergò iustus in meritis de facto crescet in infinitum. quæ consequentia probatur. Quia iustissimus, munificentissimusquè remunerator meritorum Deus non potest præmium debitum non reddere meritis.

Secundò probatur. Nam si potest meritum sub merito cadere,

cadere, sequitur iustum à gratia cadere non posse; hoc non solum falsum, sed apertissima hæresis est: ergò. Sequela sic deducitur Petrus nunc iustificatus opere suo meretur simul dari sibi meritum aliquod (in præmium, scilicet, quia merito præmium correlatiuum est:) ergò dabitur. Consequentia patet, quia nulla est ratio, cur hoc meritum censendum sit conditionale: cum neque actio meritoria, nec terminus actionis promeritus vllam conditionem exigat, aut dilationem temporis; in quo fingi possit conditio necessaria, puta, existendi in gratia. Quin potius, qua ratione isti volunt hunc actum intensiorem sub merito cadere, quia est conditio necessaria ad obtinendum præmium actuum, qui præcesserunt; eadem ratione oportet dicere istam conditionem existendi in gratia simul cadere cùm illo merito, quod in præmium prioris meriti dandum est. Siquidem volunt eodem actu mereri nos præmium, & conditionem necessariò requisitam ad præmij consecutionem.

Dabitur itaquè hoc meritum, quod sub priore merito cecidit, in præmium illius prioris. Tunc vltra. At si quãdò Petrus à gratia in peccatum cadat, non potest illi dari meritum in præmium illius meriti, quod habuit ante lapsum: ergò numquam cadet. Conditionalis assumpta probatur. Aut enim meritum, quod in præmium reddetur, erit opus ipsum concurrens ad reparationem Petri reparandi: Et hoc est impossibile; sequeretur enim primã gratiam, quæ reparatione habetur, ex operibus esse, quod est hæreticum: Aut erit aliud opus talem reparationem sequens; & hoc item falsum est; quia hoc opus sequens reparationem iam caderet sub hoc merito operis in ipsa reparatione concurrentis. At neque huius sententiæ Auctoribus placet absoluto merito duplici idem præmium comparari; ergò, &c.

Secundò. Actus ille in fine vitæ dupliciter est præmiandus primò, ratione sui; quia est meritorius, vt paulò antè probatum est, comparatione augmenti charitatis, scilicet; & secundò, quatenus est dispositio requisita ad obtinendum præmium actibus remissis, & adæquatis, non

remuneratis hoc præmio; itemquè præmium aliorum intensiorum præcedentium, quoad latitudinem, adæquantem totam charitatem præexistentem; quo modo non sunt remunerati adhùc: ergò ex illo actu charitas augebitur duplo, quàm sit tota latitudo huius actus intensioris, correspondentis totis latitudinibus remissorum, adæquatorum, intensiorum hactenus non remuneratis: quod falsum est, etiam in hac sententia. Consequentia deducitur. Paulus in decimo gradu charitatis constitutus mille actus remissos, vt quatuor ex charitate produxit, & in fine vitæ producit actum intensiorem mille actibus illis æqualem, ergò premiabitur quatuor mille gradibus charitatis propter priores illos actus remissos, & propter ipsummet actum illis æquiualentem alijs quatuor millibus. Duplo igitur præmio. Falsitas probatur in hac etiam sententia. Quia pari ratione actus intensior in decursu vitæ præmiandus esset præmio supra latitudinem excessus præexistentis charitatis, quod isti quoquè dicũt esse falsum. Probatur consequentia. Ioannes in vigesimo gradu constitutus habuit decem actus singulos, vt vnum; & posteà concepto ex Dei auxilio feruore actum intensiorem, vt triginta; huic debebuntur, non solum gradus charitatis, vt decem propter intensiotis actus latitudinem superexcedentem eius præexistentem charitatem 20. graduom, sed etiam alij decem propter actus illos decem remissos ad vnum gradum. Eadem enim ratio, ac proportio est horum decem actuum remissorum ad excessum latitudinis intensioris actus supra quantitate præexistente Ioannis; quæ illorum mille actuum, vt quatuor ad totum valorem actus intensi ad quatuor mille gradus in Paulo. Ex quo etiam inferetur semper debere augmentum fieri supra latitudinem intensi actus, ea ratione, quia semper aliquis actus, vel adæquatus, vel remissior regulariter intensiorem præcedit, quorum quantitates, vel secundum totum, vel secundum aliquas eorũ partes continentur in excessu actus intensioris. Dei enim munificentia non expectare debet, vt intensior ad æqualitatem correspondeat præcedentibus actibus.

Con-

Confirmatur. Hæc sententia videtur, aut sibi ipsi repugnare, vel certè rationi. Dicit enim actum illum intensissimum præmiari augmento habitus charitatis correspõdente solum omnibus præcedentibus hoc augmento non remuneratis, saltem, secundum totam latitudinem suam; ergò, aut vult numquàm esse productum in fine vitæ, in quo sibi repugnat; aut vult esse non meritorium quod est penitus contra rationem. Quis enim rationabiliter dixerit actum eisdem principijs productum, quibus alij meritorij, in subiecto apto nato mereri, non esse meritorium? Sed vide omninò Caiet. 22 124. 4. du. 1. defendentẽ atquè probantem acutissimè in martyribus esse meritum in ipso termino, ac puncto mortis. Altera Conclusio, quæ in ordine est.

Quintadecima Conclusio. Non est necesse, imò nec potest in primo ingressu patriæ dari actus intensior correspondens meritis remissis, & adæquatis secundum eorum latitudinem totam, aut intensioribus etiam, quoad quantitatem adæquantem charitatem præexistentem non remuneratam augmento charitatis.

Prima pars probatur. Aut ista necessitas inesset, vt meritum huiusmodi operum remuneretur præmio augmenti charitatis: & hoc falsum esse probant 11. & 12. & 13. Conclusiones. Aut præmio substantialis gloriæ, & hoc esse falsum probant quinque primæ Conclusiones; ergò non est necessitas vlla habendi hunc actum intensiorem. Sed ex secunda parte propositionis hæc prima pars euincetur; in quam incumbendum est operosius. Igitur.

Secunda pars probatur primò. Argumentis sumptis ab auctoritate Diui Thomæ; vt fecit etiam Bagnes. Primum est. Ibi, ac eo tempore habendus est actus intensior, quandò conandũ est ad eũ. 22. 24. 6. At non est conatus vllus ad actum quemcumquè in primo ingressu patriæ; quia præmiũ ab alio recipitur; & qui cõcurrit actus hominis, naturali inclinõne, vel supernaturali expeditissimus adhibetur.

Secundum est. Tunc augetur gratia, & charitas, cùm ita quis ea vtitur, vt in nullo per negligentiam desit gratiæ Dei. Locus autem vbi videndum est, nè Dei gratiæ

desi-

desimus, & etiam tempus, est dum sumus in huius viæ exilio: ergò hic actus solum in hac vita habetur. Et minor quidem patentissima est: maior est D. Thom, 2. 26. p. 5. 2. Nescio quid in via Sancti Doctoris respondeant sectatores eius. An dicent eum locutum de hoc augmento, quatenus pendrt ab actu nostro sumpto sub ratione dispositionis, quomodò fortè acceptabunt Conclusiones illas 11.12.& 13. Et tamen ex alia, (quæ his actibus conuenit) ratione meriti remunerandos esse hoc alio modo secundum totam latitudinem? Cęterum primò hæc responsio non potest reddere causam, quarè expectandus sit actus intensior ad remunerandos actus præcedentes, vel secundum totam eorum latitudinem, quandò aduenit indensior illam adæquans, vt in supradicto exéplo Ioannis, vel secundum partem; vt secundo loco ad præcedentem Conclusionem arguebamus. Itemquè secundò. Iam meritum hoc non erit modificatum ad naturam, modum, & conditionem dispositionis; sed ratio penitus disparata. Adde tertiò. Quarè ergò intensior actus meritorius non remuneratur, etiam in eorum sententia, secundùm totam latitudinem suam, sed tantùm secundum excessum latitudinis præexistentis charitatis?

Secundò principaliter arguitur. Aut actus hic intensus adeò, & disponens proximè ad tàm grande augmentum gratiæ, & charitatis debetur meritis præcedentium actuum hoc modo. vt per eum homo liberè se disponat ad prædictum augmentum; aut hoc modo, vt scilicet, per eum ab alio, Deo, scilicet, præmiante disponatur, aut vtrisque modis; aliquandò, scilicet primo modo, putam fine vitæ, aliquandò in secundo modo, in ingressu patriæ. Hoc tertium membrum profectò voluntariè assereretur, quod in materia tali perabsurdum est. Secundum membrum excluditur, quia actus augens charitatem debet esse dispositio libera. Nam istud augmentum pars, & complementum est iustificationis adulti hominis, & consequenter actu suo liberè concurrentis. At si ab alio Deo præmiante disponitur, non potest esse dispositio talis. Quod enim liberum est, in nostra est potestate: qu od au-
tem

tem recipitur ab alio præmiante, in illius potestate, non in nostra est. Sed nequè primum membrum potest asseri. In primo enim ingressu patriæ quicquid producitur, producitur necessariò, non liberè, vt scilicet possit non produci. Hanc autem augmentationem complentem adulti iustificationem oportet esse liberam: ergò actus iste disponens ad augmentum charitatis dari non potest ni primo ingressu patriæ.

Tertiò. Iste intensior hoc modo actus disponens ad prædictum augmentum charitatis, etiam iuxta hanc sententiam conditio est: ergò de sui natura non potest esse præmium operum, quibus augmentum meremur sub conditione hac; si talis videlicet actus successerit. Probatur sequela. Aut illud meritum facit deberi augmentum habitus absolutè, ac propterea facit etiam deberi hunc actum, tamquàm conditionem ad consecutionem promeriti augmenti necessariam (quod certè isti insinuare videntur) aut non absolutè, sed si iste actus successerit. Non primo modo. Quia nulla ratio erit, cur actus iste differatur ad primum vsquè ingressum patriæ; quod probatur. Nam cùm augmentum debeatur absolutè, etiam absolutè necessaria conditio debetur non minus in toto decursu vitæ, quam in fine, vel in ingressu patriæ primo. Quæ enim ratio maior? Non etiam secundo modo. Si enim in via propterea non datur augmentum promeritum per actus remissiores sinè præiudicio veri meriti, eò quòd necessariò requisita conditio non successerit; exigit rationis paritas, vt in ingressu primo patriæ actus iste non detur. Alioquin mutatur natura huius actus, dùm in via quidem pura conditio est in ingressu patriæ non est conditio, pura saltem, sed etiam præmium.

Quartò. Id quod ad obtinendum præmium necessaria conditio est, non cadit sub merito: ergò actns iste, qui in hac sententia, talis conditio est, sub merito non cadit. Antecedens probatur primò à simili; quia obitus in gratia conditio necessaria est ad obtinendum gloriæ ælernæ præmium; & tamen non cadit sub merito.

Secundò probatur. Auxilium Dei speciale mouens,

& ele-

leuans charitatem ad actum intensiorem, qui sub me-
remissorum, & adæquatorum operum cadit, est quid
essarium ad huiusmodi operis præmium obtinendum:
gò & hoc auxilium dabitur in præmium. Consequens
mnium Doctorum consensu, est plusquàm falsum. Et ta-
men consequentia est necessaria in hac sententia volente
nunc actum intensiorem dandum in ingressu patriæ in præmium, quia est necessarius ad obtinendum præmium augmenti habitus prius promeriti. Tenet siquidem hæc ratio eorum in virtute huius, omne quod ad præmium promeritum obtinendum est necessarium, cadit sub eiusdem præmij merito.

Quintò. Conditio cadens sub merito eiusdem præmij, reddenda infallibiliter non permittit præmij illius meritum esse conditionale. At meritum actus charitatis respectu augmenti eiusdem est conditionale: ergò conditio illa, qua redditur conditionale, non cadit sub merito. Et minor quidem apertissimè vera est, tùm ex fundamento præiacto ab initio, tùm ad mentem huius sententiæ, quę ideò fatetur nec secundum totam remissi, aut adæquati actus, imò nec intensioris latitudinem fieri augmentum, quia meritum hoc ad naturam, modum, conditionesquè dispositionis modificatur. Maior autem ex terminis nota videtur. Quomodò potest dici conditionaliter augmentum charitatis comparari, si scilicet successerit intensior actus, cũ infallibiliter sit successurus? Etiã gloria sub merito cadit, sub hac conditione, si decedamus in gratia. Et tamen non est meritum conditionale, licet mors illa in gratia non cadat sub merito: ergò minus conditionale meritum erit istud, si ipsam quoquè meremur conditionem.

Voco conditionale meritum non quasi ipsum meritum comparemus, si conditio adueniat; sed ratione præmij, quia scilicet meremur quidem augmentum, sed vt reddendum, si aduenerit dispositio intensioris actus, & secundum modum, quo dispositiones solent in subiectum inducere formam, ad quam disponunt Quod notare volui; ne quis vocem meriti conditionalis possit vlla ratio-

ne repellere; Tu autem vide istam sententiam ho… sum… tenentem, vt dictum est, & tamen minus constan… in dicto. Nam cùm argumento isto probet in primo … gressu patriæ omninò dari intensiorem actum, de quo l… quimur (videlicet. Actus remissi, adæquatiquè charita… meruere augmẽtum eius; ergò & conditionem ad ipsur… obsinendum necessariam, actum scilicet intensiorem eorum latitudini correspondentem; ergò illa conditio à Iudice iustissimo, fidelissimoquè promissore Deo aliquandò reddenda est; ergò si non in decursu vitæ, saltem in fine eius, aut in primo ingressu patriæ) quis non videat antecedens assumptum intelligendum de merito absoluto? alioquin & prima, & secũda consequentia omninò ridiculæ essent. Et consequenter dupliciter errat. Primò deflectens à merito sub conditione. Secundò. Non reddens causam; cur adueniente ista conditione actus intensioris in via non reddatur tota latitudo augmenti, quod illi actus meruerunt. Ac si dum sumus in via meritum sit conditionale; vbi primum ingredimur patriam, efficiatur absolutum: quod si non ridiculum, saltem improbabile esse videtur.

Sextò. Actus iste intensior adeò, ponitur vt dispositio ad augendum habitum vltra eum statum, in quo reperitur, dùm homo primò ingreditur patriam: ergò non potest conuenire homini existenti in termino: ergò implicat hunc actum dari homini in primo ingressu patriæ. Antecedens est opposita sententia, quam impugnamus. Prima consequentia euidentissimè deducitur. Nam ratio termini repugnat vlteriori progressui, & progressus vlterior repugnat rationi tèrmini. Termino enim conuenit; Non plus vltra. At progressui conuenit; Plus vltra. Cui non pateat progredientem non esse in termino? aut existentem in termino non vltra progredi? Secunda consequentia est etiam euidens. Nam qui vitam hanc non terminauerit morte, in patriam nullo modo ingredi potest. Vndè ipsa mors hominis terminus est. Et vbi ceciderit lignum, ibi in æternum erit, vt dicitur.

Et irrefragabiliter (quantum ego capere possum.)

Confir-

Confirmatur. Frequenter,& iam dicere possumus hiscè temporibus, semper contingit homines non statim à morte ad patriam euolare; sed per lustra, annos, menses, dies, horas saltem ad macularum reatus expiandos in purgatorio detineri: ergò toto isto tempore iam sunt in termino: idem enim homini mors, quod Angelo casus, in quo fuisse eum in termino omnes consentiunt: ergò non potest eis in primo ingressu patriæ dari iste actus intensior, & habitus augmentum, ad quod actus disponere asseritur.

Septimò. Et erit præcedentis confirmatio. Habitum charitatis augeri propria est conditio viæ; Imò potius ipsa spiritus via est. Hac enim ratione Apostolus 1. Cor. 12. appellauit charitatem nomine viæ dicens: Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, quam sequenti capite ostendit esse charitatem. At in termino, vel post terminum hominis esse aut hominis viam, aut propriam vię conditionem, apertè profectò implicat contradictionem: ergò, &c.

Octauò, (Quo confirmãtur duo pręcedẽtia.) Charitas, quę augetur in primo ingressu patriæ, cuius est conditionis, patrię, an vię? Si patrię. Contra: ergò sequitur beatificam visionem, & secundùm eius mensuram ipsa quoquè mensuratur. Et tamen isti volunt hoc tantum augmentum ex intensissimo illo actu in primo ingressu patrię dari, vt sit dispositio saltem naturę ordine pręcedens, secundùm cuius mensuram, & lumen glorię, & beatifica visio in pręmium detur. Si verò asseratur habere conditionem vię. Contra; ergò in isto primo ingressu patrię erit conditio vię, quod implicat. Primus enim ingressus patrię dubio procul ad patriam spectat, & consequenter participat conditiones patrię: ergò excludit omnem conditionem vię. Item ergò durat hominis via post mortem toto tempore, quo detinetur in purgatorio; Et mors homini non est terminus vię.

Nonò. Augmentum glorię per D. Thom. p. 12. 8. Cui nullus, & hęc sententia pręsertim contradicit, fit secundùm augmentum luminis glorię: & huius luminis aug-

mentum fit secundùm augmentum desiderij. Augmentum autem desiderij secundùm augmentum charitatis viæ; ergò augmentum gloriæ fit secundùm augmentum charitatis viæ; vbi intensissimus iste actus nec datur, nec dari potest, vti præcedente Conclusione probatum est. Aut, profectò oportebit charitatis augmentum, quod asseritur in primo ingressu patriæ, esse charitatis viatricis. Et tunc primò sequitur contradictio in præcedentibus confirmationibus, & argumentis deducta. Nam augmentum charitatis in primo ingressu patriæ asseritur, vt sit dispositio propria, ad quam commensuretur gloria. Secundò. Sequeretur charitatem non augeri secundùm augmentum desiderij: in primo enim ingressu patriæ desiderium esse non potest. Nam patriæ ingressus non est, si Deus non videtur, & consequenter sit præsens; si verò præsens est, desiderium eius esse non potest, quia desiderium absentis obiecti est; alioquin impropriè sumitur. Quomodò exponit Sanctus Doctor dictum Petri, in quem desiderant Angeli prospicere, & dictum sapientiæ. Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient: quia scilicet significatur omnem satietatem, & fastidium remoueri. De desiderio autem propriè sumpto D. Thom. intelligendum esse loco citatn p. p. patebit legenti, præsertim si ponderet indè deduci augmentum gloriæ esse secundũ augmentum charitatis viæ. Quod dixerat etiam prius 4. 49. p. vlt. art. 4. q. per totam.

Sed fortè respondebitur; Cõcedendo augmentũ gloriæ attendi secundùm augmentũ desiderij propriè sumpti, & charitatis viæ, sed distinguẽdo, non sẽper in esse physico, sed vel in esse physico habitus, (& hoc posse esse in primo ingressu patriæ) vel in esse morali ante primum ingressum patriæ. Vt enim actibus intensioribus charitas augetur secundum esse physicum, quia scilicet ipsa substantia charitatis efficitur intensior; ita actibus adæquatis, ac remissioribus augetur in esse meriti, (quod vocatur esse morale charitatis) crescit enim quo ad opera meritoria, quæ ex seipsa producit; & ratione horum meritorum, quæ antè ingressum patriæ comparantur, datur in primo

illius

illius ingressu, & actus intensior, & charitatis augmentum, & gloriæ lumen, & ipsa gloria singula ordine, ac modo suo.

Contra hanc responsionem arguitur. Nam sequitur ex ea hominem à decimo gradu gratiæ lapsum in mortale, & imperfectissima pęnitentia reparatum ad gratiam, puta duorum graduum, qui solum habebat actus remissos ad vnum, duosuè gradus, totam, tantamquè latitudinem gloriæ recepturum, atquè si non cecidisset: quod consequens, & seipso apparet absurdum valdè; & est manifestè contra Diuum Thomam asserentem gloriæ gradus respondere gradibus gratiæ, & charitatis viæ, non actibus, sent.49. p. 4. q 4. Consequentia deducitur. Nam reparata gratia impedimentum præcedentium meritorum excluditur, ideòquè reuiuiscunt; & propterea dignum facient hominem eadem gloria, & tantumdem (vt verbis vtar S. Doct. gloriæ illi tribuent, quantum prius. In hoc enim consistit meritorum reuiuiscentia, vt habetur expressis, D. Thom. verbis, 3. 83.5. diffusè addito art. 2. quæst. eiusdem.

At verò negabitur. Consequētia. Licet enim illorū meritorum, qui remissi erant ad gradū vnum, vel duos restitum esset totum præmium, vel restituendum; tamen illa merita intensiora, quibus peruenerat ad decimum gradū, multum valoris amittent; quia decrescent, & continebuntur intra latitudinem duorum graduum, ad quantam scilicet gratiam, est per pœnitentiam restitutus. Ac rationem huius quidam reddunt; quia merita ex dignitate personæ quantitatem valoris accipient; & hoc ideò, quia opus meritorium non remuneratur absolutè; non enim merētur sibi præmium, sed operanti personæ, & vt in homine collocandum; & ideò necessariò respiciūt maiorem, vel minorem personæ dignitatem, & secundùm huius dignitatem, & ipsa quoquè opera digna erunt.

Tu verò hic primo loco diligenter Nota, quòd.

Hæc responsio à Petro afferri non potest vllo modo, quia ad perueniendum ad gradum decimum non exigit necessariò actum intensiorem duobus gradibus; sed de-

cem actibus singulis remissis ad vnicũ gradum, vel duos dicit ad decimum, ad vigesimum, & centesimum perueniri posse. Et ideò contra eum vtere hoc argumento efficacissimo.

Nota secundò. Hanc tertiam sententiam nullam facere diuersitatem præmij substantialis gloriæ debiti actui maioris charitatis. Sed tantum considerare latitudinem meritorum, quoad numerum graduum vnius, & alterius hominis. Itaque si quis mille actibus remissis, vt quatuor perueniat ad dignitatem præmij graduum quatuor mille, alter verò ad eandem dignitatem perueniat actibus intensioribus nouis augentibus charitatem in hac vita. Puta primus sit, vt quatuor; secundus, vt 8. Tertius, vt 16. quartus, vt 20. quintus, vt 25. & sic semper quousque perueniatur sũmamando ad 4000. gradus meritorũ; nihil interest inter eos, quoad remunerationem præmij substantialis in patria. Nam, & illi ascendenti per actus, vt vnum, vel duos ad numerum 4000. graduum sine vllo habitus augmento in ingressu primo patriæ dabitur actus intẽsior æquiualens toti latitudini omnium remissiorum, & consequenter habitus charitatis vt 4000. & correspondens ei lumen gloriæ, & visio Dei: Huic autem, qui intensioribus, tamen nũmero paucioribus, ad latitudinẽ eandem 4000. graduum peruenit (non autem ad habitum peruenit in hac vita intensum, vt 4000. quia non augetur in hac via habitus secundum latitudinem totam actus intensi, sed solum secundum latitudinem excessus supra præexistentem charitatem) huic inquam in primo ingressu patriæ dabitur actus intensior æquiualens toti latitudini æquanti charitatem præexistentem non remuneratam in hac vita pro merito augmento suæ latitudinis, vt adæquet charitatem præexistentem singulis actibus intensioribus remuneratis habitus augmento iuxta excessum prædictum. Et consequenter, & iste etiam in fine vitæ, seu in primo ingressu patriæ recipiet habitum in tanto gradu, quòd adiunctum habitui in vita obtento ascendet ad 4000. gradus. Et consequenter isti æquales erunt, & in habitu charitatis, & in quantitate graduum gloriæ.

Diffe-

Different tamē penès hoc, quòd ille ad hūc quatermillesimum gradum gloriæ ascendet per actus plures, & consequenter longiore itinere; iste secundus breuiore cursu, & paucioribus operibus. Hac declaratione stante sic argumentor contra hanc responsionem, fingendo duos istos Petrum intensioribus actibus ascendisse ad gratiam centesimam, Paulum autem ascendisse ad decem gradus gratiæ; multiplicasse autem actus remissos, vt duo, vsquè ad numerum duorum, vel trium millium, & consequenter comparasse sibi meritum 4000. graduum. Et illum quidem mori in illa centesima gratia, & actibus intensis, quibus ad illam peruenit: Paulum verò lapsum in moralem culpam, & postea reparatum imperfectissima pęnitentia ad duos tantum gratię gradus in ea mori. Et argumentum est.

Primum. Non conuenit lapsum, & in minima ferè gratia, per veram quidem, sed imperfectissimam pęnitentiam reparatum adæquare eum, qui moritur in magna gratia per actus feruentiores obtenta constitutus. At ex hac sententia, & responsione hoc necessariò consequitur, vt declaratum est; est igitur hæc responsio, atquè doctrina penitus absurda est.

Secundum est. Hæc doctrina non commensurat gradus gloriæ gradibus charitatis viæ: ergò est contra doctrinam Doctoris Sancti, nec potest à Thomista sustineri. vide D. Thom. 4. 49. q. 1. 4. q. 3. & 4.

Tertium. Hic reparatus hoc modo erit melioris conditionis, quàm Petrus necessariò: quod certè est absurdum. Probatur. Quia virtute reparatorum meritorum, qui continentur intrà latitudinem gratiæ, ad quam est reparatus, est Paulus Petro æqualis; & habebit prætereà amplius scilicet meritum actus illius, quo liberè ad illam suam iustificationem concurrit. Certè, etsi non necessariò Paulus excederet Petrum, sed tantum fieri ita posset, offendit absurditas consequentis omnium aures, nedum castiores virorum piorum.

Decimò principaliter. Hæc sententia meritum augmenti, & augmentum tale constituit, quale in hac vita retri-

bui nullo modo potest: ergò absurda est, & fidei documentis videtur parùm consentanea.

Prima pars consequentiæ probatur. Nam augmentum proprium est viæ, cùm motus, progressioquè sit: moueri autem non termini esse potest, sed solum contingere potest in via.

Secunda pars consequentiæ probatur. Nam Conciliũ Tridentinum cap. 10 Sess. 6. Ita statuit hoc augmentum fier; vt ad hanc vitam pertineat. Dicit enim. Sic ergò iustificati euntes de virtute in virtutem renouantur, vt inquit Apostolus de die in diem, hoc est mortificando mébra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ, in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta cooperante fide bonis operibus crescant, &c.

Est igitur argumentum. Talis mortificatio, obedientia, fides cooperans ad viam spectant, & ijs dicit eos crescere in iustitia, renouari de die in diem, ire de virtute in virtutem, magisquè iustificari: ergò augmentum iustitiæ acceptæ per gratiam Dei secundum Concilium in hac ipsa vita habetur de facto, nedùm de possibili: ergò augmentum, quale haberi non potest in hac vita, fidei, Concilijquè determinationi parùm consentaneè asseritur. At verò probatur antecedens. Cum enim asserat in hac vita non posse haberi augmentum habitus iuxta totam latitudinem intensioris actus, & consequenter neque actuũ remissiorum, & æqualium: quia remunerantur solum, si aduenerit intensior, & tunc etiam non secundum latitudinem suam propriam, nec proprio augmento, sed eo, qui debetur intensiori, & iuxta excessum solum, quo intensior actus succedens superat charitatem præexistentem; quo fieri modo potest in hac vita augmentum, quod hæc sententia asserit esse secundum totam latitudinem cuiuslibet actus meritorij?

Confirmatur. Si Petrus in centesimo gradu charitatis habeat mille actus ei adæquatos, quomodo potest in hac vita producere actum intensiorem, æquantem totã summam horum actuum? vndè nec potest habere augmentum

habitus,

habitus, quod eis debetur secundùm hanc sententiam, quandiu viuit.

Confirmatur secundò. Quin, demus haberi in hac vita posse tàm intensum actum; adhuc augmentum prometitum secundum hanc sententiam haberi non potest; quia augmentum horum centies mille graduum debetur huic actui intensiori: & non potest idem præmium absoluto merito, quale hoc meritum esse probatum est, bis comparari. Nec potest dici reddi tunc augmentum, & intensioris, & adæquatorum; quia hoc ipsum negat hæc sententia, vt supra dictum est.

Ex omnibus his si non singillatim, saltem coniunctim sumptis ista Conclusio non probabilis tantum, sed plusquàm probabilissima videri potest, vt non dicam demonstrata, quamuis ita appareat.

Sextadecima Conclusio. Actu intensiore, quàm sit charitas illi præexistens, meremur nouum gradum gloriæ substantialis; qualem nulla merita eidem charitati adæquata, vel remissiora vnquàm possunt mereri immediatè. Sed horum præmium substantialis gloriæ alterius est rationis: & potest semper crescere sine eo, quòd ascendat ad præmium gloriæ, cadens sub merito actus intensioris.

Hæc Conclusio grauissima est, & de nouo nunc explicatur; rogo, vt diligentissimè ponderetur; Eam proindè in suas partes distinctam probabo.

Prima pars est. Actu intensiore meremur gradum nouum substantialis gloriæ. Probatur. Gradus beatitudinis essentialis correspondet gradui charitatis viæ. At gradus iste charitatis viæ habetur solum per actum præexistente charitate intensiore: ergò gradus maior beatitudinis essentialis habetur solum per meritum actus intensioris. Et minor quidem probata est Cõclusione tertia, & nona; duodecima, & tertiadecima. Maior verò probatur auctoritatibus D. Thomæ diligentissimè considerandis.

Prima auctoritas est. 3. 89. 5. ad 3. Vbi asseritur, merita antiqua peccato prius mortificata, & posteà per pœnitentiam reparata non obtinere amplius quid, gloriæ substantialis, quàm conueniat gradui gratiæ, in qua homo à peccatis

catis resurgens moritur, verbi gratia: Petrus cadit à gradu centesimo gratiæ, & reparatur per veram, sed debilem pœnitentiam ad gratiam quatuor graduum, & in ea moritur: omnia priora merita, etsi millena, & adæquata fuerint illi priori gratiæ, & charitati, gloriam substantialem habebunt, quæ correspondet illis quatuor gratiæ gradibus, & non amplius. Sed hoc dictum non potest verificari, nisi intelligatur de graduali præmio essentiali: ergò. Probatur hoc assumptum:

Primò. Nam alioquiu respectu præmij substantialis illa merita non reuiuiscent secundum totam latitudinem suam. Quia erant adæquata centesimæ priori gratiæ, nunc autem reparantur ad gratiam, quatuor tantum graduum: ergò non reuiuiscent simpliciter, sed secundum quid, & valdè imperfectè. Imò vide, an dici possit, ea non reuiuiscere. Quia reuiuiscere est tribuere eandem gloriam, quàm prius, ex ipsis D. Thom. loco citato 3. 89 5. verbis hanç reuiuiscentiam diffinientis, at non tribuunt eadem gloriam. cum à centena gloria redigantur ad quartam: ergò non reuiuiscunt. Cùm ergò communiter ab omnibus Doctoribus reuiuiscere dicantur: Et tamen Petrus hoc imperfecto modo pęnitens præmiandus sit gloria correspondente gratiæ, ad quam reparatur; ergò oportet hoc secundum intelligi de gradu gloriæ; primum verò de alio modo præmij, substantialis tamen.

Secundò. Quia si intelligatur hoc dictum de quocumquè substantiali præmio; sequetur Petrum, sic imperfectè reparatum, ac statim morientem post illa millena opera centesimæ gratiæ adæquata, & reparata à mortificatione peccati, æqualiter præmiari, atquè vir scèlestissimus, qui post innumera scelera conuersus cùm dispositione ad quatuor gradus gratiæ eam adeptus statim moritur, quoad præmium substantiale. Horrent hoc profectò piæ omnium aures tanquàm absurdum: ergò non est intelligendum de quolibet præmio substantiali dictum pijssimum, ac verum Sancti Doctoris: sed de graduali.

Nequè verò quippiam valet, quod respondent quidam, exponentes quasi auctoritatem. Videlicet non omnia illa

merita

merita obtentura gloriam quatuor graduum, sicut ad quatuor gradus Petrus reparatur, sed singula. Quocircà ex illis mille actibus Petrus reparatus habebit gloriam quatuor mille graduum. En quantum ab sceleratissimo illo, sed pœnitente distabit.

Primò sic redarguitur. Hæc expositio textum destruit: ergò: Assumptum antecedens patet ex formalibus verbis D. Thom. quæ sic habent. Ad tertium dicendum, quòd ille, qui per pœnitentiam resurgit in minore charitate, consequetur quidem præmium essentiale secundũ quantitatem charitatis, in qua inuenitur: habebit tamen gaudium maius de operibus in prima charitate factis, quàm de operibus, quæ in secunda fecit, quod pertinet ad gaudium accidentale. At si Petrus per responsionem ascendit ad gradus quatuor mille, quomodò præmiatur secundum quantitatem gratiæ, in qua reperitur, quæ est quatuor graduum?

Secundò Ista reparata merita, à quo habent, vt singulis correspõdeant 4. gradus gloriæ? Non à noua gratia: quia ab ea non proficiscuntur. Nùm ab antiqua? sed contra. Primò. Quænam est ratio, cur non reparentur secundùm totam latitudinem suam, quam ab ea acceperant, intra latitudinem tamen quarti gradus substantialis gloriæ.

Secundò. Quia potest habuisse plures actus remissos infra quartum gradum: ergò isti non ab antiqua illa gratia habere possunt valorem hunc quatuor graduum, quẽ neque habuerunt antè gratiæ illius corruptionem, à qua producti sunt. Nùm à conditione personæ, cuius ex gratia sumpta dignitas quatuor graduum est, ideòquè & opera quoquè eodem modo dignificantur? Sed iam isti personam volunt dignitatem acquirere ex opere meritorio; secundùm quòd præmio maiori volunt eam dignam fieri, etiam non crescente charitate. Non ergò potest opus ex persona acquirere dignitatem. Secundò, quandò opus nõ procedit ex gratia illa, quæ Deo personam prius, & postea opera accepta facit; quomodo potest habere valorem ab ea? vt prius dicebatur. Sed de hac re iterum redibit sermo.

Secunda auctoritas D. Thom. est 4. dist. 49. q. 1. art. 4. q. 3.

q. 3. & 4. Ex quibus habetur mansiones in patria, quas Christus multas esse dixit Ioan. 14. c. gradus esse beatitudinis, quos tamquàm in principium remotum reducit in gradus charitatis viæ,& his verbis concludit,& sic charitas viæ distinguit mansiones. Et in illa 4. quæst. ad secundum ait: Ita scilicet quòd secundum diuersos gradus charitatis viæ, sunt diuersi gradus in gloria.

Quam auctoritatem pondera, & ad præsentem considerationem, & ad ea,quæ dicta sunt Conclusione præcedenti: vt intelligat D. Thomę doctrinam sequens augmentum gloriæ attendi non posse penès vllum augmentum charitatis post finem huius vitæ. Esset enim extra viam omnis illa charitas. Nam hominis via cum vita morte terminatur.

Tertia auctoritas D.Thomæ est, p d.17. q. 2. ad 2. Vbi dicitur substantiale præmium vitæ æternæ ordinari, sicut finis ad actus charitatis, & ad inuicem secundùm proportionem commensurari; Vndè actui charitatis debetur pręmium substantiale, & actui maioris charitatis maius pręmium. Vndè quilibet actus charitatis, inquantum charitate informatus ordinatur ad præmium substantiale, non tamen ad augmentum præmij, sicut neque ad augmentum charitatis,secundum quòd charitas remanet primum principium merendi, sed solum secundum quòd charitatis augmentum pertinet ad perfectionem præmij. Hæc ille formaliter. Circa quam auctoritatem prius.

Notanda sunt quædam. Primò. Distinctio charitatis, Vt primum principium merendi, & vt pertinet ad perfectionem præmij. Primum enim membrum significat augmentum charitatis viæ. Hæc enim sola merendi potest esse principium, cùm non sit vllum meritum extra viam, esto possit esse alicuius mali remotio,vel impedimenti, vt culpæ venialis in purgatorio, de quo vide Sanctum Doctor. quæst 7. de malo, art. 11. Et item significat augmentum charitatis viæ, secundùm quòd potest ex proprijs esse principium operis meritorij perfectioris. Nam quandò charitas est quatuor graduum, & operatur adæquatè nō producit opus meritorium æqualis perfectionis, cùm opere producto à charitate 100. graduum, licet & ista

ope-

operetur remissè ad quatuor gradus in opere. Vndè constitutus in centesimo gradu, & operans vt quatuor, præmiabitur essentiali gloria pertinente ad gradum gloriæ respondentem centesimæ gratiæ: alter verò constitutus in quatuor gratiæ, & charitatis gradibus operans adæquatè præmiabitur essentiali gloria pertinente ad gradum correspondentem quartò illi gradui gratiæ, vt inferius Domino concedente declarabitur. Vtriusquè tamen charitas illa opera producet ex proprijs, idest, absquè eo, quòd auxilio specialiori diuino charitatem illam eleuante cófirmetur, & corroboretur; vti corroborari oportet, vt intensiorem seipsa producat actum. Secundum verò membrum distinctionis semper attenditur in patria, & modum, & quantitatem sequitur diuinæ visionis.

Secundò notand. Etsi Diuus Thomas retractauerit sententiam suam dicentem: non quolibet charitatis actu nos eiusdem augmentum mereri; non retractasse tamen eam sententiam suam, quæ dicit; non quolibet actu charitatis charitatem augeri: quia non quilibet proximè disponit ad augmentum. Et secundum hunc sensum exponenda est auctoritas Sancti Doctoris dicens, non quemlibet actũ ordinari ad charitatis augmentum, vt est primum merendi principium. Debent enim dicta Doctorum saluari cùm vniformitate inter se, & sinè eo, quòd sibi ipsis contradicant, quoad fieri potest. Et tunc.

Argumentum sit tale. Non quilibet actus charitatis ordinatur ad augmentum præmij substantialis; ergò tale augmentum, ad quod non quilibet actus charitatis ordinatur, est augmentum gradus maioris præmij substantialis. Consequentia probatur. Et in hac ipsa sententia Diui Thomæ, & in Concilio Tridentino Sess. 6. Canon. 32. Et à nobis etiam supra dictũ est, & primis quinquè Conclusionibus supra probatum; quemlibet actum ex charitate procedentem ordinatum esse ad augmentum, seu maius aliquod substantialis gloriæ præmium infallibiliter retribuendum. Et tamen hic dicitur non quemlibet actum ordinari ad præmium maius, seu ad augmentum maioris præmij: ergò hoc est intelligendum de maiori præmio

sub-

substantiali graduali, illud de pręmio quocunquè maiori, substantiali tamen. An S. Doct. non contradicet sibi ipsi, non solum in eadem pagina, sed etiam in eadem periodo, si aliter intelligatur?

Tertiò. Notandum non esse retractatam à Diuo Thoma consequentiam hanc in hac auctoritate positam, quę plurimi facienda est. Videlicet: Præmium æternæ vitæ substantiale est finis actus charitatis ei commensuratus secundùm proportionem; ergò actui charitatis debetur æternæ vitæ præmium substantiale, & charitatis maioris actui debetur præmium maius. Ex hac enim auctoritate, & argumentatione notantissimè infertur.

Primò, ergò actui nouo formaliter nouum præmium debetur, si illud dari potest. Ratio sequelæ est; quia longè minus in istis, quàm in quibusuis alijs naturalibus, contingere potest non consecutio finis, ac esse frustra.

Secundò infertur: ergò actui charitatis intensiori debetur præmium maius graduale substantiale. Ratio sequelæ est. Nam actus iste affert secum maiorem gratiæ gradum, cui debetur ex verbis formalibus S. Thom. præmium maius, & gradus gloriæ, qui est patriæ mansio.

Tertiò infertur actui charitatis remissiori, vel adæquato non deberi alium gradum præmij substantialis; sed nouum substantialis gloriæ præmium eis alio modo deberi. Ratio sequelæ est: quia sine intensiore actu numquàm afferunt gratiæ gradum nouum.

Quartò. Notandum, Etsi charitas in decimo gradu, verbi gratia, posita producens actus, & adæquatos, & remissos ad quatuor, vel 6. magis præmianda sit pro adæquatis, quàm pro remissis; (qui enim aliter faciendo seruaretur iustitia, vel proportio præmij ad meritum?) Dicitur tamen non ei deberi pręmium maius: Quia scilicet non debetur ei nouum substantiale præmium, quod transcendat gradum illius gloriæ, qui gratiæ decimo gradui correspondeat. At cùm producit intensiorem actum, puta, vt 11. vel 12. & charitas fit in vndecimo, vel duodecimo gradu; tunc maius illi præmium dicitur deberi. Hoc patet apertè non posse aliter intelligi, quàm vt dictum est,

est, de graduali præmio : seu de præmio maiori gradualiter. Primò, quia vt dictum est, iniustè, & sine proportione actui, vt decem, adequato charitati, tantumdem omninò retribueretur quantum actui, vt duo, vel vt quatuor. Secundò. Quia non potuisset dicere D. Thom. verè, actui maioris charitatis respondere, vel deberi præmium substantiale maius, sed dicendum fuisset, præmium substantialem maius respondere, deberiquè maiori actui, puta adæquato charitati.

Quarta auctoritas D. Thom. est eodē. p. 17. q. 2. ad quintum. Quandò (inquit) est actus talis charitatis, qualis requiritur ad charitatis augmentum, tunc etiam augetur præmium substantiale, quod debetur charitati maiori consequenti actum, non charitati, quæ est radix actus. At negari non potest, quin actibus, & adæquatis, & remissioribus augeatur præmium substantiale, vt probatum est Conclusione tertia: ergò præmium, quod dicit Sanctus Doctor deberi charitati auctæ per actum intensiorem, quem sequitur, non deberi autem præexistenti charitati, quæ est radix illius actus, est gradus nouus substantialis gloriæ: Præmium verò debitum præexistenti gratiæ, eiusquè remissis, & adæquatis actibus est alterius rationis. Et ex his, & prima pars probata est, &

Secunda pars quoquè Conclusionis, quæ est. Actibus remissioribus, aut adæquatis charitati nunquàm mereri nos graduum nouum gloriæ substantialis; sed eorum præmium alterius rationis esse. Probatam dixi. Siquidem ostensum est noui gloriæ gradum præmium esse debitum charitati maiori: Et supra Conclusione 12. probatum est; his remissis, & adæquatis actibus quantùlibet continuatis, vel frequentatis non obtineri gradumgratiæ maiorē.

Notanter autem in Conclusione dixi Immediatè: quia cùm sit conclusum supra Conclusione octaua, quolibet actu charitatis mereri nos eius augmentum; sed tamen hoc meritum esse modificatum ad naturam, modumquè ac conditiones dispositionis remotæ, quæ non sortitur effectum, nisi adueniente proxima; ideò actus remissus non meretur augmentum gratiæ ita, vt habeatur, nisi interce-

teredente actu intensiori, & consequenter, nequè etiam gradum gloriæ nouum, quod auctæ gratiæ soli debetur.

Tertia pars est. Præmium substantiale debitum remissioribus, & adæquatis actibus semper posse crescere sinè ascensu ad nouum maiorem gradnm. Probatur. Certum est ex natura rei ipsius charitatis non esse determinatum numerum actuum remissorum, aut adæquatorum, quos justus habere potest: ergò ex hac parte semper crescere, vti merita, ita & præmium potest. Item ex parte præmij infra ostendetur posse in infinitum crescere etiam non ascendendo ad maiorem gradum: ergò ex hac parte semper potest crescere: ergò simpliciter crescere semper potest. Consequentia hæc vltima probatur, quia nulla potest esse alia ratio negandi hunc perennem progressum in huiusmodi actibus, nisi aut quia potentia etiã cum habitu charitatis habeat determinatũ numerum actuum, aut quia latitudo præmij determinata est, & certo actuũ numero euacuatur.

Quòd verò sinè ascensu ad superiorem graduum, &c. Prcbatur, quia nouus gradus maior debetur, vt dictum est, gratiæ gradui maiori: qui gradus nunquàm habetur sinè actu intensiore, quotcumquè, & quanticumquè alij præmittantur, vt probatum est Conclusione 12.

Et quia diximus horum præmium esse alterius rationis, & modò non aliter declarauimus, quia paulò post explicabitur; sufficit modò nobis tantum ostendisse hoc præmium semper futurum in gradu minore, quàm sit gradus, qui actu superante præexistentem charitatem horum intensiorum principium obtinebitur.

Notandum hoc loco videtur illud D Thom. dictum frequentius repetitum gradum maiorem gloriæ substantialis deberi maiori gratiæ; exponendum esse de facto, non excluso tamen actu intensiore; quamuis rationes super hoc dicto fundatæ valerent, etsi intelligeretur cum exclusione actus intensioris. Ratio cur iste actus non excludatur, est; quia gloriæ augmentum retribuendum adultis est communiter vt merces operis; at habitus charitatis, & gratiæ secundum se non dicunt opus, &

con-

consequenter neque meritum. Dixi communiter: Nam non implicat reddi augmentum gloriæ, & non esse mercedem operis hominis, cui redditur. Potest enim quis per attritionem non sufficientē sine sacramento, adiuncto sacramento iustificari à peccato; & sic meritum, cui reddetur præmium debitum non solum baptismo (cuius virtus reuiuiscit magis, quam merita mortificata) sed etiam sacramento pęnitentiæ tali modo iustificanti inerit. Habent enim sacramenta vim, vt gratiæ in tali pondere producendæ, ita etiam consequenter gloriæ comparandæ: ergò merces quidem semper est operis Domini Iesu, non tamen semper eius, qui sacramentum suscepit, vt patet in homine pęnitente modo dicto.

Si verò modum, quo actus iste includitur, quæras, qui non ab aucta gratia producitur, sed à præęxistente, vt diuino auxilio specialiori eleuante corroborata, imò auctæ illi præexistat, vtpotè meritoriam causam formaliter constituens.

Respondeo primò. Actum intensiorem præcedentem habere in se duas vires; vnam meritoriam. Et hæc primò, seu immediatè respicit duo. Primum est præmium substantiale ei conueniens, vt ab illa præexistenti gratia est; Secundum est meritum augmenti gratiæ: & quia maiori gratiæ debetur maius præmium, ideò mediante hoc augmēto meretur tertio loco etiam præmium maius. Altera virtus est dispositiua ad augmentum, tanquàm proxima dispositio, & ratione huius affert secum gratiam, & charitatem maiorem, & consequenter ius, quo ei debetur præmium maius illo, quod vt à præexistente minore gratia debebatur.

Vel respondeo Secundò. Actum illum intensiorem à præęxistenti gratia productum continuari eundem numero post auctam gratiam, & charitatem; & tunc non quidem gradum illum gratiæ, sed maiorem gradum gloriæ substantialis promereri. Et primo quidem probatur identitas actus continuati: Non enim mutatur agens, cùm sit idem homo eliciens, eadem numero charitas, quam non variat numero gradus augmenti aduemiens, idemquè

tempus, ex quibus pendet numeralis vnitas operis suppo sita identitate subiecti recipientis eam.

Secundò probatur continuatio operis aliquanto tempore. Nam cum actiones voluntatis sint indiuisibiles, ac de numero etiam permanentium; nec incipere possunt, nec desinere in mensura diuisibili, qualis mensura est tempus; sed in vno instanti incipere in alio instanti desinere esse possunt; non enim possunt in eodem desinere esse, in quo esse incipiunt. Inter duo autem instantia nostri téporis intercedere necessariò tempus in Physicis operosissimè disputatur, & concluditur.

Tertiò tandem non mereri hunc gradum auctæ iam gratiæ, sed solum illud præmium maioris gloriæ patet. Et primò ratione, quia quod vt existens concipitur, imò, & de facto præexistit, non potest cadere sub merito, quia motui terminno præexistere implicat contradictionem. Et secundò exemplo actus in prima iustificatione concurrentis, qui non gratiam, ad quam consequitur, quatenus meritorius est, sed gloriæ substantialis præmium meretur.

Ex his omnibus diligentissimè consideratis. Sequitur hæc, quæ sit.

Decimaseptima Conclusio Corollaria grauissima profectò; & meditatissimè ponderanda. Duplex est modus præmiandi actus charitatis prẹmio substantialis æternæ gloriæ. Primus est ascendendo ad maiorem gloriæ gradum, Alter sine tali ascensu, sed sistendo intra limites eiusdem gradus gloriæ.

Ratio Conclusionis est. Quia duplices sunt charitatis actus: quidam intensiores adducentes nouum gradum gratiæ, quidam vel adæquati eidem charitati, vel ea remissiores. At primis debetur gradus maior gloriæ, alijs autem non debetur: ergò illi præmiantur ascendendo ad nouum maiorem gradum, isti non ascendendo, sed intra latitudinem eiusdem gradus augendo gloriam.

Et ista quidem ita videri deducta possunt; quasi sine probata in schola Diui Thomæ, plus, quàm probabiliter: quod si obtinuerim, non parum præstitisse videbor; cũ satis mihi, ac super esse debeat; si ex constantissima Sancti Docto-

Doctoris doctrina, quam approbauit in summis fidei caussis Ecclesia tota vsquè in diem præsentem, aliquid exculpere possim, quod eidem Ecclesiæ vtile sit. Quid tamen prohibet conari, si hæc eadem Conclusio possit absolutè probari, probabiliter saltem? Nam (quod Arist. in similibus, licet valdè inferioribus, dixit;) In altissimis huiusmodi veritatibus demonstrationes relinquendę sunt alijs.

Secundò igitur probatur Conclusio. Hoc gloriæ æternæ præmium debetur homini adulto operanti, & vt hæreditas, & vt corona, seu merces; ita quòd vna ratio alteram imbibit: quia nequè corona gloriæ auctioris dari potest, nisi filijs, & hæredibus; nequè filijs, & hæredibus dari auctioris gloriæ hæreditas potest, nisi operantibus, & coronandis. Hoc fundamentum ex Scripturis habetur. Dicitur enim ad Rom. 6. Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita æterna: ergò Gratia, qua efficimur Dei filij, ratio est, cur vita æterna habeatur. Item ad Rom. 8. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd filij Dei sumus: quòd si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Item 1. Petr. 1. Regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in hæreditatem incontaminatam, & immarcescibilem conseruatam in Cęlis in nobis, &c. At verò & alibi. 2. Thimot. 2. dicitur: Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. En quomodo gloria illa vocatur corona sudore, ac labore operum, præliorumquè comparanda? Et 2. Thim. 4. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex. Imò ipsi Principes Apostolorum, quibus locis nos dicunt vel hæredes Dei, & Christi cohæredes, vel regeneratos in hæreditatem, in eisdem statim subiungunt, si tamen compatimur, vt conglorificemur; Et modicum nunc, si oportet nos contristari in varijs tentationibus. Ex hoc fundamento infero: Ergò cōseruandæ sunt vtriusquè rationis conditiones; vt habenti nobiliorem rationē filiationis detur hæreditas nobilior; qui verò in eadem filiationis ratione constituti amplius certauerint, detur æquè nobilis hæreditas, sed copiosior. Ac si Imperator

illum, qui æquè nobilis est comitem faciat, vti alterum ei comparem creauit; sed comitatus vnius est altero ditior,& latior,quia pugnauerit freqūētius, aut diutius: At illum,qui nobilitate præcellat ad Marchionatus,vel Ducatus dignitatem extollat. Tunc subsumo. Sed nouus gradus superueniens ex intensiore charitatis actu affert nobiliorem rationem filiationis, quam actus adæquati, vel remissiores, quantumuis multiplicentur, aut durent, afferre non possunt: ergò per actum intensiorem obtinebunt nobiliorem gradum gloriæ, quæ hæreditas,& corona est; per adæquatos autem, & remissiores non nobiliorem hæreditatem, vel coronam, sed in eodem gradu hereditatis copias maiores iuxta meritorum numerum, & intensionem. Quamuis enim omnis gratia sit vnius speciei, constituatquè diuinam filiationem; nouus tamen gratiæ gradus habet virtualiter nouam quasi speciem filiationis, quam remissiores, & adæquati actus afferre nequeunt,ceu remotæ dispositiones, per quas non secundum ipsam substantiam suam, & in esse physico charitas crescit, sed tantum in effectu quodam suo, in esse scilicet meritorio, quod vocant esse quoddam mortale. Et huic filiationi persuadendæ aptari posset illud Apostoli: Filioli mei, quos iterum parturio. Sed non vacat.

Tertiò. Longè vtilius est habere vnicum actum intensioré, quam mille remissos,& plures etiā: ergò ille maiori præmiandus est præmio, quàm isti. ergò actus intensioris præmium debet esse altioris ordinis, quàm præmium istorum; quod nos diximus esse nouum gradum gloriæ, altiorem scilicet mansionem,aliorum verò esse intra latitudinem gradus proportionati præexistenti charitati. Antecedens communiter concessum est,& tamen à posteriori probatur: quia mille remissi non adducunt nouum gradum gratiæ, quem intensior vnicus adducit. Prima consequentia euidens est, eò quòd gloria merito correspondere debet, est autem intensioris actus meritum præstantius. Et nota hanc excellentiam attendi tàm penes principium primum,quatenus Deus hominem mouet specialiore auxilio ad intēsiorem actum; tùm penès principium

cipium proximum gratiæ scilicet & charitatis, quæ seu eleuante auxilio prædicto seipsa fortior facta intensioris se actus sui principium fuit.

Secunda consequentia probatur. Nam si non ita sit, oportebit actum intensiorem præualere millenis actibus; quod adeò per quam rarissimè continget, vt dici in materia morali possit, esse impossibile.

Quartò. Si non datur iste diuersus modus substantialis præmij sequetur, quosdam Beatos inferiores in gloria plura in Deo videre, quàm alium eo superiorem, & consequenter eos esse illo superiores; quod non solum est absurdum, sed implicat contradictionem apertam. Et consequentia aperta est. Contingit enim aliquem Sanctum, verbi gratia, Diuum Antonium videre plura, (vti innumeros homines suum patrocinium implorantes,) quàm Diuum Thaddeum Apostolum. Communis autem sententia est videre in Deo Beatos omnes, quæcumquè ad eos quacumquè temporis differentia pertineant.

Quintò. Hoc diuerso præmiandi modo omnia concinno modo accommodantur; sinè eo semper mirabiles restant difficultates: ergò modus iste diuersus præmij saltem vt probabilissimus est recipiendus; antecedens ex dictis, dicendisquè patebit.

Sextò, & vltimò probatur. Argumento ferè ad verbũ sumpto ex D. Thom. 1. 17. 2. 3. ad secundum. Gratiæ tãquàm radici debetur gloria, ad Rom. 6. gratia Dei vita æterna: Ergò maiori gratiæ maior gloria, quæ consequentia per se nota est ex vi proportionalitatis: ergò charitati, seu gratiæ per intensiorem tantum actum auctæ, non autem charitati, seu gratiæ præexistenti debetur gloria maior. Consequentia hæc quo ad negatiuam partem (affirmatiua enim probata est) indè patet, quia non maior gratia, sed eadem, quæ prius est: ergò etsi quis cũ multis millibus actuum remissorum moriatur, sine maiore ista charitate, non obtinebit præmium substantiale maius; idest æquale illi, qui post paucos remissos (ab illa gratia, quæ erat illi communis cum illo altero, puta in in decimo gradu) per actum intensiorem ascenderit ad

11. gradum, & statim in eo mortuus fuerit.

An dices charitatem illam prioris, verbi gratia Pauli esse quidem minorem in esse naturali secundum substantiam habitus, quia est decem graduum: huius autem secundi P. Petri est 11. graduum: Attamen non esse minorem, sed maiorem in esse meritorio, seu morali, cuius magnitudo attenditur, secundum quòd in plura opera gratia, & charitas crescunt. Et hoc est vltimum horum effugium, qui non docuerunt istum diuersum modum premiandi, Et non innotuit, quomodo possint Pauli merita crescere, eisquè deberi præmium gloriæ simpliciter, & absolutè etiam secundem totam latitudinem meriti, & non excedere gloriam Petro debitam, in quo ferè nulla sunt merita comparatiuè ad Paulum. Sed hæc eorum distinctio non sufficit. Nam, vt habet ad verbum S.Thom. 4. 49 1. 4: 4. ad tertium. Quamuis habitus charitatis, vel cuiuslibet virtutis non sit meritum, cui præmium debeatur; est tamen tota ratio merendi actui; Et ideò (pondera quæso diligentissimè hanc causalem, & consequentiam) secundum eius diuersitatem præmia distinguuntur. Non ergò secundum actus meritorios sine augmento ipsius charitatis. Cum itaquè non debeat vllo modo negari Ioannem centum actus habentem adæquatos decem graduali gratiæ suæ plus meruisse, quàm Andream, qui in eodem gradu gratiæ habet decem solos huiusmodi actus adæquatos; oportet dari præmium Ioanni maius, quàm Andreæ, quod non simpliciter maius est dicendum, sed maius intra latitudinem gradus, qui correspódet decem graduali illorum gratiæ. Petrus tamen etsi numero pauciores actus habuerit præmiabitur gradu correspondente vndecimo gradui gratiæ, quod est simpliciter maius, cum totam latitudinem excedat gradus correspondentis decem graduali gratiæ illorum, Vides quomodo huic veritati à nobis propositæ omnia suauissimè cósonant, quæ implacabiliter inter se pugnare videbãtur?

Tu verò acutè Lector pondera, quæso, subtiliter primũ argumenti huius antecedens. Gratiæ tanquàm radici debetur gloria, quod non potest intelligi, nisi de ipsa substantia

ſtantia habitus gratiæ; Vndè conſequentia illa; ergò maiori gratiæ conuenit gloria maior, euidenter infertur de ſubſtantia ipſa gratiæ. Et conſequenter reſponſio diſtinguens hoc conſequens,& illud acceptans de eſſe morali maiore, negans autem illud de maiori gratia ſecundum eſſe phyſicum omninò inutilis,& vana eſt. Transfert enim ſermonem à prima radice debiti præmij,ad fructus: Nec quicquam dicit ad probationem conſequentiæ tractantis de prima radice ſemper, & irrefragabiliter concludentis.

Et nota hoc argumentum, quod vniuerſaliter,& abſo lutè videtur eſſe potentiſſimum, in via verò S:Doct. omninò palmare; præſertim additis ijs, quæ habentur, 4. 49. p. 4. 4. ad ſecundum.

Decimuoctaua Concluſio, Quamuis gradus ſubſtantialis gloriæ correſpondens nouo maiori gradui charitatis non differat(realiter loquendo)ſpecie à gradu gloriæ correſpondente minori gradui charitatis,& gratiæ; Virtualiter tamen ab eo differt ſpecie.

Prima pars dicti facillimè probatur. Omnis enim gloriæ gradus, ſeu omnis viſio eſt perſe primò eiuſdem obiecti formaliter ſumpti, ſcilicet deitatis,vt in ſeipſa formaliter, & ſecundùm rem eſt, & ſi vis addere, eſt ab eadem eodem modo ſumpta diuina eſſentia, tanquàm à formali principio: ergò omnis viſio deitatis eiuſdem omninò ſpeciei, ac rationis eſt, nec habet vndè ſpecie differre poſſit. Præſertim verò hoc eſt apertiſsimum de viſione Dei, quæ in intellectu creaturarum eſt, in quibus actio illa in genere entis eſt quid creatum. Attamen aliquandò diximus etiam illam, quæ in Deo ſui ipſius viſio compræhenſiua eſt, à Beatorum viſione non eſſe ratione diſtinctam; quod videtur in Euangelio inſinuatum, cùm ad eandem, qua fruitur Deus cęnam, dicimur eſſe ſeſſuri. Et ego inquit, diſpono vobis regnum, vt ędatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Sed hoc modò eſt prætermittendum.

Secunda pars probatur. Si non eſſet virtualis differentia ſpecifica inter hos gradus viſionis, non poſſet vnus ſu-

per alterum ſemper eſſe, quamuis alter inferior ſemper creſceret: ergò talis differentia intercedit inter hos gradus. Antecedens patet inductione. Linea enim, quantumuis ſumatur maxima, ſemper æquari poteſt ab alia linea; quæuis albedo excedi poteſt ab aliqua alia albedine. Atquè ratio eſt; quia progreſſus intelligitur eſſe inter ea, quæ ſolum numero, non ſpecie diſtinguuntur. At quantumuis in infinitum creſceret nigredo, aut linea, non poſſunt adæquare vnquàm perfectionem minimæ albedinis, vel ſuperficiei, quia eſt inter eos ſpecifica diſtinctio. Nulla enim auctio rei poteſt eam ducere extra ſpeciem ſuam; quia non augmentatio foret, ſed corruptio. Conſequentia patet ex tertia parte ſextædecimæ Cōcluſionis.

AT verò video, & ego quoquè perarduum eſſe declarare, quo modo hęc fieri poſſunt, præſertim cùm neminem legerim, aut audierim, vndè tantę rei declarationem ſumere, aut eius ſaltem occaſionem expiſcari poſſem. Sed & illud vereor non mediocriter, nè nomine repræhendar temeritatis: quòd ea, quæ ad ſenſum Domini ſolùm pertinere videntur, & de eis ſcriptum eſſe, quia nec oculus ea vidit, nec auris aediuit, nec in cor hominis aſcenderunt: ego (heu me, quis ego) declarare contendam: aut nè maieſtatis ſcrutator plus nimiò audax à gloria opprimar. Attamen certò ſciens longè altius iſta fieri, quàm ab immundo hoc corde meo percipi poſſint, proponam quandam huius altiſsimi myſterij adumbrationē, quæ mihi probabilis ſatis apparet; humiliter cenſuræ Sapientium, eorum præſertim, qui diuina patiendo altius penetrant, hanc adinuentionem meam ſubijciens: quam ſequentibus quatuor dictis explicabo.

Primum dictum. Viſione diuinæ eſſentiæ duobus modis poteſt homo beari. Primus eſt, vt videat Deum, vt eſt in ſeipſo præciſè nullas omninò res ab eo diſtinctas in eo videns: Ratio huius preciſionis eſt; quia comparatione rerum aliarum à ſe Diuina eſſentia creato intellectui (cuius non eſt Deum compręhendere) ſpeculum eſt omninò voluntarium: Ratio verò, quòd ita præciſè viſus beet; quia eſt obiectum ſumma eminentia vniuerſa entia, &

bona

bona continens; proindequè eius possessio est beatitudo simpliciter. Vndè non vltra curat intellectus notionem generum, ac specierum, quam alioquin naturaliter appetit. Exemplum habes in assumpta humanitate, quæ naturali appetitu non appetit propriam personalitatem creatam, in verbo prorsus conquiescens. An autem in hoc modo videndi posset vnus alio beatior esse, non est hic locus inquirendi; ego certè potius affirmarem.

Secundus modus est, Vt præterea in ipso Deo viso euidenter videatur aliquid aliud. Non quia huius alterius visio aliquid faciat ad beatitudinem, iuxta tritam Diui Augustini sententiam; Non propter illa beatior, sed propter te solum Beatus; sed quia scilicet Deus videtur magis, qui tanquam eminentissima suprema causa videtur, & in seipsa supremo modo sumpta (idest, vt est in seipsa simpliciter) videtur id, quod beata visione in Deo videtur, de quo modo habes diffusè p. 12. art. 8.

Secundum dictum. In hoc secundo modo beatificæ visionis dantur gradus specificè inter se virtualiter distincti, sed realiter eiusdem speciei.

Declaratur, & probatur ab opposito; reali, scilicet specifica distinctione inter Angelos. Hi enim ideò inter se differunt realiter specificè, quia singuli sunt subsistentes similitudines artis diuinæ vniuersalissimæ exemplantis totum hoc creatum vniuèrsum altiori, seu vnitiori, ac vniuersaliori, vel magis particulari distincto, & minus, alto modo: Vt declarauimus quæstione de causa specierum intellectus Angelici. Qui modi exemplandi inter se non realiter distinguuntur, cùm ipsa sint essentia diuina, vt obiecta diuino intellectui sub talibus respectibus: faciunt tamen extra se artes illas particulares subsistentes in intellectualitate, similitudinesquè substantiales essentiæ diuinæ hoc modo conceptæ realiter distinctas specie: quia istæ per se primò similitudines sunt essentiæ diuinæ diuersis illis modis exemplantis. Qui modi cùm in diuina essentia ob eius eminentiam immensam non realiter specificè distinguantur, sed identificentur; in creaturis tamen, non primò illud quasi tertium identificans

cans, sed illos ratione distinctos specificè modos assimilantibus faciunt distinctionem specificam realem. Simili huic modo dici potest in beatifica visione intelligendú. Ita scilicet Deum ostendere seipsum supremo illo modo, vt in seipso est, Vt in tali gradu visus sit etiam ratio rem aliam videndi, naturam verbi gratia humanam, in alio gradu visus, ratio sit videndi aliam, vel alias, plures, pauciores, nobiliores, minusquè nobiles, corporeas, spirituales, & creatas, & creabiles, & vniuersas etiam istas simul secundùm altiorem, vniuersalioremquè modum. Sed hæc, omnisquè similis alia varietas non facit in visionis huius gradibus his diuersis distinctionem realem specificam; quia horum etiam visionis graduum non primò est obiectum, vel illa rerum varietas, vel ipsamet essentia Dei secundùm quod concipitur, vt in talibus gradibus ratio illarum omnium rerum: sed est ipsamet essentia diuina, vt in seipsa simpliciter est secundùm se. Facit tamen distinctionem specificam virtualem: quia visio illa Dei, vt in seipso est, sed in tali gradu præcisè, vt ratio est videndi hanc, verbi gratia, naturam infimam (in seipso tamen) nunquàm potest peruenire ad perfectionem visionis similis, qua in Deo videtur natura superior. Estquè gradus virtualiter specificè distinctus, non visio distincta realiter specificè.

Tertium dictum. In quolibet tali gradu potest essentia diuina in seipsa plura, & pauciora ostendere: nequè in indiuisibili consistit vllus talis gradus; imò potest in infinitum crescere. Ratio est. Nam cùm se Deus hoc modo voluntariè ostendat creato intellectui, vt in seipso naturam verbi gratia humanam demonstret; quid prohibet dicere, quòd potest ostendere naturam illam præcisè ab omnibus indiuiduis, aut pręterea vt est in vno, in decem, in mille, in innumerabilibus; aut pręterea vnum ex accidentibus per se, vel duo, aut plura; aut pręterea vnum ex accidentibus contingentibus, vel naturalibus, vel liberis, ordinis naturę, gratię, glorię, pręteritis, præsentibus, futuris, aut pręterea varias horum combinationes, comparationes, etiam possibiles, nè dum sub

aliqua

aliqua cuiusuis temporis differentia cadentes? Profectò in hoc exemplo apertè perspici potest numerus sine numero eorum, quæ in hoc vno gradu visæ essentiæ diuinæ ostendi voluntariè possunt, & beatificè videri. Nam quòd visio beatifica sit, probatur ex eo, quòd ista in Deo viso, vt sic videri supponuntur. Quòd verò visio ista beatifica crescat, ex illo firmissimo principio probatur. Quò plura in Deo videntur, eò magis Deus videtur. Quòd autem hoc augmentum ad eundem gradum beatæ visionis pertineat, probatur, quia habetur in essentia diuina in seipsa visa in eo gradu, quo represen̄tntiua est illius naturæ humanæ. Et quod in hoc exemplo humanæ naturæ comparatione diximus, suo modo pari ratione similiter dicendum esse existimamus in omnibus alijs.

Quartum dictum. Cùm singulis gratiæ gradibus in hac vita correspondeant gradus charitatis, & vtriusquè gradibus in patria correspondeant gradus tùm luminis gloriæ, tùm beatificæ visionis, tùm charitatis, vt suppono ex communi axiomate dicente omnia ista secundùm graduationes suas pari passu progredi. Tamen lumen gloriæ non parit æqualem visionem, nequè charitas ęqualem fruitionem, seu gaudium de viso Deo in omnibus, in quibus sunt in æquali etiam gradu: Sed sicut quis in gradu charitatis suæ in hac vita frequentius, intensiusquè operando sese excreuerit, ex illo eodem gradu luminis gloriæ, & charitatis magis Dei visione potietur, Deoquè fruetur intra eundem gradum beatæ visionis, ac præmij substantialis æternæ gloriæ. Ratio est.

Prima. Nam sicut charitas in hac vita secundùm habitus substantiam non crescit, sed tantum in operibus, & meritis simpliciter, & absolutè substantialis præmij; ita habitus illi in patria correspondentes non crescunt secundùm substantiam habitus, sed in esse præmij substantialis gloriæ. Ita enim fit, vt proportionabiliter pari passu ista gradiantur.

Secunda est. Quia non potest rationabiliter negari, quòd sicut ignis inferni pro culparum varia ratione, vario modo damnatos torquebit, ita idem luminis gloriæ, & cha-

& charitatis gradus pro varietate meritorum diuersas pariant actionum perfectiones. Etenim ita hi habitus, atquè ignis ille diuinæ iustitiæ deseruiunt, hi quidem remuneranti, illi verò punienti.

Tertia ratio est. Altiori modo cùm his habitibus, & potentijs, quæ illis subijciuntur, concurrit iustitia, essentia, bonitasquè diuina ad actus visionis. & gaudij producendos, quàm cùm illo igne ad cruciandum damnatos: ergò quam efficit cum isto eodem igne varietatem pęnarũ, eandem præmiorum varietatem cùm eodem gradu luminis, & charitatis facere potest. Antecedens probatur: quia non solum, vt principium effectiuum concurrit ad hos actus producendos, sed etiam vt specificatiuum. Consequentia autem euidens esse videtur.

Quarta ratio. Concursus personalitatis verbi cùm lumine gloriæ eleuat species intelligibiles inditas animæ Christi ad repræsentanda occulta cordium, futuraquè contingentia quæcunquè: ergò magis concursus essentię, bonitatisquè diuinæ subsistentis eleuabit lumen ipsum gloriæ, & charitatem in eisdem gradibus positam ad producendos pro diuersitate meritorum diuersas operationes. Consequentia probatur. Quia vnusquisquè gradus tàm luminis, quàm charitatis naturaliter correspondent toti certo gradui beatificæ visionis: & Dei essentia, ac bonitas ad hæc opera concurrunt in ratione causalitatis; vndè communis est hæc actio omnibus personis; at personalitas verbi ad eleuandas species illas, quoad prædictorum repræsentationem non concurrit in ratione causalitatis.

Decimanona Conclusio. Qui à grandiore gratia, puta centesima cùm multis actibus, & remissioribus, & adæquatis lapsus in mortale per pęnitentiam ad minimam gratiam resurgit, puta duorum graduum, & in ea moriturі: habebit gloriæ gradus duos correspondentes illi gratiæ, ad quam reparatus est: & intra horum duorum graduum latitudinem remunerabitur æternæ vitæ præmio secundum totam latitudinem meritorum, tàm quæ præcessererunt reparatam gratiam, quam eorum,

quæ eam postea secuta sunt.

Prima pars probatur. Nam gloriæ gradus, & secundùm D.Thom. & secundùm veritatem correspondent gradibus gratiæ, in qua quis in morte sua inuenitur. Vt probatum est Conclusione sextadecima. At iste sic à peccato reparatus supponitur mortuus in secundo hoc tantum gradu gratiæ: ergò, &c.

Secunda pars probatur. Primò. Nam vti amissio gratiæ per mortale peccatum est mors meritorum, quæ tamen in Dei memoria viuunt; ita remotio peccati per gratiam est restitutio vitæ: non in Dei memoria, vbi vitam non perdiderant, sed in eo, qui illa fecit. Aut ergò reuixerunt secundùm totam suam latitudinem, & habemus intentum; aut non secundùm totam suam latitudinem: Et tunc sequitur ea non reuixisse simpliciter, quoad meritum æternæ vitæ substantialis. Id verò falsum est, quia simpliciter dicta sunt reuiuiscere ab omnibus Doctoribus.

Secundò. Nam merita reuiuiscere. Est recuperare efficaciam perducendi ad vitam æternam eum, qui illa fecit. Ita D. Thom. diffiniente 3 89. 5. ergò habent efficaciam tribuendi aliquid præter gaudium de ipsis operibus in priori gratia factis: ergò habent efficaciam tribuēdi substantiale gaudium de viso Deo secundùm totam latitudinem suam, intra tamen limites gloriæ bigradualis, correspondentis duobus gradibus gratiæ.

Prima consequentia probatur, quia si tribuerent tantum gaudium illud de bonis illis operibus, aut de multitudine titulorum, quibus æterna vita comparata est; non tribuerent æternam vitam; & consequenter ex hypothesi, non essent reparata; quia æterna vita non consistit in gaudio accidentali, quale est gaudium de operibus, ac titulis.

Secunda consequentia plures habet partes. Prima est, quòd tribuunt substantiale gaudium, &c. Et probatur, ex vi diuisionis, aut enim tribuunt substantiale, aut accidentale solum. Non secundùm, quia non tribuerent vitam æternam, vt dictum est: ergò primum, quod ostensiuè

uè probatur. Tribuunt ęternam vitam ex diffinitione, Diui Thomę, vbi ſupra: at ęterna vita conſiſtit in gaudio de Deo viſo: ergò.

Secunda pars conſequentiæ eſt, quòd ſecundum totam latitudinem ipſorum meritorum. Probatur. Primò, quia non eſt aliquod impediens totam huiuſmodi remunerationem: ergò hoc modo tribuunt æternam vitam. Antecedens patet, quia Concluſione ſextadecima probatum eſt quemlibet gradum glorię creſcere poſſe in infinitum. Conſequentia probatur. Quia nihil eſt, quod limitet latitudinem illam ſingulorum meritorum, aut conſurgentem ex illis ſummam.

Confirmatur. Dicuntur reuiuiſcere ſimpliciter: ergò,

Secundò probatur eadem ſecunda pars. Merita reparata tribuunt ęternam vitam: ergò ſecundum aliquam determinatam menſuram: ergò ſecundùm totam latitudinem ſuam, limitatam tamen ad ſecundum gradum glorię. Antecedens ſupponitur ex diffinitione reuiuiſcentię.

Prima conſequentia probatur. Quia in per ſe ſibi inuicem correſpondētibus neceſſariò eſt determinata proportio, & menſura.

Secunda conſequentia probatur. Quia ſuppoſita limitatione glorię, ad duos gradus correſpondentes duobus gradibus gratiæ nihil eſt, quo reſtringatur latitudo præmij ſubſtantialis ſecundùm totam latitudinem ſingulorũ, & omnium meritorum ſimpliciter reuiuiſcentium.

Tertia pars conſequentiæ, quòd intra tamen limites glorię bigradualis, ſeu correſpondentis duobus gradibus gratię probatur. Gratia reparata, in qua iſte moritur, eſt bigradualis: ergò merita reuiuiſcentia non poſſunt tribuere præmium æternæ vitæ correſpondens gratiæ maiori puta trium, aut plurium graduum; ergò latitudo tota remunerationis ipſorum continetur intra gloriæ bigradualis terminos. Antecedens patet tùm ex hypotheſi dicente hunc mori in gratia limitata ad duos gradus, tùm quia actus antiquus, & præteritus non poteſt aliquid mereri de nouo.

Conſe-

Consequentia prima probatur. Quia præmij substantialis gradus gradibus gratię viæ huius respondent, & commensurantur, vt probatum est Conclusione sextadecima.

Consequentia secunda patet ex eo, quòd non restat alius modus remunerandæ totius latitudinis horum meritorum.

Quòd verò Bagnes suam inuentionem sequutus dixit, hæc merita remunerari eò, quòd singnla proprio titulo eandem gloriam tribuant correspondentem duobus illis gratiæ gradibus, non est acceptandum propter ista, quæ sequuntur argumenta.

Primùm. Quia illa titulorum multitudo, & nouitas, aut dignitas etiam in sententia Bagnes non pertinet ad vitæ æternæ præmium substantiale. At hæc merita tribuunt vitæ æternæ substantiale præmium? Nam illud tribuunt, quod impediebantur tribuere per peccatum mortale; vt patet d. art. 5 q. 89. 3. p.

Secundùm. Quia iste modus merendi vnum, & idem præmium cadens simpliciter, & absolutè sub merito supra (nisi fallor) non solum impugnatum, sed etiam expugnatum est Conclusione sexta, etiam comparatione operum actu ex charitate proficiscentium.

Tertium. Non potest opus vllum facere sibi debitum id, ad quod neque ex natura sua, neque ex intentione agentis directum fuit. At opera illa viuificata nunc ab agente non diriguntur in hoc præmium bigradualis gloriæ (vt patet, quia nè fieri quidem ab eo potest opus, quod iam transijt) nec olim fuerunt ab eo in tale præmium directa, præsertim illa, quæ positus in tertio, quarto, & alijs gradibus gratiæ operabatur. Charitas enim ad vlteriora respicit oblita quasi iam præteritorum, ex Apost. ad Phil. 8. c. ergò non possunt facere sibi debitum hoc præmium gloriæ duorum graduum. Maior propositio, (nam minor inter dicendum probata est) patet si consideretur, quòd radix merendi tota est charitas, & elicita à se, & alijs virtutibus imperata opera dirigens in proprium finem.

Quar-

Quartum. Si iste reparatus fuisset ad maiorem gratiam, puta decem graduum, merita reuiuiscentia gratiæ centesimæ adæquata, vel remissa, vt 20. vel 30. verbi gratia, tribuissent illi præmium correspondens huic gratiæ decem graduum reparatæ: ergò etiam reparatus ad secundum gradum gratiæ, si superuiuat, & operibus intensioribus ascendat decimum, vel vigesimum gradum gratiæ, operibus viuificatis prius cōparabit illud præmiū gloriæ 10. graduum: ergò merita viuificata non per se, sed per accidens tribuunt gloriam æternam illam 10 graduum: ergò nullo modo talis æterna gloria tribuitur ab huiusmodi meritis viuificatis. Antecedens patet, quia eadem ratio est de reparato ad secundum, & de reparato ad decimum gradum gratiæ per pęnitentiam.

Prima consequentia probatur. Quia quam rationem habet præmium ad merita viuificata reparati ad decimum gradum gratiæ, eandem habet ad merita viuificata, reparati quidem ad secundum, sed eleuati per opera consequentia ad decimum gratiæ gradum.

Secunda consequentia probatur. Quia si eam tribuerent per se, determinatè tribuerent non modo ad 2. modò ad 10. gradum: nam quæ per se comparantur ad inuicem, sub determinata proportione comparantur.

Tertia consequentia probatur. Quia præmium æternæ gloriæ non potest tribui per accidens.

Vbi nota, quòd iuxta nostram sententiam omnia procedunt, & determinatè, & per se. Nam gradus gloriæ per se determinatè respondet gradibus gratiæ, aut reparatione, aut actibus intensioribus acquisitæ. Latitudo autem intra limites huius gradus per se, & determinatè respondet meritorum latitudini, siuè illa viuificata sint, siuè denuò comparata.

Quintum. Merita viuificata sunt, vt plurimum inęqualia, tùm quia homo non toto tempore fuit in eodem gradu, sed pedetentim ascendit ad 100. tùm quia constitutus in quouis gradu, non eodem modo operatur, sed aliquando remissè, vel etiam remissius, aliquādò adæquatè. Quod suppono quasi ipsamet experientia certissimum. Et tunc

quæro.

quæro. Singula merita viuificata tribuentnè gradum gloriæ respondentem gratiæ huic reparatæ, quam ponamus esse 20. graduum; an omnia simul? Et loquor de tribuere gloriam per se: nam quod est per accidens non cadit sub consideratione scientiæ. Non primum; quia non est rationabile merita, quæ remissiora fuerunt, puta vt duo, quatuor, sex, vniuersaliterquè infra 20. gradū ex hac tepidiore conuersione acquisiuisse vim tribuendi 20. gradum gloriç. Nequè secundùm; quia per accidens est merita viuificata fuisse, aut excedentia, aut adæquata vigesimo huic gradui gratiæ, & ei correspondēti gloriç; quod probatur. Quia vt habet Diuus Thomas loco citato 3. par. 89. Secundò. Contingit lapsum reparari ad maiorē gratiam, vberioresquè virtutes, quam illç sint, à quibus cecidit in peccatum. Quod si omnia simul sumpta, nequè excedunt, nec adæquant gradum vigesimum gratiæ, redit argumentum allatum contra primum membrum.

An dices, quæ remissiora sunt merita viuificata non tribuere quasi titulum nouum 20. gradum gloriæ; sed tamen tribuere partem illius? Hoc verò mihi irrationabile est. Primò. Nam puto gradus gloriæ, quasi species (virtualiter tamen, vt supra diximus) se habere ad inuicem, & indiuisibiliter comparari. Vndè vti innumeri actus remissi, & adæquati non possunt afferre gradum nouum gratiæ, tanquàm remotæ scilicet dispositiones, ita nequè mereri nouum gloriæ gradum; Si autem secundūm partes præmium illud compararetur; remissis actibus multiplicatis, & totus gradus, & vlteriores possent obtineri. Secundò. Nam quis fingere posset calculationem partium præmij correspondentis his tam multis actibus inæqualibus, qui fingi possunt lapsum præcessisse?

Tertiò principaliter arguo ad Conclusionem. Non est vllo modo rationabile idem esse substantiale præmium Martini, qui à scelestissima vita conuersus in gratia quatuor graduum sinè alijs ferè vllis meritis moritur, & Paulini, qui à magna, puta centesima gratia lapsus in mortale post plurima etiam adæquata merita, statim conuertitur, sed ad totidem scilicet graduum gratiam dispositus,

& reparatus, & in ea moritur: ergò Paulinus aliquid amplius ad præmium substantiale pertinens ob reparata merita sua obtinebit: ergò Paulinus intra latitudinem gradus correspondentem gratiæ quatuor graduum habebit præmium amplius: ergò singula eius merita viuificata intra prædictum gradum præmiabuntur secundùm totā suam latitudinem. Antecedens ipsa prima apprehensione videtur esse per se notū, cū iste merita plurima, & grādia habeat, ille nulla. Explicatur nihilominus: Paulinus præter quatuor illos gradus gratiæ, cui debetur correspondens gloria, habet plura merita propria, distincta, vitam æternam tribuentia, quibus Martinus caret: ergò ampliorem ei æternam vitam tribuunt; (neque enim reuixissent, si vitam æternam non tribuerent:) ergò quoad substantiale præmium non sunt æquales omninò.

Prima consequentia probatur. Primò. Quia etsi haberet quid amplius, quod ad substantiale præmiū non pertineret, iam non essent quoad præmium substantiale inæquales. Præterea secundò iam sæpè reuiuiscentia meritorum, diffinita est esse restitutio in eum valorem, vt tribuant vitam æternam, quam tribuebant antè lapsum in mortale: ergò, vt tribuant substantialis gloriæ præmium.

Secunda consequentia probatur, quia vltra gradum correspondentem gratiæ quatuor graduum, tribuere non possunt: ergò gloriæ præmium, quod tribuunt Paulino supra Martinum, intra illum gradum continetur.

Tertia consequentia, duas habet partes, & singula tribuere; & secundùm totam suam latitudinem probantur ambæ. Quia non est maior ratio, cur vnum meritum potius tribuat hoc præmium, quàm alterum: neque cur secundùm vnam partem latitudinis potius, verbi gratia, dimidiam, vel tertiam, aut quamlibet aliam, quàm secundum totum. Gratiæ enim reparatæ gradus limitat ad certum gradum gloriæ: non limitat autem ad mensuram, determinatamq; latitudinē intra illum gradū, vt dictū est.

Dicesnè differre penes amplius gaudere de operibus, aut penès habere præmium pluribus titulis? Sed hæc ad ad accidentale pertinent gaudium. Prius autem est gaudium

dium de Deo magis viso intra gradum illum: quo cùm stat accidentale gaudium maius de operibus in maiori gratia factis, quàm de alijs factis in hac reparata minore. Hoc posterius accidentale S. Doct. expressit in illa responsione ad tertium, quæst. 89. 5. sed illud prius non negauit.

Ex his patet adinuentionem subtilem quidem esse, non autem solidam, dicentium merita reparata resurgentis ad quatuor gradus gratiæ à lapsu à decimo gradu charitatis accipere singula dignitatem, & quantitatem, vt quatuor, cùm prius habuissent dignitatem, vt decem, (supponimus siquidem fuisse priori gratiæ adæquata) ideòquè sicut si in his decem gradibus fuisset mortuus cũ 100. actibus obtinuisset centies decem, idest mille gloriæ gradus, ita moriens in his quatuor gradibus obtinebit gradus gloriæ quadringentos.

Contra quam arguitur hoc pacto.

Primò. Homini huic reparato ad quatuor hoscè gratiæ cùm centum meritis illis debentur per te 400 gradus gloriæ: ergò gradus gloriæ substantialis, non commensurantur gradibus charitatis viæ. Contra expressam sententiam S. Thomæ 3. 89. 5. 3. & expressiorem, 4. 49. 1. 4. 4. 2.

Notanter dixi non commensurari gradibus charitatis, vt excludatur subterfugium distinctionis, qua charitas dicitur esse maior secundùm esse meritorium, & morale, licet non sit maior secundùm substantiam habitus. Gradus enim charitatis, quibus commensurantur iuxta D. Thom. & veritatem gradus beatitudinis ad ipsam tantùm substantiam habitus pertinere valent.

Secundò. Nulla est ratio, cur merita huius reparata habeant valorem vt quatuor, singula singillatim; ergò hæc sententia vana est. Antecedens probatur. Quia vel habebunt hunc valorem ab antiqua gratia peccato amissa. Et tunc non est vlla ratio, cur non habeant totam latitudinem suam priorem. Vel habebunt à gratia ex reparatione habita. Et tunc arguitur primò actus valorem non habent, nisi ab eo, à quo procedunt. Secundò si vni post alterum hæc gratia adueniret, posset fingi ex ea

habere merita singula valorem. Nunc autem cùm adueniat omnibus simul sumptis, & præteritis, & peccato mortificatis, qua ratione potius tribuit singulis singillatim, & non potius vniuersis simul hunc valorem quatuor graduum?

Tertiò arguitur contra hoc membrum: ergò dignitas personæ seipsam multiplicat ad quadringentos gradus gloriæ immediatè; quod apertissimè falsum statim apparet. Probatur consequentia. Quia nullum ex ea opus procedit vndè nascantur hi quandringenti gradus, aut ascensus ad illos.

Quartò. Si Petrus cecidisset à decima gratia cùm mille actibus remissis, vt vnum, & consequenter, a merito præmij mille graduum, & reparetur ad gratiam, vt quatuor graduum iam ex imperfecta hac conuersione, & gratia reparata per te merita reuiuiscunt ad valorem gratiæ, vt quatuor, & consequenter ad meritum præmij quatuor millium graduum: ergò ex imperfecta conuersione ista efficitur melioris conditionis, quam esset antea; quod apertissimè patet absurdum esse.

Vel tertiò procedit à priore amissa gratia, vt à principio efficiente valorem, à dignitateque personæ ex gratia reparata, vt à modificante. Non valet. Nàm principium modificatiuum oportet esse instrumentum eius, quod modificatur, vt patet in omnibus causis efficientibus naturalibus; non habent autem rationem instrumenti, & principalis gratia olim amissa, & modò reparata inter se.

Vel quartò. Id habent à gratia olim amissa, vt à principio actiuo (cuius tamen virtus in Dei acceptatione continetur) & à subiecto limitatè, ad quartum scilicet gradum ex gratia reparata determinato, vt receptiuo: quæ certè vltima euasio esse potest. At contra hoc est. Primò. Quia non videtur posse vlla ratione persuaderi, singula, scilicet merita restringi ad valorem, vt quatuor singillatim sumpta; & non potius omnia simul collecta. Eadem enim ratio de his olim præteritis, mortificatisquè meritis simul sumptis est, & de singulis seorsim consideratis.

Et

Et consequenter non potest solidè affirmari ascensurum hunc in quatuor gradibus reparatæ gratiæ mortuum ad substantialis gloriæ gradus quadringentos. In rebus autẽ adeò arduis voluntariè loqui, vana quædam diuinatio censeri potest.

Secundò. Cùm Petrus ante lapsum potuerit habere merita remissiora puta vnius, vel duorum graduum; quæro ista reparanturnè ad quartum gradum iuxta gratiam reparatam, an non? Si concedas; ergò ex imperfecta reparatione consequuntur longè meliorem conditionem: quod est inconueniens: si negas; ergò dignitas hæc personæ modificans nihil operatur, sed tota vis horum meritorum est à gratia præcedente, modificatio, verò est à gratia reparata: quæ non modificat latitudinem actus præteriti (cùm eius non sit principium,) sed modificat solum gradum gloriæ, & intra illum gradum permittit merita mortificata prius, & post reparata vim exercere secundùm totam latitudinem, quàm prius ex gratia habuere, à qua prodierant. Consequentia probatur. Quia si dignitas personæ per se quippiam operaretur, in omnibus actibus idem omninò poneret.

Tertiò principaliter arguitur. Non possunt aliqua esse sibi mutuò causæ (saltem immediatę) in eodem genere causæ. At per hunc opinantem singula merita, vt quatuor & omnia simul efficiuntur digna, vt quadringenties ex dignitate personæ. Ergò non potest homo iste reparatus in quarto gradu effici dignus ex illis meritis, vt quadringenties.

Conclusio vigesima. Præmium substantialis gloriæ, & eius augmentum cadit sub merito omnium actuum ex charitate prodeuntium simpliciter, & absolutè. Attamen augmentum graduale ipsius pręmij non simpliciter, & absolutę cadit sub merito omnium actuum eiusdem charitatis; sed solum actuum intensiorum.

Prima pars Conclusionis probata fuit supra Conclusione prima, secunda, & tertia. Nec oportet vltrà addere. Nisi vt videas D. Thom. 1. sen. 17. 2. 3. 2. & 2. sen. 27. p. 5. per totum.

Secunda pars probatur. Augmentum enim graduale gloriæ attenditur secundùm augmentum gratiæ, & charitatis in hac via, vt dictum est Conclusione 16. at augmentum charitatis in hac via cadit sub merito actuum remissorum, & adæquatorum conditionatè, non simpliciter, vt dictum est Conclusione octaua, & declaratum est quintædecimæ Conclusionis ratione quinta: ergò. Ex hac Conclusione infero.

Corolarium. Etsi actus remissi, & adæquati charitati non premientur gradu nouo substantialis vitæ, non tamen dici possunt frustrari suo fine.

Ratio est (Etiam comparatione huius gradus) Quia nihil potest dici esse frustra, si non obtineat id, ad quod ordinatur, vt ad finem obtinendum sub certa conditione; quando conditio illa non aduenit necessariò requisita: Actus autem remissi, & adæquati, vt hunc finem gradus gloriæ obtineant, ita ordinati sunt, vt exigatur conditio actus intensioris, vt dictum est: ergò, &c.

Et ex hoc.

Nota cur hoc præmium gradus noui dicatur cadere sub merito conditionali, & secundum modum, naturáq; & conditiones dispositionis, præmium autem gloriæ substantialis non item, sed absoluté, licet ad illud obtinendum conditio quædam exigatur, scilicet obitus hominis in gratia. Nam actionis intensioris conditio est in nostra potestate, & à nobis: at obitus in gratia non est actio nostra, aut in potestate nostra. Quæ deseruient ad fundamenti ab initio positi declarationem SED iam tempus est, vt initio posita argumenta pro aliorum sententijs, quatenus aduersantur huic nostræ soluamus. Quod tertia pars est relectionis huius ab initio ipso proposita.

Ad primum, pro primo dicto. Primæ sententiæ non aliud est dicendum, quia id concludit de præmio gloriæ substantialis, in quo conuenimus omnes. Licet distinguendo dici possit, mereri nos quolibet actu charitatis vitæ æternæ præmium, vel graduale, vel intra eundem gradum. Similiter augmentum charitatis, vel vt beatitudinis perfectio saltem, si non, vt est primum merendi prin

cipium

cipium: Quo etiam modo meremur quolibet actu charitatis augmentum, vel absolutè, vel sub conditione: Et merito, quod statim consequatur præmium, vel quod non statim, &c.

Ad secundum respondetur. Antecedens intelligendum de merito augmēti iustitiæ, ad quod ipsum meritū statim consequatur, alioquin consequentia non valeret. In quo sensu illud antecedens negatur. Verba autem Concilij, quibus probari dicitur, non necessariò de tali merito augmenti loquuntur, vt dictum est supra, & dicetur adhuc inferius.

Ad tertium. Dato antecedente, (quod loquitur de peccato, quod est actio absolutè, simpliciterquè ad pœnam condemnans) consequentia conceditur de merito simpliciter, & absoluto, quale est augmentum gloriæ intra latitudinē saltem eiusdem gradus: & augmentū charitatis, vt perfectio beatitudinis. Non autem valet consequentia de quolibet actu respectu vel gradus beatitudinis, vel charitatis in hac vita. Quia actus remissi charitatis sumptæ tanquàm primum merendi principium augmentum non simpliciter, & absolutè merentur, sed sub conditione.

Ad quartum. Vbi de hoc argumento charitatis agitur: Respondetur ex antecedente vero, (quod inducit actum intensiorem simpliciter absolutè comparantem meritum huius augmenti) inferri falsam consequentiam, in qua agitur de actu adæquato charitati. Ad probationem respondetur, negando assumptum, tùm primò, quia meretur, (licet non eodem modo, simpliciter scilicet, & absolutè) altiorem adhuc gradum gratiæ: & tùm secundò, quia intra latitudinem præmij acquisiti (gradus inquam gloriæ eiusdem) auget gloriam reddendam tempore suo.

Ad quintum respondetur. Omni actu charitatis meremur augmentum substantialis gloriæ, imò & charitatis, ut perfectio beatitudinis est; simpliciter, & absolutè, vti declaratum est; Ex quo inconuenientia manifestè excluduntur in argumento, & confirmatione illata. Quòd si addas etiam augmentum noui gradus, & gloriæ, & gra-

tiæ quolibet actu nos mereri, sed modo cuilibet proprio, intelliges eadem incóuenientia excludi apertissimè. Nam & meritum asserimus, & progressum insti in via Dei (siquidem 22. 24.6.3. expresse docet Sanctus Thomas, eos etiam progredi in via Dei, qui disponunt se ad maioris charitatis consecutionem.) Et maximos addimus stimulos pijs viris ad operandum non solum benè, ex continuo merito prædictorum augmentorum, sed etiam ad sollicitè, ardenterquè operandum; quia licet adæquata, imò & remissa opera charitatis nouo semper præmio remunerentur; solis tamen intensioribus, & gratiæ, & gloriæ gradum nouum conscendimus.

Ex quo videre potes, quàm accommodatè nostræ huic sententiæ vniuersa consonent.

Ad primum, pro secundo dicto respondetur, distinguendo antecedens; Post remissum charitatis actum homo est acceptus ad maiorem gloriam substantialem gradualem, & negatur; intra latitudinem eiusdem gradus, & hoc modo conceditur. Nec Scripturæ promittentes operi bono gloriam hanc distinctionem excludunt. Vnde consequentia non valet. Et ad probationem respondetur ex dictis. Gratia formalis sit acceptatio ad gloriã; tamen in eodem gradu charitatis, & gratiæ, & luminis etiam gloriæ constituti ob variam operum multitudinem, remissiorem, vel intensiorem possunt inæquales esse in gloria; vt qui adæquatè operatur, in eo gradu gloriæ plus remuneretur, quàm alius, qui operatus est remisse tantum.

Ad secundum. Antecedens distinguitur; Augmentum gloriæ, quoad nouum maiorẽ gradum non pendet ex actu intensiore; falsum est; At quoad magnitudinem intra gradum eundem conceditur, vt verum. Scripturæ verò promittentes omni operi gloriam intelligendæ sunt absolutæ: non quoad gradum nouum. Ex augmento autem gloriæ absolutè non infertur (vti volebat probatio antecedentis) nouus gratiæ gradus: sed ex augmento graduali gloriæ. Quoad gradus enim illa tria gratia, charitas, gloria, (addo etiam quartum lumen gloriæ) æquis

passibus,

passibus currunt. Tamen (vt dictum est) intra eundem gradum frequentius, adęquatè, continuatius operans plus gloriæ obtinebit, quàm qui rariùs, remissiùs, breuiùs.

Ad tertium distinguo antececedens. Abundans pluribus meritis est melior, secundum habitualem bonitatem, negatur: secundùm actualem, conceditur, sed consequentia non valet, vt paulò antè dictum est. Ad probationem Antecedentis in sensu, quo negatur, respondetur ex dictis. Maiorem gradualiter gloriam vult illi Deus; falsum est;& ex hoc teneret consequentia, quæ infertur: at consequentia nulla est, si Deus illi gloriam maiorem intra eundem gradum vult, quomodò conceditur assumptum antecedens. Ad probationem verò primæ consequentiæ, respondetur antecedente concesso, consequens distinguẽdũ; ergò quò melior habitualiter, eò maiorẽ gratiã, &c. verum; sed non est ad propositum, remissè enim operans non est habitualiter melior, sed actualiter. Amoris siquidem diuini erga nos non habitus solum, sed & opera ex eis prodeuntia effectus sunt. Si verò dicas, ergò quò melior quouis modo, etiam actualiter, eò maiorem habet charitatem, falsum est.

Ad quartum. Negatur antecedens intellectum de augmento charitatis, vt primum merendi principium. Ad primam probationem. Respondetur, augmentum charitatis vt perfectio beatitudinis, est merces cadens absolutè, & simpliciter sub merito; at quandò charitas consideratur, estquè primum principium merendi, non est merces cadens sub merito absolutè, & simpliciter, imò potius sub conditione. Et ideò nisi adueniat conditio requisita, non ei debetur à Deo tale augmentum.

Ad secundam probationem. Negatur minor. Ad cuius primam probationem. Negatur assumptum. Concilium enim Trident. ea tantùm decuit suis dogmatibus docere, quæ contra hæreses necessariò credenda, agendauè essent. An actus intensior conditio requisita necessariò, sit, vel non sit, non tractabatur ab vlla hæresi. Scripturæ similiter de ijs sollicitæ sunt, quæ pertinent ad fidem, salutemquè

temquè nostrum, has autem subtilitates deridere facilius possunt, ac solent. Ad secundam eiusdem minoris probationem. Maior negatur absolutè. Et est in promptu apud omnes Doctores instantia efficacissima. Concurrit enim hominis actus liber ad primam iustificationem post lapsum suum. Et tamen nequè effectiuè concurrit ad gratiam producendam, nequè ad hominem seipsum scilicet gratum. Ad huius maioris verò probationem. Respondetur; dato antecedente, consequentia non infertur benè, scilicet ergò dispositio concurrit vt actio, qua disponens efficit, hoc enim non est necessarium; sed debet inferri, ergò dispositio concurrit, vt actio, vel qua disponens efficit, vel quam disponens efficit. Sunt enim quædam actiones, quæ non ponunt effectum à se distinctum. Vndè cum homo sese (Deo excitante) disponit ad gratiam, non tamen sua dispositione efficit, vel hoc tertium hominem gratum, vel ipsam gratiam. Ad tertiam eiusdem minoris probationem negatur minor. Ad cuius probationem respondetur vno præmisso. Augmentum charitatis (cùm fiat ex speciali Dei auxilio tùm iustum eleuante, vt possit operari intensiùs, quàm sit gradus ille charitatis, in quo actualiter constitutus est, tùm etiam specialiter mouente efficaciter, ac dirigente in altiorem gradum charitatis) referri in Deum, vt principalem, & primam causam, imò & proximam in genere causæ efficientis; dispositio autem nostri actus dicitur non concurrere in genere efficientis causæ, comparatione gratiæ, sed concurrere in genere causæ dispositiuæ, & meritoriæ, seu mauis dicere in genere meriti dispositorij: quo homo habilior redditur ad hoc, vt à Spiritu sancto mobilis sit. Et ideò nequè eius meritum ad certum gradum præfigitur, nequè item eius dispositio respectu gratiæ, & charitatis: sed sub illius speciali auxilio, & directione, qui gratiam augebit effectiuè excitando, & efficaciter mouendo ad actum intensiorem magis, aut minus secundùm mensuram donationis Christi, & beneplacitum voluntatis suæ. Cumquè in his actibus remissis, & adæquatis respectu præmij substantialis, quod per se primò respi-

respiciunt, certum sit, statumquè pondus, mensuraquè, quam ex natura sua intendunt: non est inconueniens, si quoad accessorium, & accidentale, ad quod nonnisi speciali Dei agentis principalis directione respiciunt, & secundariò, non sub aliqua certa mensura tendant; præsertim cũ hoc meritum dispositionis naturam, modumquè, ac conditionem imbibat; & consequenter, nec alium terminum, nec alio modo debeat opus remissum, vel adæquatum habere, nisi eum, quem habet opus intensius; cui comparantur, vt dispositioni proximæ remota, remotioruè dispositio. His præmissis respondetur in forma. Concedo hoc Antecedens actus remissus habet rationem vtilis dispositionis remotæ; sed nego consequentiam. Nam remotæ dispositionis nullus certus gradus respondebit. Ad consequentiæ probationem respondetur. In hac dispositione duo agentia concurrere: Primò. Deum, qui intendit huiusmodi dispositionibus remotis, & proximis vario modo, pro sua libera voluntate, disponere, & eleuare hominem ad filiationis nobiliorem rationem. Et iste disponens, ac dispositio habet certum finem, illum scilicet, quem actu intensiore adueniente consequimur: secundò liberum arbitrium hominis; qui certum finem habet in hac actione, (qua scilicet etiam se meritoriè disponit ad augmentum gratiæ,) quem respicit per se primò. Et iste est certa mensura gloriæ intra latitudinem illius gradus, qui correspondet gradui gratiæ, in quo homo reperitur; At respectu alterius præmij, quasi accidentaliter, & secundariò considerati non oportet eum habere certum particularem finem, mensuramquè determinatam. Quia non illud absolutè, & simpliciter meretur, nequè ad illud proximè, sed remotè disponit, & meretur sub conditione, modo, naturaquè dispositionis remotæ: Cuius non certus, & præfixus terminus est; sed ille idem, qui proximæ futurus est, quicunquè ille sit. Et diligenter nota hanc responsionem: quia à laqueo venantium sola fortè te liberabit.

Ad Confirmationem respondeo Vnum prænotans adhùc meditatissimè ponderandum. Hoc gratiæ augmen-

tum

tum duobus modis contingere de facto. Primò, vt sortiatur effectum secum perducendo ad præmium sibi correspondens, & tunc effectus est diuinæ prædestinationis; cuius est ad finem destinatum, certumquè certis medijs suauissimo modo deducere. Alio modo sine eo, quod suum finem sortiatur, vt in reprobatis eorum culpa contingit, qui post adeptam gratiam, & multos aliquandò, magnosquè progressus ab ea cadunt, vel ad meliora inuitati torpent, ac tepidi effecti, nec ad maiora argumenta perueniunt, nec in adepta gratia perseuerant. In primis dispositiones humanæ tàm ad primam gratiam, quàm ad maiorem motiones sunt prædestinationis æternæ, quæ non fallitur; quæ vnicuiquè etiam minimo actui ita prouidit euentum intentum, vt & mensuram, & modum, & vniuersa statuerit, salua, imò corroborata semper liberi arbitrij nostri libertate, ab ea efficaciter ad prædicta moti, atquè directi. Et sic Petro statutum est dari auxilium efficax mouens eum ad actum valdè intensiorem suo decimo gradu gratiæ, puta, vt in argumento ponitur ad 30. videlicet, vt obtineat gratiam, vt 30. & gloriam in 30. similiter gradu, disponendo eum per actus remissiores. Andreæ verò aliter, vti ponitur scilicet in confirmatione. Et tunc actus illi remissi efficiuntur ab eis, vt dispositiones meritoriæ, vt dictum est, duorum præmiorum, scilicet substantialis quidem gloriæ in gradu præexistentis gratiæ simpliciter, & absolutè; augmenti verò gratiæ, sub ratione, & conditione dispositionis remotæ infallibiliter à diuina prædestinatione directæ in finem ab ea intentum. Et consequenter non sunt hi actus considerandi quam, vel quantam vim disponendi habeât ex natura sua, aut etiam ex natura gratiæ, & charitatis. (Nam hoc modo solum respicerent per se primo, gloriam substantialem.) Sed quantam vim habeant, vt stant sub auxilio efficaci prædestinationis diuinæ per hæc media dirigẽtis in statutum à se determinatum finem: Et hoc modo actus remissi in Petro disponunt ex diuina prædestinatione statuente ei dare actum illum intensiorem, vt 30. ad augmentum maius; actus autem Andreæ adæqua-

adæquati eum simili modo disponunt ad augmentum minus, de quo in confirmatione. Vtriusquè enim actus illi ea solum ratione disponunt, quia faciunt operantes promptè mobiles à Spiritu sancto. Vt autem appareat omne nostrum bonum in nobis à Deo esse, & nihil esse in nobis ex nobis boni, ita placitum est antè eum, altius extollere Paulum spirantem neces Christianorum, & similiter Petrum in confirmatione adductum supra Andreā, & eorum actibus remissioribus, aut paucioribus vti quasi dispositionibus ad tantæ, vel maioris gratiæ infusionem? Et ita fit, vt placuit illi; suauissimo modo, vt dictum est, conseruata, & confirmata libertate voluntatis humanæ. At verò in secundis, idest reprobis, actus illi non sunt effectus diuinæ prædestinationis, nec sub illa subordinati, aut eius vsui (vt ita dixerim) subiecti, aut ab illa directi, consequerentur enim infallibiliter intentum finem, cum intentio Dei frustrari nullo modo possint; sed subsunt ordini diuinæ prouidentiæ generalis cuiusdam. In quali gradu ponuntur omnes actus remissi, qui ad nullum promeritum gradum maiorem gratiæ perueniunt, secundùm quòd ita comparantur ad hunc gradum: licet si saluatur homo, isti ijdem eius actus ad prædestinationem pertineant, quoad consecutionem gloriæ substantialis; modo dicto superius, idest, intra latitudinem gradus gloriæ correspondentis gratiæ, à qua facti sunt, vel gratiæ, in qua reparati moriuntur: si ad minorem reparati in ea moriantur. Ex quibus respondetur in forma confirmationi. Concesso casu actuum remissiorum Petri, & adæquatorum Andreæ cum euentibus illis adductis: distinguo consequens: ergò illi actus sunt omninò superuacanei, seu inutiles, quoad rationem disponendi secundum suam naturam absolutè, & simpliciter sumpti, & de hoc modò non curo, Transeat; Sed non est in hoc sensu ad propositum. Et hic est primus intellectus huius consequentis. Secundus, Intellectus est, ergò isti horum duorum actus, vt stant sub directione diuinæ prædestinationis sunt inutiles, seu superuacanei; & tunc falsum est consequens, & consequentia nulla.

Ad

Ad quintum quod valdè difficile videtur, Respondetur in forma negando maiorem conditionalem. Ad cuius probationem benè responsum est. Ad impugnationem verò responsionis primam Respondetur, Prænotando ex olim dictis, alio modo vendicare sibi præmium propriũ opus meritorium absolutè, & aliter opus meritorium ad naturam, modum, conditionemquè dispositionis remotæ, & proximæ institutum. Nam illud primum non expectat conditionem alterius operis, non præmiatur secundum quandam latitudinis partem, vel actus alterius, vel sui ipsius, sed secundùm totam latitudinem propriam. siuè sequatur, siuè non sequatur aliud vllum opus meritorium. At illud secundum non ita; imò si sit meritorium, vt dispositio proxima; præmium, quod illi reddendum est, non totam latitudinem operis adæquat, sed illam tantum partem, secundùm quam excedit charitatẽ ei præexistentem; si verò sit meritorium opus, vt dispositio remota; tunc & expectat proximam dispositionem, & illud idem præmium sibi vendicat, & non aliud, secundùm, scilicet, quòd consideratur, vt meritum dispositorium. Quod dicitur ea ratione, quia in ordine ad aliud præmium, ad quod non comparatur sub ratione dispositorij, sed absolutè, potest, & proprium meritum sibi debitum facere distinctum à præmio cuiusuis alterius operis; & secundùm totam suam latitudinem: quo modo cõparantur actus ex charitate facti ad præmium æternæ vitæ: cùm tamen ijdem remissi actus, vel adæquati, imò & intensiores ad augmentum charitatis comparentur, vt actus dispositorij meritoriè, seu meritorij dispositoriè. Quibus positis, Detur absolutè maior in impugnatione responsionis assumpta, & absolutènegatur minor.

Ad probationem minoris concesso assumpto consequẽtia negatur. Iam enim declaratum est respectu huius premij idem esse præmium proprium meriti dispositorij remissi, & meriti dispositorij intensioris, sicut dispositionis remotæ, & proximæ, est idẽ proprius vtriusq; terminus.

Ad secundum. Impugnationem paucis respondetur ex dictis; procedere de merito, & præmio absoluto: In huiusmo-

iusmodi enim verissimè dicitur, præmium exigens duplex meritum neutri esse proportionatum: at modò agitur de merito dispositorio ad præmium sub ratione dispositorij, remotè, ac proximè. In his enim apud omnes rectè sentientes debet vnum, & idem esse præmium. Alioquin, nō esset alterum remotè, alterum proximè dispositorium, sed æquè ambo proximè meritoriè disponerent.

Ad confirmationem, quæ se terribilem offert. Respondetur distinguendo consequens, ergò actus remissi, & adęquati non possunt illud augmenti præmium mereri vllo modo, & hoc modo falsum quidem est, essetque contra Concilij diffinitionem; non possunt illud mereri simpliciter, & absolutè, sed sub conditione, quemadmodum naturæ conuenit meriti dispositorij remotè; Et hoc modò verum est consequens; nec aliquid sequitur contra determinationem Concilij. Declaratum autem frequenter est, quomodò idem possit esse præmium isto modo exigens præter actum disponentem meritoriè remotè, alium nobiliorem actum excedentem tamquàm proximè meritoriè disponentem.

Ad sextum. Patet ex dictis, Petrum habiturum maiorem gloriam substantialem intra limites gratiæ correspondentis quartò gradui charitatis, & gratiæ, ex eodem lumine gloriæ similiter illi gradui quarto correspondente, & diuina essentia intra gradum illum sese magis ostendente pro varia ratione meritorum. Gloria enim gratia, gloriæ, lumen, charitas, æquis gradiuntur passibus, quoad habitualem, & gradualem magnitudinem, &c.

Quo cum stat, nihilominus in eodem gradu gloriæ positos ex æquali gratia iuxta varietatem plurium, ac maiorum operum æquali lumine melius Deum in seipso intra eundem gradum tamen substantialis visionis intueri, & ex ęquali charitate magis eodem viso Deo frui, & gaudere vnum præ altero: Vt gradus, scilicet lucis adæquare possit totam latitudinem prædictæ visionis, & gradus charitatis totam latitudinem correspondentis fruitionis, & gaudij ex ampliori concursu diuinæ essentiæ ad huiusmodi actus in ratione formalis principij concurrentis:

quæ

quæ iuxta actuum pluralitatem, ac perfectionem maiorem magis, ampliorique modo concurrit intra tamen eandem latitudinem gradus.

Quòd verò communiter dicitur, quò plus homo videbit, & consequẽter erit beatior eò plus habiturus est charitatis, & luminis, glossatur, (& ex D. Thom. 4. senten. loco citato supra frequenter) quò plus videbit, &c. Ascendendo scilicet ad nouum gradum. Siquidem mansiones in patria, quæ huiusmodi visionis excessum important, attenduntur secundùm gradus charitatis in via, actibus scilicet intensioribus acquisitos, seu promeritos; quod est valdè notandum.

Ad primum argumentum pro tertio dicto huius primæ sententiæ. Respondetur negando antecedens. Ad probationem respondetur. Non reperiri in Scriptura vllam Dei promissionem de augmento charitatis factam absolutè, pro operibus bonis ex charitate: sed omnes intelliguntur de opere tali, & præmio substantiali æternæ gloriæ.

Ad secundùm. Intensio actus potest esse multiplex prima ex charitate vt sic, altera ex alijs radicibus, & causis subministrantibus charitati, vt contingit inter comites itinerum, commilitones, parentes, & filios, & similes. Si maior intensio sit actus primo modo non potest ei coniungi minus meritum substantialis gloriæ. Vndè hoc præmio multi Confessores, & Virgines magis præmiabuntur, quàm multi Martyres. Si autem sit ex alijs quibusuis causis, conceditur antecedens; sed negatur consequentia, quoad primam partem. Intensio enim maius exigens præmium nobis est ea solum, quæ est intensio actus ex charitate formaliter, ac solum. Quia præmij substantialis mensura secundùm charitatis gradus in hac vita in patria crescit, non aliter.

Ad tertium respondetur. Distinguendo antecedens. Primò. Gloria quoad actualem absolutè visionem est merces reddita operi ad operis pondus, detur, vt verum; ex quo sequitur prima consequentia veri consequentis. At non secunda, vt declaratum est. Quia æquales in gradu

gradu

gradu gloriæ substantialis, & in gradu charitatis, & gratiæ possunt esse inæquales intra latitudinem gradus illius gloriæ, & gratiæ, & charitatis quoad maiorem visionem actualem beatificam. Secundò. Gloria quoad gradum substantialis gloriæ est merces ad pondus operi reddita; & hoc modo negatur antecedens; imò redditur vt merces actui, non cuicunquè, sed actui maioris gratiæ, & ipsi gratiæ per actum talem adauctæ.

Ad quartum argumentum. Antecedens est falsum. Sed persequi modo singillatim responsiones allatas ad argumenta olim iam facta contra eam operosius, ac nimis longum esset. Itaquè ad prudentem vestram examinationem Auditores omni genere scientiarum perillustres hanc totam partem remittimus. Spero tamen certè non mediocrem vim inuenturos vos esse in ijs, quæ ad tantæ veritatis indagationem adiecimus Scitum autem est illud proloquium; non esse æqualiter in omnibus acribologiam mathematicam expetendam. Sed quo pertineat ad argumenta, quæ pro prima sententia allata sunt diluẽda, quatenus nostram oppugnant, satis, superquè dictum videtur. In secunda sentẽtia nullum est argumentum ferè quod nostram sententiam impugnet; nisi quod in quarta propositione affirmatur non esse præmium secundùm rem formaliter nouum retribuendum remissis, & adæquatis actibus, sed antiquum tantum, nouo tamen titulo. Quæ nos reiecimus Conclusione secunda, & sexta. Et profectò rationes, quæ ad secundam partem quartæ propositionis sententiæ, Bagnes afferuntur, adeò sunt euidenter inualidæ, vt eis singillatim satisfacere coram viris tanta doctrina, & solertia præditis non solum superuacaneum sit, sed eis ferè iniurium. Hoc tamen licebit aduertere ex duplici illo modo præmiandi opera charitatis, intra scilicet latitudinem eiusdem gradus gloriæ substantialis, vel nouo gradu maiore beatitudinis, & argumentis pro sententia Bagnes allatis, & contra eam adductis facillimè, suauissimèquè satisfieri, nec opus esse tàm multis. Ideò transeamus ad alia.

Ad argumentum pro primo dicto sentẽtiæ tertiæ, qua-

tenus contra nos afferri potest. Respondetur. Aliud (iuxta dicta in fundamento praiacto à principio) esse dicendum de præmio substantialis gloriæ, aliud de præmio augmenti gratiæ; Cui tamen adiunxerim etiam premium gloriæ substantialis, quod debetur huic augmento gratiæ, seu gratiæ auctæ. Primum cadit sub merito simpliciter, & absolutè; ex quo conficitur, hoc argumentum nostram quintam Conclusionem probare.

Sed si quis contendat tertium etiam illud præmium (quod substantialis gloriæ est) Conclusione decima actui intensiori assignatum debere esse secundùm totam latitudinem actus, hoc argumentum non euincet intentum. Cum enim hoc præmium detur ratione auctæ gratiæ, non debet respondere latitudini actus, sed latitudini augmenti gratiæ, quod non fit, nisi secundùm totam illam magnitudinem, secundùm quam excedit gratiam præexistentem. Vndè & primo merito intensioris actus præmium datur, vt argumentum assumit in illa decima nostra Conclusione, & præterea tertio merito redditur præmium proportionale merito dispositorio ad formæ augmentum, & consequenter ad præmium talis formæ auctæ, secundùm quòd aucta est supra gradum eius præexistentem. Et sic omnia concinnissimè consonant.

Ad confirmationem respondeat Bagnes.

Ad primùm pro secundo dicto, & ad confirmationem simul, concedimus Concilium tractare de augmento substantiæ habitus: sed nego consequentiam. Quamuis enim in eodem contextu loquatur de mercede æternæ gloriæ substantialis, eiusquè augmento, & de augmento gratię, & charitatis; non tamen in eodem sensu necessariò de omnibus quoad omnia: Satis est, si circa ea, de quibus contra Hæreticos disputatur. Horum siquidem iudicium, sententiaquè definiens in Concilio, & quæritur, & redditur. An verò respectu æternæ gloriæ merita nostra absolutè, simpliciterquè habeant meriti rationem, vel aliquandò meriti dispositorij, similiter an respectu gratiæ, & charitatis sint merita dispositoria modum, conditiones, naturamquè dispositionis imbibentia, & eo modo

modo proportionaliter remuneranda, Concertationes sunt inter Catholicos Doctores; de quibus nihil diffinit Concilium: cui sufficit diffinire contra Hæreticos: Iustum quolibet opere ex charitate facto mereri gloriam, gratiam, consecutionem gratiæ, & augmentum gratiæ, & gloriæ, quocunquè tandem modo id fiat.

Hic postremò nota duo. Primum. Non tanti facienda fuisse verba illa Concilij Tridentini, Sess.6. cap.16. videlicet. Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus illis operibus, quæ in Deo sunt facta diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam ęternam suo tempore (si tamen in gratia decesserint) verè promeruisse censeantur; vt ex istis? secunda sententia grauiori nota inuri debere quidam scripserint: quæ nostræ sententiæ tamen longè minus aduersantur. Nam ex eis non potest inferri quippiam ad maioris gratiæ, vel charitatis augmentum graduale, imò neque gloriæ: Cùm iustificatio maior habeatur, dum frequentius, & adæquatè quis operatur; nedum, vt satisfaciat diuinæ legi; quæ nullibi præcipit supra inexistentem charitatem intensius operari; & quolibet opere eius ad gloriam, consequendam suo tempore tamen, verissimè comparetur; Imò nos nouum quoquè, maiusquè præmium gloriæ substantialis asseramus.

Secundum est. Similiter neque verba Can. 32. dicentis Anathema neganti per opera facta per gratiam Dei, meritum Christi à viuo eius membro mereri augmẽtum gratiæ, æternam vitam, & ipsius æternæ vitæ consecutionem, atquè etiam gloriæ augmentum; vllo modo esse contraria nostræ sententiæ: quæ non negat, semper etiã, augmentum gloriæ substantialis simpliciter actibus bonis remissioribus, & adæquatis; neque meritum etiam augmenti charitatis, vt beatitudinis perfectio est absolutè, & simpliciter, sed nec meritum etiam eiusdem, vt est principium operis meritorij, & consequenter secundùm ipsam substantiam habitus charitatis, & gratiæ; sed hoc meritum dicit esse conditionale: vndè non oportet infal-

libiliter semper obtineri. Quocirca licet Concilium dixerit verè promeruisse, & gloriam, & gloriæ consecutionem, non dixit tamen promeruisse augmenti consecutionem. Hoc ipso significante Spiritu sancto; aliter sub merito cadere gloriam, scilicet simpliciter, & absolutè, & consequenter etiam suo tempore eius consecutionem, infallibiliter, etiam quo ad eius augmentum; Aliter verò gratiæ augmentum, scilicet sub modificatione ad naturam, modum, & conditiones dispositorij; & consequenter non infallibiliter obtinendum, sed conditione (vt aiunt) purificata, quæ sunt à nobis in fundamento primùm constituto dicta diffusius. Quarè inaniter adducta videtur à quibusdam Academiæ illius Perillustriss. Salmanticensis Censura, quasi decernentis oppositum primæ opinionis parùm esse tutum in fide; quamuis hæc à nobis de nouo excogitata ad eam nondum peruenerint; cuius, & iudicium summa cum reuerentia, & humilitate præstolabimur.

Ad secundum glossatur prima propositio; Deus non negat mercedem operi debitam, eo modo, quo illi debetur, sed reddit. Et ideò operi etiam remisso reddit mercedem augmenti gratiæ; eo modo (glossetur) quo ei debetur; & adde tu etiam operi intensiori. At dispositorijs remotè, & proximè meritis vna, eademquè debetur merces, & proximè dispositorio non secundùm totam suam latitudinem, sed secundùm excessum supra præexistentem. Ergò argumentum reflectitur contra Auctoré suum.

Ad tertium respondetur. Recolendo maius præmium gloriæ duplex esse, intra latitudinem eiusdem gradus, & hęc maior gloria non exigit maiorem gradum habitus gratiæ, & charitatis; sed plures, & maiores operationes: & similiter nec lumen gloriæ maius: esto reddatur secundum totam latitudinem meriti. Itaquè ad consequentiæ probationem in forma respondetur. Maior secundum gradum nouum gloria (ecce glossam) supponit maius lumen, & charitatem maiorem similiter, non autem gloria maior intra latitudinem gradus eiusdem: ergò qui

mere-

meretur maiorē gloriā secūdùm gradū nouum, meretur, & obtinebit maiorem gratiam, lumen gloriæ, charitatem secundùm gradum: non tamen qui meretur gloriam maiorem intra latitudinem eiusdem gradus. Conceditur, & nihil facit contra sententiam nostram. Si quis verò ex dato maiori secundùm gradum merito gloriæ inferat; ergò tunc saltem augmentum gloriæ, vel gratiæ futurum secundùm totam latitudinem meriti; Consequentia negatur, & ratio reddita est, supra in responsione ad argumentum pro primo dicto.

Ad quartum. Responsum fuit: Ostendendo duplex impedimentum consecutionis meriti. Primum meriti absoluti, simpliciter; & hoc est peccatum, & de hoc intelligitur D. Thomæ assumpta propositio in, Sed contra illius 9. artic. quæst. 114. p. 2. Alterum meriti conditionalis, defectus scilicet conditionis requisitæ, etiam sine vllo peccato. Et hac ratione remissi actus charitatis carent præmio augmenti charitatis.

Ad ea, quæ pro tertio dicto afferuntur respondere non est opus. Fundantur enim in falso. Nam remissi, & adæquati charitatis actus præmium obtinebunt secundùm latitudinem totam suam intra latitudinem gradus, etsi nullus sequatur actus intensior; actus verò intensior non est remunerandus nouo gradu gloriæ iuxta latitudinem suam totam, sed nequè gratiæ, sed iuxta latitudinē excessus supra præexistentem charitatem. Vndè nec de fine vitæ, nec de primo ingressu patriæ oportet esse sollicitum.

Quæ verò respondet argumentis contra se allatis, ad nos non pertinent; alijs enim rationibus, & pluribus, & validioribus hanc adinuentionem oppugnauimus, atquè, vt spero, expugnauimus.

De quarto dicto similiter tàm multa, & tàm rationabilia verba, fecimus Conclusione 19. vt plura superaddere sit omninò superfluum.

AT VERO tandem. Defendenda sententia nostra est ab alijs argumentis; quæ licet plurima afferri possint, seligemus tamen aliqua, & validiora; & ex quibus dis-

libiliter semper obtineri. Quocirca licet Concilium dixerit verè promeruisse, & gloriam, & gloriæ consecutionem, non dixit tamen promeruisse augmenti consecutionem. Hoc ipso significante Spiritu sancto; aliter sub merito cadere gloriam, scilicet simpliciter, & absolutè, & consequenter etiam suo tempore eius consecutionem, infallibiliter, etiam quo ad eius augmentum; Aliter verò gratiæ augmentum, scilicet sub modificatione ad naturam, modum, & conditiones dispositorij; & consequenter non infallibiliter obtinendum, sed conditione (vt aiunt) purificata, quæ sunt à nobis in fundamento primùm constituto dicta diffusius. Quarè inaniter adducta videtur à quibusdam Academiæ illius Perillustriss. Salmanticensis Censura, quasi decernentis oppositum primæ opinionis parùm esse tutum in fide; quamuis hæc à nobis de nouo excogitata ad eam nondum peruenerint; cuius, & iudicium summa cum reuerentia, & humilitate præstolabimur.

Ad secundum glossatur prima propositio. Deus non negat mercedem operi debitam, eo modo, quo illi debetur, sed reddit. Et ideò operi etiam remisso reddit mercedem augmenti gratiæ; eo modo (glossetur) quo ei debetur; & adde tu etiam operi intensiori. At dispositorijs remotè, & proximè meritis vna, eademquè debetur merces, & proximè dispositorio non secundùm totam suam latitudinem, sed secundùm excessum supra præexistentem. Ergò argumentum reflectitur contra Auctorē suum.

Ad tertium respondetur. Recolendo maius præmium gloriæ duplex esse, intra latitudinem eiusdem gradus, & hęc maior gloria non exigit maiorem gradum habitus gratiæ, & charitatis; sed plures, & maiores operationes: & similiter nec lumen gloriæ maius: esto reddatur secundum totam latitudinem meriti. Itaquè ad consequentiæ probationem in forma respondetur. Maior secundum gradum nouum gloria (ecce glossam) supponit maius lumen, & charitatem maiorem similiter, non autem gloria maior intra latitudinem gradus eiusdem: ergò qui mere-

meretur maiorẽ gloriã secũdùm gradũ nouum, meretur, & obtinebit maiorem gratiam, lumen gloriæ, charitatem secundùm gradum: non tamen qui meretur gloriam maiorem intra latitudinem eiusdem gradus. Conceditur, & nihil facit contra sententiam nostram. Si quis verò ex dato maiori secundùm gradum merito gloriæ inferat; ergò tunc saltem augmentum gloriæ, vel gratiæ futurum secundùm totam latitudinem meriti; Consequentia negatur, & ratio reddita est, supra in responsione ad argumentum pro primo dicto.

Ad quartum. Responsum fuit: Ostendendo duplex impedimentum consecutionis meriti. Primum meriti absoluti, simpliciter; & hoc est peccatum, & de hoc intelligitur D. Thomæ assumpta propositio in, Sed contra illius 9. artic. quæst. 114. p. 2. Alterum meriti conditionalis, defectus scilicet conditionis requisitæ, etiam sine vllo peccato. Et hac ratione remissi actus charitatis carent præmio augmenti charitatis.

Ad ea, quæ pro tertio dicto afferuntur respondere non est opus. Fundantur enim in falso. Nam remissi, & adæquati charitatis actus præmium obtinebunt secundùm latitudinem totam suam intra latitudinem gradus, etsi nullus sequatur actus intensior; actus verò intensior non est remunerandus nouo gradu gloriæ iuxta latitudinem suam totam, sed nequè gratiæ, sed iuxta latitudinẽ excessus supra præexistentem charitatem. Vndè nec de fine vitæ, nec de primo ingressu patriæ oportet esse sollicitum.

Quæ verò respondet argumentis contra se allatis, ad nos non pertinent; alijs enim rationibus, & pluribus, & validioribus hanc adinuentionem oppugnauimus, atquè, vt spero, expugnauimus.

De quarto dicto similiter tàm multa, & tàm rationabilia verba, fecimus Conclusione 19. vt plura superaddere sit omninò superfluum.

AT VERO tandem. Defendenda sententia nostra est ab alijs argumentis; quæ licet plurima afferri possint, seligemus tamen aliqua, & validiora; & ex quibus dis-

solutis plura dissolui poterunt.

Primò igitur arguitur. Petrus per horam continuam habet actum dilectionis Dei continuatum; igitur est melius dispositus, quàm Paulus, qui ex æquali charitate, & intensione habet in eadem hora decem actus interpolatos. Hæc consequentia probatur, quia melior est conditio continuantis actum, quàm discontinuè operantis etsi iste actum frequentet iuxta communem omnium opinionem: ergò meritum Petri crescit supra merita Pauli. Et tunc quæro, quanam proportione? Supposito enim, quod actus sit eiusdem speciei, & ex eadem charitate eodem modo operante hæc excrescentia non videtur posse considerari, nisi secundùm proportionem temporis vnius horæ ad tempus, in quo à Paulo decem illi actus producti sunt. Et tunc est maxima instantia. Nam actus illi potuerunt fuisse instantanei, & consequenter oportebit meritum Petri crescere super merita Pauli, quantum crescit supra decem instantia, in quibus illi decem actus producti sunt, tempus horæ; qua tota Petrus actum suum continuauit. At hæc excrescentia incomparabilis est; quod probatur. Quia hora vna infinita instantia compræhendit: ergò meritum Petri in infinitum maius erit merito Pauli.

Et augetur difficultas. Quia qua hora Paulus habuit decem actus, potuerunt alij habere multos plures; Vt Ioannes 100. Andreas mille, & alius longè adhuc plures: ergò pari ratione omnibus his æquiualebit; imò præualebit meritum continuatum Petri: ergò innumeris.

Respondetur. Hoc argumentum Bagnes. Propter ingentem eius difficultatem penè videtur voluisse subterfugere, cùm confugit ad negandum comparationem posse haberi inter magnitudinē actus continuati,& actus discontinuati: Ac si hæ magnitudines in genere quantitatis sint, & comparatio fiat in ratione huiusmodi magnitudinis. Eius tamen responsio mihi non satisfacit. Primò, quia comparatio ista meritorum horum fit non in ratione magnitudinis propriæ, sed virtualis; quæ idem est, quod perfectio; secundum quam acceptionem, etiam

in præ-

in prædicamento positæ quantitas continua, & discreta comparantur; multò igitur magis merita horum actuum.

Secundò. Quia ipsemet etiam Bagnes hos actus quoad meritum præmij accidentalis, & quoad præmium tandem comparari posse concedit.

Tertiò. Quia comparatio horum meritorum fit comparatione præmij substantialis gloriæ; & est idem, ac quærere; cui nam debeatur præmium maius, continuatis, an frequentatis actibus. Hoc autem præmium non variatur secundùm continuum, & interpolatum, seu discretum. Oportet igitur etiam Bagnem respondere non solum ratione præmij accidentalis, sed etiam ratione substantialis: nam actum præexistente charitate intensiorem contingit in vno esse instantaneum, in alio per longum tempus esse continuatum; & tunc potest dubitari, quantum iste plus mereatur. Sed etiam Gabrielis sententia, quam Petrus Aragonen. sequutus est, huic argumento respondere habet, quod in eam Bagnes eiaculatus est. Et nos quidem in eius gratiam id præstitimus supra; cum pro tertio eius dicto quartam rationem formauimus, & octauæ rationi pro ipso respondimus. Et ideò huc debet illa responsio applicari. Cui responsioni addo præterea duo. Primum, quosdam arbitrari Petrum illo modo continuantem diligenter opus suum adæquatum charitati, prorupturum in opus intensius charitate ea ratione; quia charitas, cum sit habitualis amor, & inclinatio in actum diligendi Deum, & proximum, nata est impellere voluntatem ad amorem ardentiorem, ad quem etiam ipso actu dilectionis continuato, quasi stimulo quodam, excitatur. Sed hæc ratio mihi non placet: Quia intensionem actus maiorem charitate præexistente reducit quasi in causam in naturâ habitus charitatis, quod non conuenit, quia oportet concurrere speciale auxilium Dei, Et charitas ex seipsa non potest in actionem, quæ eam excedat, prorumpere; cum sit impossibile effectum esse sua propria causa prestantiorem. Benè dici potest hunc continuantem ex Dei benignitate, qui legitimè certantibus adesse solet, & vires non solum

conseruare, sed sed etiam augere, facilè donandum actu illo intensiore. Et tunc patet Petrum continuantem melioris effici conditionis, qnàm Paulus sit: quia obtinet meritum gradus substantialis gloriæ maioris, quod incomparabiliter excedit gradum inferiorem, non ob suā infinitatem, sed ob aliam rationem, de qua dictum est supra. Interim verò attende non comparari tunc continuantem, & frequentantem intra latitudinem datæ charitatis.

Secundum est. Cum actus etiam instantanel secundùm se, tamen cum sibi succedunt immediatè, in tempore aliquo durent, & ideò Petri meritum non sit infinitis actibus æquale, sed finitis, vt in illa responsione dictum est; quæro quomodò valor eius sumendns est? Nam videtur esse indeterminatus, quia eadem hora Paulus 10. Ioannes 100. Andreas mille, alij plures, habere possunt. Esse autem valorem meriti indeterminatum non conuenit. Præsertim cùm respiciat perse primò præmium gloriæ substantialis. Respondetur. Cum Petro comparetur meritum præmij æternæ vitæ, videtur mensura accipienda comparatione eius, vt scilicet tot æquiualeat, quot ipse tali hora (si interpellatos actus eliceret) opera exerceret: Nihilominus cum supponatur diligenter incumbere in opus ipsum etiam continuando, secundùm meritum talis operis iudicandum potius videtur; vt scilicet æquiualeat omnibus illis actibus, quos diligentissimus quispiam, tēpus interpellando, produceret. Quāuis in hac frequentatione operum, cum longè melior sit (vti declaratum est) conditio continuantis, quàm frequentantis, si Petri meritum æquiualeat tantum quatuor actibus, quibus Ioannes totam horam illam absoluit modicis morulis interpositis, melius se habet, quā si æquale sit mille operibus Andreæ.

Sed dices: Ergò si quis hoc modo per horam continuare velit, & incipiat de facto, sed inuoluntariè impeditus id perficere non possit, habebitnè tantum hoc meritum, ac si actum inceptum per horam continuasset? Et quod dixi de hora, extendi potest ad diem. Quidni enim? siqui-

siquidem apud Deum voluntas pro facto computatur, quando per nos non stat, quin operemur, vt commune, omnium axioma est. Hoc autem meritum apud Deum acquiritur.

Respondeo primò. Si loquamur de merito gradus noui substantialis gloriæ, iste sic inuoluntariè omninò impeditus non obtinebit. Supponit enim casus istum continuare voluisse per horam actum adæquatum charitati. Ex continuatione autem quantacunquè actus non obtinetur augmentum gratiæ; & consequenter nequè præmium graduale nouum, vt probatum est supra.

Secundò. Si loquamur de merito intra latitudinem eiusdem gradus, dicere possumus probabiliter vtramquè partē contradictionis, scilicet habiturū hunc impeditum omninò inuoluntariè hoc tantum meritum; Modò scilicet voluntas vera fuerit, & actualis. Quod dico, quia frequenter decipimur talem nos putantes habere, quæ reuera non adest. Item, quia voluntas solum virtualis non terminatur ad opus secundùm tales circunstantias, & consequenter non infert meritum, quod sequitur actū secundùm illas circunstantias.

Ratio huius affirmatiuæ partis reddita est ex illo axiomate communi adducto, Voluntas pro facto reputatur. Confirmariquè potest; ex larga Domini benignitate, qui seruos suos ei fideliter seruientes vltra etiam vota, nedùm merita remunerare solet.

Potest etiam secundò negari hunc habiturum tā grande hoc meritum. Ratio est. Quia axioma illud est verum, vt sonat, scilicet voluntas pro facto reputatur, non autem pro modo facti: nam facti modus factum sequitur. Vndè etsi quis intendat operari supremo quodam modo, ac perfectione, & cum summo merito, vel demerito; non tamen tantumdem meretur, aut demeretur, quantum vellet. Et certè affirmatiua pars non videtur adeò consentire Scripturæ, quæ viam salutis arctam, difficilemquè proponit: Vndè non consentienter videtur dici: Iter ad summum cumulum meritorum adeò planum, & facile esse. Eligat quisque, quod vult, Tutius est, sollicitum

ambu-

ambulare cum Deo.

Secundò arguitur. Nullum meritum apud Deum proprio præmio irremuneratum est. Actus remissus, & adæquatus charitatis habent apud Deum meritum augmenti gratiæ; ergò non possunt hoc augmento, non remunerari à Deo. Et augeo argumentum. Hi actus habent meritum absolutè, & simpliciter augmentandi gratiam: ergò absolutè, & simpliciter remunerantur à Deo hoc augmento. Antecedens probatur. Eo modo merentur augmentum, quomodo charitas concurrit ad illos actus: at charitas ad illos actus concurrit absolutè, & simpliciter: ergò absolutè, & simpliciter illud augmentum merentur. Et minor quidem assumpta patentissima est. Maior verò propositio indè patet; quia charitas est tota ratio merendi omnia, quæcunquè à Deo meremur. Potest tamen etiam maior illa declarari. Charitas enim concurrit ad illa opera secundùm propriæ naturæ conditionem: Est autem hæc conditio naturalis charitati, esse secundùm se principium meritorium, &c.

Aduertendum fuisse quosdam asserentes, in homine iusto remissè operante, esse conditionem contrariam augmento charitatis, & ideò hoc præmium obtineri non posse contraria ei conditione repugnante. Probant autẽ adesse conditionem contrariam; quia remissio actus contraria est intensioni, quam augmentum importat. Et secundùm hæc argumento respondebunt negantes consequentiam. Sed hæc sententia falsa est. Primò. Intensio actus, & remissio actus contrariari inuicem possunt. at remissio actus, & intensio habitus non item; quia non sunt in eodem genere actus, & habitus, vt clarum est.

Secundò. Et fortius. Si intensioni habitus contraria esset actus remissio; nõ posset augmentum habitus (quod apud istos etiam, intensionem importat) sub merito cadere actus remissi; quod & ipsi quoquè falsum affirmant. Implicat enim actu contrario ipsum contrarium mereri.

Respondetur itaquè, non adesse quidem conditionem contrariam, sed deesse conditionem necessariò requisitã

ad

ad augmentum obtinendum; proindè meritum respectu huius augmenti conditionale, non absolutum esse. Ad maiorem aucti augmenti, qua antecedens negatum probatur, respondetur, absolutè falsam esse. Aliquid enim habent actus illi ex charitate, scilicet meritum, & aliquid ex subiecto merente, scilicet talem gradum operis, videlicet remissum, vel adæquatum, & aliquid ex auxilio diuino aliquandò charitatem, & voluntatem eleuante, scilicet intensiorem maiorem præexistente charitate. Et ideò non oportet modum meriti, scilicet absolutè, & simpliciter, cum præmij concomitantia, & consecutione, vel fine reducere in charitatem. Quantumuis enim charitas (vt excludamus illius maioris porbationem) tota ratio sit merendi præmium substantiale absolutè; tamen respectu augmenti, prior est ratio dispositorij (quà meritorij) ex actu liberi arbitrij, vt à Deo moti; & meritum charitatis quasi superueniens addit rationem meritorij augmenti charitatis; sed modificatam ad naturam, modum, conditionemquè dispositionis, vt initiò declaratum fuit. Itaquè in forma respondendo tandem dicimus: illam propositionem, eo modo merentur, quo charitas concurrit, si intelligatur, quo modo præcisè ex parte sui charitas concurrit, esse falsam: ex qua cum minore Conclusio sequitur falsa: si verò intelligatur sine precisione, vera est propositio, sed minor non benè subsumitur: quia opus est non solum considerare quid natura charitatis sibi vendicet, sed etiam alia, quæ simul cum charitate ad opera ista concurrunt, vt dictum est.

Tertiò arguitur. Gloria datur pro meritis: ergò habéti plura merita dabitur amplior gloria: ergò Petro iusto, vt decem, & centies operanti adæquatè ad charitatem dabitur gloria proportionata ad mille; Paulo autem æqualiter iusto, & operanti semel intensius puta, vt 15. dabitur præmium proportionatum ad 15. ergò gloria non crescit ex intensione actus; & consequenter, nequè charitas, quæ æqualiter procedit cum gloria. Huius rationis antecedens, & consequentiæ omnes videntur esse notissimæ.

Respon-

Respondetur glossando antecedens; Gloria datur pro meritis, proportionali scilicet modo; quia si meritum sit intensius, datur gloria noui gradus substantialis proportionalis latitudini excessus supra præexistentem charitatem; si verò non sit intensius, datur gloria intra latitudinem eiusdem gradus proportionalis latitudini meriti illius. Et ideò prima consequentia quoad primam partem conceditur: quoad secundam, verò dicimus, Duo præmia correspondere actui illi intensiori, vt 10. primum intra latitudinem gradus correspondentis gratiæ, vt decem præexistenti; alterum respondens gratiæ maiori, quæ per illum actum aucta est ad 15. & iste est nouus gradus gloriæ essentialis, vti probatum fuit conclusione decima. Vndè secunda consequentia non valet quippiam.

Adde gradum nouum gloriæ correspondentē actui intensiori excedere totam illam latitudinem præmij, quod correspondet centenis, millenisquè actibus adæquatis gratiæ in Petro, vt supra latius declaratum, & probatum est.

Quartò arguitur. Petrus iustus post mille actus, vt 10. intensos moritur, habetquè maiorem gloriam, quàm si mortuus esset post tales actus 10. vel centum: ergò ex illis etiam actibus creuit charitas eius: quæ vt dictum est æquali gressu procedit cum gloria: ergò charitas non crescit tantum ex actibus intensioribus.

Respondetur. Antecedente concesso, primum consequens distinguitur, primò creuit charitas, vti beatitudinis perfectio, quod augmentum in patria obtinetur, & hoc modo omnia benè procedunt, & vera sunt. Secundò, creuit charitas, vt primum principium merendi, & tunc potest subdistingui; Creuit secundùm substantiam habitus charitatis in esse physico, & consequens est falsum; nec ex antecedente consequitur; vel creuit secundum esse morale, seu secundum effectus plures, quos ex se producit; & tunc verum infertur; sed non est ad propositum uostræ huius dubitationis.

Quintò arguitur. Ad præmium consequendum, nihil aliud

aliud exigitur, nisi meritum: At augmentum charitatis præmium est; quia Concilium Trident. Sess. illa 6. Can. 32. id expressissimè statuit: ergò non requiritur alia dispositio actus intensioris.

Respondetur ad præmium præcisè, (idest, quod habet solum rationem præmij) consequendum nihil, &c. Maior vera sit. Sed tunc minor est falsa. Nam augmentum gratiæ, & charitatis, idest, charitas aucta, est etiam principium merendi, vt dictum est. Vndè argumentum aliquid solum probat de charitate, prout est perfectio beatitudinis in patria.

Sextò arguitur. Petrus iustus, vt decem, producit charitatis actus mille, vt sex tantum, ac remissiores sua charitate; quæro est nè iustificatas magis, quàm quandò produxerat decem, 50. vel 100. tales actus, an non? Si negas: repugnas Concilio Tridentino, Sessione sexta, cap. decimo, decernenti hominem magis, ac magis iustificari, dum mortificat membra sua super terram, eaquè exhibet arma iustitiæ in sanctificationem. Si affirmas ergò per illos actus remissos crescit ipsa iustitia per gratiã Christi à Petro accepta. Et ista sequela probatur. Quia idem Concilium ibi declarat in hoc consistere maiorem iustificationem. Et tunc secundò Infero; ergò per illos remissos actus augetur charitas, & gratia secundũ ipsum suum physicum esse, ac ipsam substantiam habitus. Ratio sequelæ est; quia ipse habitus charitatis, & gratiæ sunt iustitia à nobis accepta, per gratiam Christi.

Ad hoc argumentum oportet & secundam opinioné, & tertiam quoquè respondere; siquidem vtraquè negat in hac vita per actus remissos augeri charitatem, licet dissentiant de augmento charitatis extra hanc vitam obtinendo per eosdem remissos meritorios actus comparato; dum illud secunda negat tertia; affirmat. Nam Concilium in illo cap. loquitur de iustificatione hominis in hac vita: quia de augmento iustitiæ euntium de virtute in virtutem, qui renouantur de die in diem, & obseruantium mandata Dei, & Ecclesiæ, quibus fides cooperatur. Certum autem est hæc omnia in hac vita exerceri.

Quo

Quo modo illi respondeant, ipsi viderint; ego responsum afferam, quod etiam illis poterit esse commune.

Animaduerto igitur iustificationem dici posse fieri maiorem dupliciter. Primò secundum esse morale, secundum quod esse singulis actibus crescit charitas, quantumlibet remissis, vt dictum supra est sæpè; secundò secundum physicum esse, ac substantiam ipsam habitus. Et dico duo Primum, Cap. illud decimum, Sess. 6. accipi posse de augmento iustificationis primo modo, & sic respondetur negando secundam consequentiam. Nequè eius probatio euincit. Nam non solum ipsi habitus gratiæ, & charitatis apud Concilium sunt nostra iustitia à Christo accepta; sed etiam quælibet opera meritoria. Vide eandem Sess. Can. 32. Vbi disertis verbis dicitur, opera gratiæ à iusto fieri per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum.

Secundum. Esto Concilium intelligendum esset de iustitia habituali in nobis inhærente formaliter à Christi gratia, vt à fonte riuulus deriuata; non est tamen intelligendum, ac si determinet iustitiam istam quolibet actu charitatis augeri de facto, sed vel dispositiuè (quo modo S.Tho.22. 24. 6. ad 3. dicit. In via Dei progredi (en iter de virtute in virtutem, & iustificationem maiorem) non solum illum, qui charitatem auget, sed & eum, qui se ad eius augmentum disponit) vel completiuè. Et certè hoc loco doctrina illa communis, qua Bagnes vsus est, optimè adduci, & applicari potest: concilium, scilicet tamquam Iudicem controuersiarum fidei inter Chatolicos, & Hæreticos statuere sententiam contra hæresim dicentiũ, non esse nos iustos formaliter iustitia nobis inhærente, sed tantum extrinseca, à nobis appræhensa tamen per fidem: Et non posse nos aut in iustitia crescere, aut esse in iustitia inæquales; cum omnium vnica sit iustitia, quæ in Christo formaliter residet, & nobis fide sola appræhendente extrinsecus applicatur. Cui repugnat sententia Concilij exposita modo dicto, siuè illa quolibet actu crescat, siuè solis intensioribus. Hæc enim dispuiatio nequè versatur inter Lutheranos, nequè versari potest, cum

fun-

funditus conuellant meritum omne, atque augmentum iustitiæ, vel charitatis: Versatur autem inter Catholicos, eosquè Scholasticos Doctores: quorum controuersiæ, cum ad Concilij iudicium non fuerint delatæ, quomodò de eis iudicium latum fuisse existimabitur?

Septimò arguitur. Actus remissus nihil meretur: ergò quæstio est inutilis, supponens falsum. Antecedens probatur. Primò. Si mereretur, esset ex speciali Dei auxilio; quia omnis actus meritorius ex speciali auxilio Dei est: hoc falsum esse probo. Nam quod est ex speciali Dei auxilio, est etiam ex speciali eius intentione, cùm Deus nihil faciat non intentum, & non ad aliquem specialē finem: quod verò est ex intentione Dei speciali semper sortitur effectum suum, seu finem; quia Dei intentio frustrari non potest: ergò actus remissus factus ex intentione Dei speciali, ad hoc vt homo augeat charitatem, semper sortietur effectum istum. Sed & hoc falsum; quia contingere potest hominem mori habentem actus tātum remissiores, vel adæquatos charitati, vt quatuor, in qua vixerit per plures, & dies, & annos: ergo, &c.

Secundò probatur antecedens idem. Apoc. 3. Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus incipiam te euomere ex ore meo; at remisè operans, vt sic, est tepidus: ergo euomitur: ergò opus remissum non est meritorum.

Tertiò ad idem Antecedens. Opus remissum est corruptiuum virtutis; opus corruptiuum virtutis non potest esse meritorium: ergò. Et minor quidem per se nota videtur. Maior probatur ex Diuo Thoma 12.52. 3. dicente actum remissiorem potius disponere ad diminutionem virtutis. Respondetur negando Antecedens.

Ad primam eius probationem. Respondetur. Primò. Actum meritorium esse ex speciali adiutorio, & intentione Dei: Sed ista intentio Dei non habet hunc finem, vt semper perducat ad augmentum, aut consecutionem gloriæ: alioquin aut frustraretur intentio Dei, quod omninò ab omnibus asseritur falsum, ex Scripturis, illa præsertim, Isai. 14. Si non vt putaui, ita erit, &c. aut oporteret

teret omnem hominem, qui semel iustificatus esset, saluari, & omnem vocatum à Deo iustificari; quæ sunt manifestę hæreses. Vndè quandò non succedente actu intensiore, quis augmentum charitatis non obtinet, aut post iustificationem lapsus moritur in mortali, auxilia, vocationes, gratia, charitasquè concessæ sunt in alium finem, quàm salutis, aut auctioris consequendæ iustificationis. Quinam ille finis sit, innotescet Sanctis in patria. Nunc satis est nobis in tremore, & humilitate cantantibus misericordiam, & iudicium agnoscere, quoniam iudicia Domini abissus multa: Et quoniam iustificatur in sermonibus suis, vincitquè cum iudicatur.

Secundò dici potest, Dei motionem, & intentionem non esse consecutionem augmenti huius absolutè; Sed respectu iuris ad præmium substantialis gloriæ maioris comparandi intra latitudinem, tamen præexistentis charitatis, & gloriæ ei correspondentis. Et hęc Dei intentio, & motio, nequè in remissius operante frustratur. Applica ea, quæ dicta sunt in Corollario ad vigesimam Conclusionem.

Ad secundam eius probationem, Respondetur falsò, & gratis assumi in minore; Remissè operantem inquantum remissè operatur, esse tepidum. Qui dici potest tepidus, qui disponitur ad augmentum charitatis? qui in via Dei progreditur? quod Diuus Thomas, 22. 24.6. ad 3. & in corpore articuli operanti ex charitate tribuit? An etiam qui adæquatũ charitati actum producit; quandò eum contingit intensiore non succedente mori sine augmento? quomodo tepidus, qui accumulat sibi præmium æternæ vitæ maius iuxta Conclusionem secundam, & tertiam, licet intra latitudinem vnius, eiusdemquè gradus? Adde tepiditatem vitium esse; at remissio in operando ex charitate non potest esse vitium: ergò, & vtraquè præmissa patet. Illa enim vomitum prouocat, ista meritum habet & gloriæ, & gratiæ. Et postremò actus tepidus peccatum est; nec potest à charitate produci: actus remissus à charitate est, & meritum: licet sit imperfectus.

Nequè verò instare audeas, si imperfectus: ergò peccatum

rum. Quæ enim imperfecta sunt opera priuatiuè, peccata sunt, quæ autem negatiuè non item: & talis est imperfectio remissioris actus. Non enim est aliquod præceptum, quo teneamur intensius operari.

Ad tertiam probationem eiusdem antecedentis: Prænoto Caietan. 22. 24 ar. 6. ad 2. distinguere duo in actu remisso inuenta, primum similitudinem ad virtutem.) Ex quo enim effectus virtutis est, omnis autem effectus est causæ similis, oportet actum quantumuis remissum similem esse virtuti.) Alterum est dissimilitudo, quia virtus excedens, & effectus qui exceditur, vt sic, dissimilia necessariò sunt, quemadmodum & album magis, & minus album. Aitque ratione primi actum remissiorem conseruatiuum esse virtutis; exercet enim illam, & assimilat: Ratione secundi disponere ad diminutionem; eò quòd agens agit ad sui similitudinē inducendam; & consequenter agens imperfectius inducet ad imperfectiorem sibi consimilem gradum; quod est diminuere. Hæc sententia sine vllis rationibus à Bagnes initio commentarij sui 22. 24. 6. reiecta est. Et mihi certè omninò non probatur, cuius rei afferam has sequentes rationes.

Prima ratio. Conseruare habitum est in eodem statu manutenere: At actus remissus, etiam vt similis in communi, non est aptus habitum in gradu superiori manutenere: ergò Maior ex terminis patet; minor probatur. Actus remissus ad vnicum gradum similis hoc modo, est non solum habitui, vt 3. vel vt quatuor, Sed etiam vt centum, vt mille, & vltra: ergò si propter hanc similitudinem manutenere potest habitum excedentem vt quatuor, pariter manutenere natus est in suo statu habitum vt centum, vt mille, & vltra excedentem.

Secunda ratio, & fortior. Si ratione similitudinis, & quia exercet habitum, actus remissior natus est conseruare habitum suum: ergò secundùm illud natus erit conseruare secundùm quòd est illi similis, & secundùm illud, quod exercet. At nequè secundùm illos gradus, in quibus exceditur est habitui excedenti similis, nequè secundùm illos eum exercet, aut exercere potest: ergò non

firmabit eum secundùm huiusmodi gradus, aut conseruabit. Conditionalis ex vi proportionalitatis euidens esse videtur, & subsumptum patet ex terminis.

Tertia ratio adhuc fortior. Abstractum in sua abstractione non agit quippiam, cùm in tali abstractione sumptum neque fit, neque concipiatur, vt existens: At ista similitudo remissioris actus cum habitu intenso, vt abstrahitur à gradibus vtriusquè, quippiam abstractum, & in mente abstrahente conceptum est, non in rerum natura: ergò ratione similitudinis huiusmodi, actus remissior non est natus agere conseruando, vel firmando, seu exercendo habitum intensiorem.

Quarta ratio. Actiuum, vt actiuum oportet, & concipi, & esse actum, & non potentiam; siquidem agendi ratio, non potentia, sed actus est; at similitudo fundamentalis, (de hac enim sermo semper est, non de relationibus similitudinis) actus remissi ad habitum intensiorem sumpta in hac abstractione à gradibus superiori (scilicet habitus,) & inferiori (operationis) non est actus, sed potentia. Nam est quid indeterminatum, commune actui cuilibet remisso respectu cuiusquè habitus in quolibet gradu excedente in duplo, triplo, quadruplo, in infinitum: imò etiam actui adæquato, & etiam inensiori, vt patet; indeterminatum verò, & commune hoc modo potentia quædam est, non actus: ergò actus remissus ratione talis similitudinis actiuum esse non potest. Quarè vt sic etiam nullo modo conseruat habitum suum.

Ad plenam igitur euacuationem argumenti. Dico. Primò. Actum remissiorem charitatis nullo modo esse diminutiuum virtutis, à qua producitur: Primò. Quia charitas diminutionem non patitur, vt 22. 24. 10. probatur, & declaratur.

Secundò. Nam actus charitatis earemissior non potest non esse meritorius, & æternæ gloriæ substantialis, & augmenti gratiæ, & charitatis, imò & si remotè, disponit tamen ad gratiæ augmentum; at non potest idem esse dispositio, meritumquè talis augmenti, & diminutiuum charitatis, vt patet.

Tertiò.

Tertiò. Et videtur esse fundamentalis radix; & efficacissima; quia tales actus charitatis, etsi remissiores, fiunt ex auxilio speciali Dei, vt habetur in materia de gratia; ergò non possunt disponere ad diminutionem. Consequentiam probat tritum illud proloquium ex Diuo Augustino a Theologis sumptum (ex Scriptura dicente: Opera Dei perfecta esse) nemo Deo operante fit imperfectior.

Dico secundò. Opera moralium virtutum infusarum remissiora nullo modo diminuere habitum. Ratio est. Nam cùm habeant necessariam connexionem cùm charitate, atquè gratia, ad quas consequuntur necessariò, & cum eis infunduntur, sicut illæ diminutionem non patiuntur, ità nequè istæ; & omninò rationes præcedens dictum probantes, probant etiam istud secundum.

Dico tertiò. Opera acquisitarum virtutum, (aut etiam infusarum, quarum ad charitatem connexio necessaria non est, vti fidei, & spei, quæ cum peccato mortali in homine perseuerant) duobus modis considerari possunt: Primò secundum se, vt à talibus virtutibus præcisè sumptis producuntur. Secundò, vt imperata sunt à charitate, vel actualiter, vel virtualiter. Et si secundo modo considerantur, meritoria sunt, & beatitudinis substantialis, & augmenti charitatis; Vndè nullo modo ad charitatis diminutionem disponunt. Possunt tamen disponere ad earundem virtutum diminutionem, à quibus eliciuntur, sicut etiam disponunt ad earundem diminutionem sumpta primo modo. Et de talibus virtutibus, eorumquè operibus hoc modo sumptis interpretandus est Diuus Thom. p. 2. 52. 3. Nequè inconuenit in eodem actu inueniri rationem meritorij prædictam ex ordinatione charitatis extrinsecus imperantis, quæ accidentaliter ijs virtutibus, earumquè operibus conuenit, cum imminutione talium virtutum ex interna imperfectione remissioris operis. Ex his formaliter respondetur ad illam probationem tertiā antecedentis. Opus remissum est corruptiuum virtutis, acquisitæ, Transeat maior sic glossata; quæ falsa esset, si non de acquisita, sed de charitate, infusisquè moralibus intelligatur. Minor autem falsa est; si de opere virtutis

acquisitæ intelligatur, quia stat meritum in opere acquisitæ virtutis à charitate imperato, simul cum imminutione virtutis, vt dictum est.

Sed hic est aduertendum; malè sumptum esse, opus corruptiuum: Nam licet opus remissum acquisitæ virtutis sub imperio charitatis imminuere possit habitum elicitiuum eius: nũquam tamen corruptiuum erit. Corruptio enim virtutis per actum ei contrarium fit semper; talis autem non potest esse actus remissior virtutis acquisitæ à charitate imperatus, cum semper sit peccatum, quod à virtute non potest elici acquisita, & multo minus imperari à charitate.

EX his placet elicere, quod sequitur, Attentissimè PONDERANDVM Corollarium. Valdè grauis, & omni studio fugienda conditio est hominis extra gratiam, & charitatem inuenti. Quia & si operetur virtutum opera bona; tamen vt plurimum ad earum moralium, imminutionem operatur. Ratio huius est; quia vt plurimum opera nostra etiam bona remissiora esse consueuerunt.

At hominis, cui Deus charitatem donauit, perillustris etiam quoad hoc, conditio est. Nam quamuis remissius operetur ex charitate eliciente, vel imperante bonum; semper & cœlestis gloriæ maius præmium, & gratiæ augmentum sibi comparat, & debitum facit; etiam dùm remissius opera acquisitarũ virtutum faciens ad earum diminutionẽ disponitur potius, quàm ad earũ incrementũ.

Octauò arguitur. Non potest haberi actus intensior charitate meritorius comparatione vel gloriæ, vel gratiæ: ergò augmentum charitatis, vel nullum erit, contra illud Pauli ad Phil. 1. Oro, vt charitas vestra magis, ac magis augeatur. Aut erit ex actibus, aut ei adæquatis, aut remissioribus. Antecedens probatur. Actus intensior (si daretur) in aliquod proprium, proximumquè principium reducendus esset. Quæro quodnam sit illud. Non voluntas sola, quia actus meritorius supernaturalis necessariò esse debet, sicut præmium eius. Non voluntas cum charitate præsenti, quia non potest forma esse prin-

cipium

cipium operis eam excedentis ; actus autem charitate inexistente intensior excedere prædictam charitatem patet ex ipsis terminis. Non voluntas cum auxilio Dei speciali mouēte eā, & charitatem ad opus. Nā hoc auxilium speciale non facit ad opera intensiora charitate, sed tantum datur, ad actus remissiores, & adæquatos meritorios exercendos. Non volūtas, & charitas inexistens, cū auxilio gratiæ adhuc specialiore Dei intendentis hominem eleuare ad maiorem gratiæ gradum. Nam istud auxilium Dei non facit in homine aliquod principium formale homini proprium; quod sit proximum, & sufficiens principium illius actus intensioris, vndè posit dici opus illud ab homine esse. Exemplum est in prima iustificatione peccatoris, in qua concurrit actus hominis ex auxilio diuino se disponentis proximè ad gratiam, & infusa gratia, & charitate meritum gloriæ sibi comparantis. Respectu enim meriti auxilium illud Dei speciale tribuit homini, vt sit causa verè meritoria præmij: quia ponit in homine formale proximum principium gratiam, scilicet, & charitatem: at respectu gratię nullo modo homo est eius efficiens causa, vel meritoria saltem; quia non ponit in homine tale aliquod formale principium. Quòd verò nō faciat quid tale, probatur. Quia auxilium hoc motio, & actus secundus est, non aliquid habituale inexistens, vndè non durat, nisi dùm actus intensior ille producitur; proximum autem, ac proprium formale operis principium habituale esse oportet, vt patet in omnibus inductiuè. Maior vltra signum adductum, quod efficaciter probat, etiam confirmari potest auctoritate Sancti Thomæ qui iam q.110. 2. gratiam diuidendo in habituale, & in auxilium gratiæ, & 111. q. 1. diuidendo gratiam in habitualem gratificantem, & gratis datam actualē ostendit hoc auxilium speciale Dei quodcunquè non ponere aliquid habituale, & continuè inhęrens in homine. Potest & tertio probari ratione. Iis enim, quæ nobis habitualiter insunt, vti possumus ad libitum nostrum, quandò volumus, & secundùm eam mensuram, quam volumus. Auxilio autem isto nulla, vel apparenti ratione dicere pos-

sumus nos vti ad libitum nostrum: ergò non ponit aliquid habitoale principium.

Et ex his excluditur responsio; quam ex Asturicensi quidam adhibere voluerunt, dicentes auxilium hoc Dei specialius ponere in voluntate actum; quo tanquam actu primò constituitur potens exire in actum secundum intensiorem. Nam primò; hic actus, seu actualitas non potest esse aliquid fixum, & habituale; vt dictum est. Et secundò. Hæc actualitas non eleuat hominem, seu voluntatem ad hoc, vt sit principalis causa consequentis operis: ergò non etiam eam eleuat ad hoc; vt opus eius sit meritorium. Et antecedens patet. Quia talem actualitatem, etiam apud istos, oportet in quolibet instrumento ponere; quale est sacramentum quodlibet, & illa; quibus aut Christus, aut Sancti miracula operantur: quæ tamen consequentis operis nullo modo causæ principales dici possunt, puta, lutum oculo cæci illitum; aut aqua Siloè abstergens & lutum, & cæcitatem; & similia. At cõsequentia probatur efficacissimè; quia meceri, soli principaliter operanti conuenire potest; & in instrumentalem causam, vt instrumentalis est, minimè non cadit.

Respondetur. Actum intensiorem istum reduci in voluntatem, charitate præexistente ornatam, sed auxilio illo specialiore eleuatam quasi supra seipsam, vt possit in opus se ipsa intensius exire. Cuius rei declaratio haberi facilè potest, & ex naturalibus, & ex spiritualibus. Sunt namquè principia quædam operum, quæ ex proprijs sui generis conditionibus in actus quosdam exire nequirent, quæ tamen ex sola connexione cum aliquo alio altiori possunt. Exemplum primum sit Cœlum; quod cum reuera inanime sit, non potest ex proprijs sui generis conditionibus producere viuẽs, & maximè cui sensatio adiungitur: Vt tamen intelligentiæ motrici coniungitur, viuentis, & sentientis animalis ex putri rãtum materia geniti causa est. Exemplum secundum experimur in nobis quotidiè; dum cogitatiua nostra & singulares substantias appræhendimus, & circa particularia discurrimus particulariter; quæ duo non possunt ei conuenire ex proprijs

sensus

sensus conditionibus in quantauis eius latitudine considerati; sed ex eo, quod coniungitur gradui intellectiuo in anima rationali. Exemplum tertium in spiritualibus sit; Quod omnes Theologi consentientes D. Thom. dicunt; Tùm Christo Domino datam scientiam futurorum contingentium speciebus intelligibilibus illa repræsentantibus ex refluentia diuinitatis ad animam eius. 3. q. 9. 2. ad 3. Tùm etiam Prophetis datam notitiam futurorum contingentium per species illa repræsentantes sub lumine Prophetiæ. Certum namquè est huiusmodi notitias, cum sint immanentes operationes, in intellectum speciebus lumine tali illustratis, & eleuatis informatum, vt in causam principalē, proximamq; reduci. Eodē modo charitas, vt duo eleuatior seipsa reddita ex auxilio diuino mouēte ac dirigente, tanquā formale principiū potest in actum, vt quatuor, vel vltra; ita vt non instrumenti rationē, modumuè homo induat, quod mereri gratiam auctiorem illam non posset; sed principalis operantis sub primo mouente, sicuti reliquæ omnes secundæ causæ, &c.

Ex his, quæ dicta sunt ad hæc duo argumenta, duo mihi occurrunt notabilia attentissimè ponderanda. Primum plenum consolationis est.

Non debere existimari valdè periculosum, si ex charitate remissè quis operetur. Huius contrarium ad finem determinationis secundi dubij Bagn. in 22. 24. 6. astruit duplici via rationes multiplicans, ex Scripturis primò Nam Matth. 25. dicitur, ab eo, qui non habet, etiam quod videtur habere, auferetur, agitquè de seruo, qui in sudario acceptum talentum retinuit, non vsus eo ad negociationem. Item contra Angelum Ecclesiæ Ephesi, 2. Apoc. dicitur, Habeo aduersum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti, memor itaquè esto, vndè excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, &c. Primam autem charitatem relictam interpretratur antiquum feruorem: adducitquè in hanc sententiā Cęlium Pannonium in Collectaneis ad hunc locū Apoc. Item Apocal. 3. Alteri Episcopo dicitur. Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim inue-

nio opera tua perfecta coram Deo. Quam sententiam adducit etiam Diuus Gregorius 3. par. Pastor. admon. 35. qui addit, Ideò reliqua, quæ gesta erant, moritura prædici, quia opera eius plena non fuerunt coram Deo. Item Ecclef. 19. Qui minima negligit, paulatim deficit. Et hæc prima via est. Secunda: ex auctoritate Gregorij, tùm supra adducta, tùm ex eodem loco supra citato tum ex loco illo Prouerb. 18. Qui mollis est, & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis; tùm ex illo 2. Petr. 2. Melius erat eis non agnoscere viam iustitiæ, quàm post agnitam retrorsum reuerti, inferente eos, qui vllo torpore erga certum studium languent, casuros: quia nisi retrò respicerent, non sic languerent. Tùm ex eodem ibidem apertè dicente, eos qui proposita non perficiunt, conuellere, quæ cępta fuerunt: Et animam nostram more nauium contra impetum fluminis ascendentium vno loco non permitti stare: Quod est idem, atquè illud: In via Dei aut progrediendum, aut retrogrediendum. Affert etiam auctoritatem D. Thom. 22.62. 2.ad 3. & q. 78. artic. primo, ad primum. Quæ doctrina si recipiatur, dum valdè cautos reddere conatur, plus nimiò nos meticulosos efficeret. Itaquè tùm pro dissolutione prædictorum, tùm pro declaratione, & confirmatione huius notabilis à nobis propositi, Recole non solum charitatem diminui non posse; sed neque eius feruorem amitti, nisi veniali peccato: Remissè autem ex charitate operari nullum peccatum est. Quarè negligentia, retrospicientia, & alia, quæ in prædictis auctoritatibus allegantur, non sunt intelligenda de remissione operis pura, sed adiuncto aliquo peccato, saltem veniali: vndè, & ad pęnitentiam hortantur. Qui verò remissè, sed benè, idest sine vllo peccato operatur, non retrograditur, cum disponat se ad augmentum charitatis, & dictum est, (licet quoad hoc lentius incedat) & maius essentialis gloriæ sibi præmium comparet.

Secundum Notabile est (ad acuẽdam cautionem, ac diligentiam.) Non valdè facile post aliquos pręsertim magnos progressus in gratia, & charitate, charitatẽ augeri.

Ratio

Ratio est. Nam cum augeatur actibus solum intensioribus præexistente charitate, vbi peruenerit ad aliquam summam puta 50. vel 100. graduũ, summa videtur opus esse, (quod spectat tamen ad nostram cooperationem) diligentia; vt habere actum possimus intensiorem. Quamuis enim auxilium Dei speciale sit, quo primò id possumus, & vndè proximum principium eleuatur, vt possit in intensiorem actum prorumpere; oportet tamen & nos gratiæ Dei non deesse, attentiusquè procedere, ac sollicitos esse, & ambulare coram Deo. Ad quod propositum mirè quadrat illud; qui addit scientiam, addit, & laborem.

Nonò, & vltimò arguitur. Quilibet actus remuneratur præmio essentialis beatitudinis secundum totam latitudinem ipsius, iuxta hanc sententiam nostram: ergò ingentissimus erit cumulus graduum, vel sàltem intra latitudinem gradus eiusdem in immensum crescit hominis iusti gloria. Quod inconueniens Bagn. ad relectionem Victoriæ contra tertiam sententiam annotauit paucis, sed grauissimis verbis; & à prædicto Victoria diffusè amplificatur, contra primam sententiam.

Respondetur: Quid illi respondeant, non interest nostra scire: quod verò inducitur argumentum contra nostram sententiam, facilè iudicio meo dissoluitur. Nam primò dico gradum gloriæ non acquiri actibus remissis, aut adæquatis, sed intensioribus; qui vtinam frequentissimi essent: cumquè gratiam augeant non ad totius intensioris actus latitudinem, aut ad latitudinem remissiorum præcedentium, sed solum ad latitudinem excessus intensioris actus supra præexistentem charitatem, patet ex hac parte consequentiam non valere.

Secundò, dico præmium hoc essentialis gloriæ non correspondere merito secundum Arithmeticam proportionem, vt scilicet quotus est gradus operis, totus etiam sit numerus graduum præmij, (quod visum est tamen primam, ac tertiam opinionem dicere,) sed secundùm geometricam, idest non secundùm æquiparantiam, sed secundùm proportionalitatem: vt habetur p. 17. 2. 3. ad 2.

& 2.

& 2. 27. p. 5. primum. Et ideò consequentia illa in sententia nostra nulla est.

Hæc sunt Auditores, quæ de hac difficultate grauissima nobis dicenda videntur. Atquè profectò dubitabam, nè prolixitas disputationis fastidium nobis ingeneraret, ac nè vestra hac summa benignitate plus nimiò abuterer. Sed tanta vestra alacritas, & mira attentio, applaususquè vester liberauerunt me hoc timore; deuinxeruntquè me vestræ humanitati; nullus vt possit esse labor, quem propti ssimo animo in vestri gratiam suscepturus non sim; quibus me, & omne, quod possum, toto corde dedicaui? Spero autem hunc vestrum fauorem, & prolixam attentionem non mediocrem pijs animis vtilitatem allaturam.

Deo itaquè Optimo, Maximo soli laus, & gloria; à quo, vt à Patre luminum omne datum optimum, donumquè perfectum descendit. Amen.

Hæc autem omnia, non solum Sacrosanctæ Ecclesiæ correctioni, sed omnium Doctorum melius sentientium emendationi subiecta esse humiliter volumus.

Laus Deo, Beatissimæ eius Matri semper Virgini, & Diuo Thomæ.

A. R. P. M.

A. R. P. M.
F. PETRI PAVLI PHILIPPII

De Caſtronouo Caſeronianæ, Ordinis Prædicatorum,

Sacræ Theologiæ in Academia Peruſina Regentis, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultoris.

RELECTIO TERTIA.

DE GRATIAE, VISIONISQVE & Charitatis Diuinæ ſupernaturalitate.

RELEGENDVS Locus ex Apoſtolo, 1. ad Cor. 2. Nobis oblatus eſt, oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum; Ampliſſimi Perilluſtres, ac Doctiſſimi Auditores; vt de Supernaturalitate Viſionis Diuinę, charitatis, gratiæ, aliorumque huiuſmodi tractaremus. Quoniam verò immenſum quoddam pelagus grauiſſimarum quæſtionũ conſideraſtis enauigandum fore, ſi omnia, quæ dici poſſunt de hoc argumento, diſputanda eſſent, nec vnius diei, imò neque menſis relectione abſolui poſſe; totam hanc tractationem reſtringendam iudicaſtis ad vnicum hoc quæſitum; An viſio diuina, qua in Cęlis Angeli, Homineſquè bean-

beantur, itemquè gratia, charitas, & gloriæ lumen possit vlli creaturæ intellectuali esse connaturalis. Mihi verò nihil delectabilius, vel optatius potest accidere; quã ita meo defungi officio; vt simul votis, vtilitati, atque imperijs vestris satisfaciam. Quarè rem ipsam libentissimè aggrediar, Deum quidem precatus, vt pro gratiæ, ac gloriæ suæ angustissima maiestate disputantem auxilio suo speciali præueniendo, atquè ad perfectum deducendo adiuuet; Vos autem Auditores oratos velim, vt quemadmodum consueuistis, attentione summa faueatis; & pro grauitate rei, omnia maturo iudicio examinantes de proposita difficultate sententias feratis. Exponendus itaquè prius est sensus quæstionis: deindè afferenda noua quædam sententia est: tùm veritas pro nostra virili confirmanda, & postremò argumentis aduersariæ sententiæ satisfaciendum. Quod spectat igitur ad primum.

Cum quæritur visio diuinæ essentiæ possitnè esse vlli creatæ substantiæ intellectuali connaturalis, non agitur de ijs, quæ de facto iam conditæ sunt. Fatentur enim apertissimis verbis & consonum se existimare rationi, nulli omninò rei creatæ posse esse connaturale lumen gloriæ; & videre se, plusquam consonum esse Scripturæ, vt gratiam, ita & visionem beatificam, præmiumquè ipsum supra naturam esse rerum omnium, quas Deus in suam beatitudinem reipsa condidit. Sed tractatur absolutè de huiusmodi creaturis, quæ ab infinita, & inhesauribili Dei potentia absoluta possunt fieri. Et consequenter hæc potẽtia esset quidem naturalis factibili huic creaturæ comparata; diceretur tamen illa creatura fieri non per ordinariam Dei potentiam, sed absolutam. Ordinaria enim potentia Dei illa dicitur, quam concipimus, vt exequentem determinationem factam huius tanti, ac talis vniuersi condendi: Illa verò dicitur absoluta, quæ Deo sine tali determinatione conuenit, qua in infinitum semper plura, atquè perfectiora creare potest. Versatur itaquè in eo quæstio; Vtrum per hanc Dei potentiam vlla creatura intellectualis possit fieri; cui naturalis sit, vel esse possit visio Dei beatifica, & similiter gratia, charitas

ficas, lumen gloriæ, fides, aliaquè similia, quæ necessariò antecedunt. vel consequuntur huiusmodi visionem. De quibus omnibus simul tractabitur. Accedamus igitur ad secundum promissum.

Prima sententia est, cuius an Auctor sit A.R.P. Ludouicus Molina nescio, Sectator eius est certè acerrimus; qui fatetur, nullam sibi occurrere rationem, quæ ei oppositum non dico demonstret, sed satis persuadeat; habere autem argumenta, quorum solutio non omninò expleat intellectum; suadentquè, vt tandem assentiatur. Ex disputatione secunda ipsius ad quintum articulum, q.12. primæ par. Sancti Thomæ elicio, quæ sequuntur argumēta pro hac sententia; quæ affirmat visionem beatificam, lumen gloriæ, gratiam, & similia posse esse connaturalia alicui creaturæ.

Primum est. Ratio, qua probatur lumen gloriæ, nulli omninò rei posse esse connaturale, non id demonstrat, vel persuadet: ergò opposita ei sententia non est reijcienda. Ratio autem, qua probari illud dicit, talis ab eo formatur. Dispositio ad formam ignis, calor scilicet, non potest esse connaturalis, nisi igni, Dispositio ad formam Solis similiter non potest esse connaturalis nisi Soli, Splēdor scilicet, ita dispositio ad Deitatem, lumen gloriæ, nō potest esse connaturalis alicui, nisi id, quod illud reciperet, esset Deus. At rem creatam esse Deum implicat contradictionem: ergò contradictionem etiam implicat rei creatæ esse connaturale lumen gloriæ. Interposuit verò parenthesim in hanc de lumine isto loquēs. Quod participatio quædam est naturæ diuinæ, per quam res creata, quæ illam recipit, deiformis efficitur: Vt ego credo, ad probandam similitudinem luminis gloriæ ad Deitatem, cum splendore ad Solem, caloreque ad ignem.

Probatur ergò, Antecedens negatiuum assumptum. Respondendo huic rationi tripliciter.

Primò. Negando participationem essentiæ diuinæ non posse esse connaturalem participanti, nisi sit Deus. Quod demonstrat. Nam omnis forma creata est participatio quædam diuinæ naturæ, Licet non ita per anothomasiam, sicut formæ supranaturales, & potissimum visio,

quæ suprema est. Et tamen hoc non tollit, quominus quædam dispositiones connaturales sint rebus creatis, vt voluntas, & intellectus humanus, & Angelicus, secundùm quas participationes homo, & Angelus ad imaginem Dei conditi sunt: vndè dici possunt Deiformes.

Secundò Respondet negando assumptum illud, lumen gloriæ esse connaturale Deo, vt splendor Soli, vel igni calor. Ratio est, quia hoc lumen est accidens, & quid creatum: ergò repugnat esse in Deo, vt calor in igne. Quò fit; vt non sit necesse, id cui lumen hoc esset connaturale, fore Deum.

Tertiò respondet. Posse dici vti de splendore, qui in summo connaturalis est Soli, citrà summum in certis gradibus potest esse connaturalis alijs sua natura lucidis, vel factis, vt astris, lucernæ, vel quæ à Deo fieri possent astris nouis, &c. Et item de calore, in summo dicitur igni connaturalis, citrà summum in certis gradibus potest esse alijs calidis connaturalis, vt naturalis dispotio eorum: Ita & lumen gloriæ in summo quidem connaturale Deo est, in gradu citra summum alicui substantiæ, quæ potest à Deo fieri, erit connaturale.

Secundum argumentum est. Dato quocunque intellectu virtutem habente finitam ad intelligendum, potest Deus facere perfectiorem. Et nomine intellectus non solum potentia intelligatur, sed etiam substantia, ad quã sequitur potentia ipsa intellectus; nomine verò perfectionis accipiatur non solum perfectio accidentalis, sed etiam substantialis. Hæc propositio hoc modo declarata probatur ex omnipotentia, quæ omnem datam perfectionem excedere creando semper valet. Ex qua infero: Ergò potest Deus facere intellectum, qui perfectione sua substantiali hoc totum consurgens ex intellectu Gabrielis actu creati, & lumine gloriæ in eo reperto superet, & excedat: ergò hic nouus intellectus per sua naturalia Deum videre beatificè poterit. Prima consequentia probatur. Nam totum illud consurgens est quid limitatum, Secunda verò; Nam si id, quod est imperfectius, aliquid potest producere, vel operari; magis id potest operari, quod perfectius est.

Si di-

Si dicas Gabrielis intellectum esse quidem perfectione minorem, esse tamen alterius ordinis à naturali, propter adiunctum lumen gloriæ; & propterea Angelum de nouo creatum, etsi perfectiorem non posse eam elicere diuinæ essentiæ visionem, quam Gabriel elicit, sicut visus non potest olfacere propter diuersitatem formalium rationū illorum sensuum, licet olfatus perfectior sit. Contra arguitur, & sit principale etiam

Tertium argumentum. Imò verò intellectus Gabrielis lumine gloriæ illustrati, & noui huius Angeli non differunt ratione, sed intra eandem speciem differunt penes magis, & minus potentes esse: ergò iste perfectior, ac potentior eandem Diuinæ essentiæ visionem producere potest, quam potest Gabrielis intellectus, cum suo illo lumine. Consequentia est euidens; Antecedens autem probatur. Nam Deus, vt in seipso est, continetur sub obiecto intellectus naturali vtriusquè Angeli: alioquin neuter (etiam intellectus Gabrielis gloriæ quantocumquè lumine superaddito) ad videndum Deum eleuari posset, vt est in seipso: Vndè patet, quàm diuersum exemplum data responsio ponat. Obiectum enim olfatus est extra totam latitudinem obiecti visus; ideòquè sensus sunt specie differentes, & neuter neutrius obiectum percipere potest, siuè perfectior, siuè imperfectior sensus sit.

Quartum argumentum est. Intellectui, vt intellectus est, non repugnat esse proportionatum essentialiter, seu per essentiam suam Deo, vt est in seipso, clarè videndo: ergò non repugnat intellectui creato esse connaturale lumen gloriæ, aut visio Dei. Antecedens dupliciter probatur. Primò. Nam intellectus diuinus tali diuinæ essentiæ visioni est hoc modo proportionatus: ergò, &c.

Secundò. Nam Deus consideratus secundùm quòd in seipso est, non est extra latitudinem obiecti intellectus. Alioquin vti sensus non potest eleuari ad intuendum Deum, propterea quòd est extra sui obiecti latitudinem; ita nec posset ad eandem visionem eleuari intellectus creatus. Consequentia probatur. Quia non re-

pugnat

pugnat intellectui creato habere substantialiter tantam perfectionem, quantam habet intellectus animæ D. Petri informatus lumine gloriæ, qui Deum modò videt, vt est in seipso. Cùm enim hic intellectus, lumine gloriæ etiam adiuncto, sit finita perfectio; potest eam Deus, & adæquare, & superare in alia Creatura sua, ratione iam dicta, quia potest semper in infinitum meliora producere.

Quintum argumentum est. Deus potest facere substantiam entitatiuè perfectiorem omni accidente: ergò potest facere substantiam perfectiorem, quàm gratia, & lumen gloriæ, & charitatis; Itemquè perfectiorem omni creata substantia, considerata etiam cùm omnium prædictorum accidentium perfectione: ergò potest facere substantiam, quæ ex naturali sua perfectione sola poterit videre Deum, vt in seipso est. Consequentia probatur. Quia si id potest substantia creata ex lumine gloriæ, quæ minus perfecta est; cur non id possit illa substantia, quæ supereminet vtrisquè simul sumptis, lumini scilicet gloriæ, substantiæquè intelligenti per ipsum? Antecedens probatur. Substantiæ genus est nobilius nouem generibus accidentium: ergò si potest dari accidens exsuperans entitatiua perfectione omnes modò creatas substantias, (vt multi sentiunt de gratia, quibus R.P. Molina consentit) multò magis potest Deus de potentia sua absoluta facere substantiam nobiliorem omnibus accidentibus. Rationabile siquidem est latitudinem totam substantialis perfectionis possibilem, superare totam latitudinem, quantacumquè Deo possibilis est, accidentalis perfectionis.

Sextum argumentum est. Nihil est diuinius ipsa substantia diuina, diuinoquè intellectu: ergò substantia creabilis à Deo substantia ipsa sua superans creatæ substantiæ, eiusquè intellectus etiam cum lumine gloriæ informante, huiusquè luminis perfectionem magis erit diuini ordinis, quàm sit hæc modo creata substantia cum suo intellectu, & gloriæ lumine. Antecedens videtur esse per se notum. Consequentia probatur. Primò, quia

talis

talis substantia magis refert perfectionem diuini ordinis, quàm ipsum gloriæ lumen, quod est illa imperfectius. Secundò, quia absurdum est, è duabus perfectionibus, quarum vna est maior alia, eam, quæ minor est, esse diuini ordinis, eam non esse, quæ maior est.

Septimum argumentum est. Gratia, & lumen gloriæ sunt in seipsis naturæ quædam; quæ comparatæ substantijs modò creatis sunt supernaturales, vtpotè comparatæ inferioribus: ergò substantia à Deo creabilis præstantior his modò creatis naturis, etiam gratia, lumine gloriæ, & similibus accidentibus adornatis, erit in se natura quædam, & tamen erit supernaturalis comparata his inferioribus, eritquè diuini ordinis: ergò vti modò creatæ substantiæ per supradicta accidentia gratiæ, & luminis gloriæ possunt Deum, vt est in seipso, videre, ita illa creabilis substantia poterit Deum videre, vt in seipso est, per seipsam.

Confirmatur. Esse naturale, vel supernaturale, esse vnius, vel alterius ordinis per accidens est, quoad posse, vel non posse videre Deum: quod perse ad hoc facit, est habere vim, ac proportionem ad tale obiectum, Deum scillicet, quem supra probatum est non esse extra latitudinem obiecti intellectus. Quarè cum Deus possit semper perfectiorem intellectum creare, deueniri potest ad substantiam intelligentem continentem huiusmodi vim, ac proportionem: & consequenter potest dari creatura, quæ Deum per seipsam videre possit. secundum quòd est in seipso.

Octauum argumentum est: Hæc sententia diuinam potentiam exaltat, asserens ei effectus tales, ac tantos: ergò debet amplecti, quasi diuinæ gloriæ magis consentanea.

His argumentis R. P. Molina, ita cędit, ut dicat cogi se assentiri huic opinioni; præ sua tamen modestia remdiffinire non velit: Speret tamen decursu temporis aliorum examine difficultatem acri à se apertam discussione in hanc partem contradictionis diffiniendam, ac suffragijs approbandam. Hæc de secundo, quod promisimus

O dicta

dicta sint; accedamus ad tertium.

SECVNDA SENTENTIA est Diui Thomæ, quā ex extraneis ab eius Schola his temporibus sequitur Gregorius de Valentia ad par. pri. Diui Thomæ 12. 4. in fine, attestans fuisse etiam Scoti 4. dist. 49. quæst. 2. quæ partem negantem tenet. Hanc quia veram arbitramur conabimur rationibus confirmare. Vndè respondetur quæstioni propositæ, Et sit.

CONCLVSIO VNICA. Nequè gratia, nequè charitas, nequè lumen gloriæ, nequè visio beatifica, qua Deus, vt est in seipso videtur, nequè fides potest esse connaturalis vlli factibili per diuinam potētiam creaturæ.

Prima ratio. Si cui creaturæ possibili fieri gratia esset connaturalis, illa creatura Deus esset. Hoc implicat apertissimam contradictionem: ergò etiam contradictionem implicat gratiam vlli creaturæ esse connaturalem. Conditionalis probatur. Substantia continens in se substantialiter participationem diuinæ essentiæ, vt in seipsa est, & distinguitur à toto ente possibili est diuina substantia propriè, & non vt quædam dicuntur esse diuini ordinis: at cui creaturæ gratia esset connaturalis, illa substantia substantialiter contineret participationem diuinæ essentiæ hoc modo sumptæ; ergò esset Deus. Minor propositio probatur. Nam gratia est diuinæ essentiæ hoc modo sumptæ participatio, teste Spiritu sancto per os Apostoli Petr. 2. cap. 1. ergò continens in se substantialiter gratiam continet etiam substantialiter participationem essentiæ diuinæ. Maiorem propositionem quidam probant, eò quòd nihil potest esse præstantius participatione diuinæ essentiæ tali modo sumptæ, nisi diuina ipsa substantia. Sed hæc ratio non mihi probatur.

Primò, quia licet isti credant gratiam esse ens præstantius subiecta ei substantia entitatiuè, & simpliciter; est tamen etiam opinio aliorum huic contraria non parum probabilis, quam & nos aliquandò secuti sumus.

Secundò, Quia opposita sententia concederet id quidē, dùm sistimus intra latitudinem substantiarum factarum;

ſed dicunt aliquam poſſe fieri gratia, & omnibus eam conſequentibus perfectiorem, vt patet ex dictis: Oportet itaquè propoſitionem iſtam alio modo probare. Attende igitur.

OMNE Accidens alicui connaturale ad ſubſtantiam, cui connaturale eſt, reducitur tamquam ad propriam, & per ſe cauſam: ergò oportet ſubſtantiam illam ſubſtantialiter continere illud accidens. Sed per oppoſitam ſententiam gratia eſt accidens connaturale alicui ſubſtantiæ creabili; ergò continebit hæc ſubſtantia ſubſtantialiter in ſe gratiam, ergò continebit ſubſtantialiter participationem diuinæ eſſentiæ, vt eſt in ſeipſa. Tunc vltra (quod propriè eſt ad propoſitum probandæ illius maioris.) Quod continet ſubſtantialiter in ſe participationẽ alicuius, eſt per eſſentiam illud participatum; ſemper enim participatio rei reducitur ad id, quod eſt per eſſentiam: ergò continens in ſe ſubſtantialiter participationem diuinæ eſſentiæ, vt eſt in ſeipſa, eſt Deus per eſſentiam. Quarè, vt dicebamus, ſequetur creaturam, quam dicit ſententia oppoſita continere ſubſtantialiter in ſe participationem deitatis, vt in ſeipſa eſt, eſſe Deum eſſentialiter.

Confirmatur, & explicatur breuius hæc ratio. Gratia eſt participatio eſſentiæ diuinæ, vt eſt ſimpliciter in ſeipſa; at omnis participatio reducitur, vt ad per ſe propriam cauſam, ad tale per eſſentiam. Ergò ſi gratia eſt vlli creaturæ omninò, factæ, vel factibili, connaturalis, reducetur ad illam creaturam, vt ad per ſe propriam cauſam: & illa creatura erit talis, ideſt Deus per eſsentiã.

Confirmatur ſeu explicatur ſecundò. Habens participationem accidentalem diuinæ naturæ eſt participatiuè Deus accidentaliter, & è conuersò; qui eſt accidentaliter participatiuè Deus, habet naturæ diuinæ participationem accidentalem: ergò, qui habet naturæ diuinæ participationem ſubſtantialiter, eſt ſubſtantialiter Deus. Hæc conſequentia patet ex vi proportionis. At ſi cui creaturæ gratia, & conſequenter participatio eſſentiæ diuinæ, (id enim gratia eſt diffiniente Apoſtolo Pe-

ctro) eſt connaturalis, illam oportet ſubſtantialiter habere eiuſdem eſſentiæ participationem: quia connaturalitas paſſionis conuincit præexiſtere in illo ſubiecto ſubſtantialiter cauſam illius paſſionis, à qua fluxu naturali fluit, & quo naturali fluxu eſt illi connaturalis: ergò conuincit in illa tali creatura eſſe ſubſtantialiter participationem diuinæ eſſentiæ, ſiuè cauſam propriam, & per ſe participationis diuinæ eſſentiæ. At cauſa propria, & per ſe huiuſmodi particapationis, quæ fingi alia poteſt, niſi deitas ipſa? ergò erit Deus: quod eſt intentum argumenti.

An volumus rem iſtam ſtrictius, ac valentiſſimè explicari? Illud (aio) ad quod reducitur tanquam ad propriam per ſe cauſam id, quod eſt tale per participationē, eſt tale per eſſentiam: ex communiſſimo omnium axiomate. Gratia, & conſequenter participatio deitatis, vt eſt in ſeipſa, per te concedentem ipſius ad aliquam creabilem naturam connaturalitatem, ita reducitur ad creaturam factibilem, cui eſt connaturalis: ergò illa creatura erit Deus per eſſentiam ſuam. Minor probatur, quia illud, quod alicui eſt connaturale, aut eſt illius ſubſtantia, aut in ipſam ſubſtantiam rei, c eſt connaturalis, vt in per ſe propriam cauſam reducitur.

Nè quæſo, diſpliceat, ſi tàm diffusè, varièquè tractaui hanc rationem: volui enim euidentem vim eius oſtendere ijs, qui adeò minimi eam hactenus æſtimarunt, vt quaſi floccipenderent: quod an conſecutus ſim, vos ipſi doctiſſimi Auditores iudices eritis. Sed interim.

Dicet quis. Nonnè ſubſtantia, imò entitas creata quælibet eſt participatio deitatis? ſiquidem effectus deitatis ſunt; & conſequenter ſunt eius ſubſtantialiter ſimilitudines participatæ, cum effectus agentis ſimilitudo ſit. Nec tamen propterea ſunt ſubſtantialiter Deus.

Quarè diligentiſſimè.

Aduertendum eſt; Maximam eſſe differentiam inter gratiam, & ſubſtantiam, ſeu entitatem quamlibet naturalem. Nam gratia entitas diuina eſt, ſecundùm quòd eſt in ſeipſa ſecundùm totam plenitudinem, & (ſi licet

ita

ita loqui) latitudinem deitatis, participata tamen: Seu est participatio deitatis, secundùm quòd in seipsa est simpliciter, & absolutè. Ideoquè per eam formaliter efficimur filij Dei Consortes Naturæ Diuinæ simpliciter, & absolutè, nulloquè penitus addito. At reliquæ entitates naturales quæcunquè sunt participationes Deitatis, vt Deitas quasi secundùm quid consideratur, & non simpliciter. Declaro hoc ex ipsa causalitate finali in Deo. Deus enim, vt finis vltimus consideratur dupliciter. Primò, vt finis vltimus naturalis; à quo, & ad quem rectitudo naturalis voluntatis præcisè sumpta dependet. Secundò, vt finis vltimus simpliciter, & secundùm se, à quo, & ad quem superadditus ordo gratiæ, & rectitudo voluntatis sub gratia, vel habita, vel debita haberi dependet. Et primò quidem modo consideratus vtiquè quid infinitum importat. Nam quis dubitet ab eo sic considerato semper in infinitum produci posse perfectiores creaturas puta Angelos, sinè vllo ordine ad gratiam? cùm ex vniuersi creatione, substantiarum separatarum, animæ rationalis non solum fides, sed etiam humana ratio demonstrauerit in eo infinitam omninò virtutem? Attamen hoc primo modo spectatus consideratur quasi subordinatus sibi ipsi spectato secundo modo; adeò ratio vltimi finis simpliciter, & absolutè, quo modo accipitur in ordine gratiæ Deus, scilicet, vt simpliciter, & absolutè in seipso est, præstat rationi finis vltimi naturalis. Et propterea Theologi omnes naturalem rectitudinem supernaturali dicuut rectitudini esse subordinatam.

Et hinc sequitur. Primò etiam rationem primi principij supernaturalium in ipsa licet simplicissima Deitate formaliter, imò realiter (sed eminenti quodam modò) distingui. Nam ordinem finium, & ordinem agentium oportet ad inuicem esse proportionatos, vti Diuus Thomas demonstrat ex eo; quòd omne agens propter proprium finem operatur, & finis per se primò mouet agentem.

Secundò. Sequitur etiam effectus adinuicem distingui, & non posse vnam, eamdemquè rem per se primò perti-

nere ad has duas rationes principij primi, quamuis res naturales omnes ad supernaturales subordinari possint. Itaquè substantiæ quidem omnes, earumquè accidentia connaturalia participationes quædam assimilantes Deitatis sunt, quasi limitatę, & secundũ quid sumptę primo modo. Deitas enim quasi ars immensa quædã, & illimitata in se limitatè tamẽ imitabilis, & participata secũdùm quòd idea, & exemplar est, aut singularum rerum, aut vniuersi totius, aut etiã singularum, licet innumerabiliũ, semperq; perfectiorum substantiarum creabilium, ad seipsam, vt in seipsa est, comparatur, vt secundum quid ad simpliciter. Vndè non bearetur intellectus simpliciter, si omnes huiusmodi creaturas in seipsis videret, & ex eis, in eisq; videret Deum, vt earum auctorem, eo modo, quo Angelus quilibet in seipso Deum naturaliter, ac necessariò videt, si Deum ex ipsa eius substantia, vt est in seipso, non videret. Et propterea nihil impedit hanc participatam hoc modo similitudinem Deitatis esse substantialem creaturæ (quomodo oẽs Angeli similitudines subsistentes participatæ sunt deitatis) nec sequitur indè, quòd sint Deus.

At si Deitas substantialiter participaretur secundùm quòd consideratur in seipsa simpliciter, & absolutè, quomodò accipitur Deus, vt auctor gratiæ, & finis supernaturalis; impossibile esset participantem Deum substantialiter hoc modo non esse Deum. Id verò sequitur ad sententiam dicentem gratiam, quæ est participatio, & consortium Naturæ Diuinæ hoc modo sumptæ ab aliqua natura, aut virtualiter, aut realiter, formaliter hoc modo fluere: quod significatur dicendo, esse illi connaturalem. Oportet enim in illa creata substantia esse principium productiuum participationis naturæ diuinæ penitus illimitatæ, & vt in seipsa simpliciter est, & absolutè sumptæ. Quod principium si quis non viderit esse ipsammet Deitatem simpliciter, & absolutè; aut est cęcus omninò, aut prorsus ad contradicendum proteruus. Stat itaquè fixum immobiliter eos, qui creaturæ vlli factæ, aut factibili gratiã tribuunt, vt connaturalem, per propriæ vocis suæ ignorationem, facere creaturam illam Deum.

Et ex

Et ex his potes intelligere cur Sanctus Doctor 1. 2. 110. 2. ad 2. intulerit, gratiam necessariò esse accidens; ex eò, quòd id, quod est in Deo substantialiter, in anima fit participatiuè per gratiam. Considerauit enim in Deo ipsam Deitatem simpliciter secundùm se, & non quasi secundùm quid, & partialiter, & quasi ideam, exẽplarquè rerum; quo modo à substantijs creatis substantialiter participari potest modo dicto, videlicet, vt secundùm ipsas earum substantias sint participatę similitudines Deitatis. An hæc sint meditatissimè aduertenda vos Auditores, & doctissimi, & prudentissimi Iudices estote.

Secunda ratio. Ex aliqua natura creabili nata est gratia sequi tamquàm connaturalis, ergò à tali creatura peccatum committi implicat contradictionem: Idque naturaliter loquendo. Antecedens est sententia opposita: Consequentia deducitur. Si naturaliter loquendo posset peccare, Aut illud peccatum gratiam non excluderet, aut excluderet. Non primum, ita scilicet quod possent esse simul peccatum, & gratia, ex consensu vniuersorum Theologorum, & ex ratione habitus, & priuationis. Nam licet aliqui disputent, vtrum de potentia sua absoluta posit Deus in homine conseruare gratiam, etiã vbi in mortalem culpam ceciderit: sine vlla tamen controuersia omnium Theologorum sententia est, secundùm rei naturam, non posse gratiam remanere cum mortali peccato, vti nequè lucem cum tenebris. Nequè secũdùm. Nam si gratia asseratur illi creaturæ substantialis per nullam potentiã separari põt ab ea gratia; cum substãtialia, etiam ratione inseparabilia sint ab eo, cui substantialiter insunt: si verò fluit ab illa natura quasi passio; esto per omnipotentiam Dei iuxta quorundam disputantium sententiam separari posset, miraculosè scilicet; implicat tamen quamuis passionem naturaliter posse separari à subiecto, cuius passio est. Ex quibus infero talem creaturam etiam constitutam in via, & seclusa diuina essentia, eiusquè beatifica visione, futuram impeccabilem: quia in tali adhuc statu posita inseparabiliter annexam habitura esset formam necessario à suo subiecto excludẽtem omne pecca-

tum mortale, scilicet gratiam. Quòd ipsi certè R. P. Molinæ repugnat; censenti in eadem quæstione impeccabilitatem sine influxu Diuinæ essentiæ in ratione speciei intelligibilis, & eius benefica visione haberi non posse. Nisi fortè dicas hanc nostram rationem conuincere quidem exclusionem mortalis peccati, quod solum repugnat gratiæ. Sed parum hæc fuga valet. Tùm primò, quia R. P. Molina loquitur de liberi arbitrij consolidatione in Deũ, quæ non exigit peccati venialis exclusionem, vt ex Apostolis patet, qui de seipsis in gratia confirmatis (externo tamen dono) verè dicebant; si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. 1. Ioan. 1. Et in multis offendimus omnes. Iac. 3. Tum secundò, quia neque exclusio possibilitatis peccandi, etiam mortaliter, vlli creaturæ etiam factibili per naturæ vires conuenire potest. Liberum namquè arbitrium, quod à superiore regula dependet, cui non est necessariò coniunctum, mortali peccato obnoxium effici potest. Tale autem est omne liberum arbitrium productum ex nihilo. Sed hóc non huius loci est.

Tertia ratio. Ex Sacra Scriptura habemus gratiam Dei vitam æternam esse Rom. 6. Et gratiam, & gloriam dari à Domino. Psal. 83 ergò gratia, & beata visio non possunt esse creabili substantiæ connaturales. Consequentia est apertissima. Non enim requireretur noua aliqua superaddita Dei operatio, si ex ipsa rei natura posita, visio Dei, quæ gloria ipsa est, haberi posset. Longè minus oporteret dari à Deo gratiam, si fluit ex data natura. Neque verò in gratiam, sed in naturam tamquàm in primam, propriam tamen, causam reduci oporteret; quia gratiæ proprium principium esset natura, ex qua flueret, tamquàm passio connaturalis.

Quòd si opposita sententia respondens, distinguendo consequens; concedat non posse ista connaturalia esse creatis reuera de facto substantijs; & de ijs Scripturas loqui interpetretur; neget id autem de substantijs, quæ à Deo fieri possent, de quibus Scriptura non agit: Contra hanc doctrinam mihi occurrit.

Primò,

Primò. Ex quonam Patre, aut Doctore Ecclesiæ intellectum hunc expiscauerit, quem Scripturis affigit, quòd de modò actu creatis substantijs loquantur? Cur non potius dicamus Scripturas ostendere, quid conueniat naturis ipsius gratiæ, & gloriæ, scilicet non ex natura, sed ex libera Dei actione haberi? Ideòquè in quacumquè natura creabili idem asserendum esse secundùm Scripturas?

Secundò. Non possumus illam Scripturam Roman. 11. Quis nouit sensum Domini, aut quis Cõsiliarius eius fuit, interpretari de creatis de facto naturis, sed de naturis creatis, quatenus creaturæ sunt; quæ ratio communis est omni rei posibili: ergò à fortiori non possumus easdem interpretari de visione Dei danda ex gratuita Dei actione pro ijsdem actu factis creaturis. Et consequentia est apertissima; quia longè altius est ipsum in seipso videre Deum, quàm sensum eius; Imò ratio, cur Dei sensus videri non potest, ea est; quia Deus est nobis inuisibilis.

Tertiò. Vim facit Scripturis; qui dicit in aliqua creatura posse dici; Non gratia, sed natura est vita æterna: Sequitur verò id ex opposita sententia; quæ vt ad primã radicem, ac propriam, vitam æternam reducit per gratiam in naturam rei; quæ proprium, immediatumquè esset principium gratiæ sibi connatnralis.

Quartò. Hoc dictum æterna vita effectus est, vel esse potest naturæ, & contra omnium Patrum loquelam, & aurium piarum est offensiuum. Exsibilanda igitur ex tota Ecclesia est sententia ista; nec sustinendum videtur, vt de ea mentio vlla fiat.

Quòd si Patres non explicauerunt Scripturas intelligendas non solùm de factis, sed etiam de substantiis, quæ possent fieri, Indè natum est; quòd Spiritus Sanctus, quo humiles illorum animi pleni erant, insinuabat superfluam esse hanc distinctionem; quia naturæ gratiæ repugnare videbant haberi ex natura; & naturæ gloriæ repugnare haberi ex alio principio, quàm gratiæ.

Quarta ratio. Connaturalitas ad subiectum, & gratia Dicunt rationes ex terminis ipsis inter se repugnantes: ergò gratia nulli factibili creaturæ potest esse connaturalis.

ralis. Consequentia est plusquàm apertissima. Antecedens probatur. Connaturale significat debitum naturæ: debetur enim principijs id, quod natum est ex eis sequi: Gratia verò significat non debitum. Alioquin gratia iam non est gratia. Quis autem non videat debitum, ac non debitum esse repugnantia?

Confirmatur. Rationi gratiæ repugnat esse ex operibus ex Diuo Paulo ad Roman. 4. propter rationem debiti; quia scilicet ipsi gratiæ secundùm suam diffinitionem, & naturam conuenit esse non debitam. Quid ergò dicemus (attendite Apostoli verba acutissimi Auditores) inuenisse Abraham patrem nostrum secundùm carnem? Si enim Abraham ex operibus legis iustificatus est, habet gratiã, sed non apud Deum. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum. Ei autem, qui non operatur, credit autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundùm propositum gratiæ. Et adiunge illud eiusdem Cap. 11. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Vides quomodò ex ipsa diffinitione, & natura gratiæ procedit? Ergò etiam naturæ gratiæ repugnat esse connaturalem vlli, vel possibili creaturæ. Ratio sequelæ euidentissima est; quia omne alicui connaturale est illi debitum.

An dicent aduersarij repugnare quidem gratiam esse connaturalem naturæ factæ, non autem factibili. Sed inutilis profectò fuga hæc fuerit. Argumentum siquidẽ vrget ex ipsis rationibus terminorum. Debitum enim, & non debitum rationes sunt cõmunes tam factibili, quàm factæ creaturæ. Et præterea; Quis etiam non eluderet D. Pauli argumentum dicendo, gratiam quidem non esse ex operibus creaturæ iam factæ, posse tamen esse ex operibus alicuius substantiæ creabilis?

Sed vt vim argumẽti si possit fieri, euadant; fortè dicẽt, gratiã quidem nõ esse debitam reuera factis actu naturis; posse autem debitam esse alicui, quæ à Deo posset fieri.

Sed

Sed contra. Primò. Aut gratia in factis, & in possibilibus creaturis eiusdem, vniusquè rationis est, aut non est vnius rationis, & eiusdem. Si hanc secundam partem negantem concedant. Sequitur: ergò dantur diuersæ species gratiæ gratum facientis. Id verò.

Primò, vel sola nouitate sua animos à se abalienat. A sæculis enim antiquissimis hoc non est lectum, vel auditum hactenus.

Secundò repugnat rationi. Nam participatio Deitatis, vt est in seipsa simpliciter, & absolutè, non potest esse nisi vnica. Vndè enim differentiam accipiet? non à subiecto: cuius vtpotè materiæ recipientis, non est speciem mutare: Vndè & modò tàm in Angelis, quàm in animabus eadem specie gratia est. Non ab re participata; quia Deitas, vt in seipsa est simpliciter, & absolutè considerata, & re, & ratione simplicissima, & maximè indiuisibilis necessariò est. Non à modo participandi, quia iste tantum differt secundùm magis, & minus in eadem forma; quæ speciem non variant. Cum itaquè nihil assignari queat distinctiuum, remanet gratiam athomæ speciei, & omninò indiuisibilem esse.

Tertiò quæro. Species illa gratiæ in creatura factibili essetnè substantia, an accidens? Non substantia. Quod enim est in Deo substantialiter, ipsa sua inquam Deitas simpliciter, & perfectè sumpta, non potest in alio participari substantialiter, quin illa res Deus sit: & consequenter simul esset creatura Dei, & Deus sui Creator; Chimera, imò plusquam chimera omninò non intelligibilis. Sed nequè asseri potest fore accidens. Nam si esset accidens imperfectius, quàm gratia animarum nostrarũ; nulla vel fingi posset ratio, cur substantiam requirat his iam creatis nobiliorem factibilem, cui debeat esse connaturalis. Si diceretur accidens æquale secundùm perfectionem huic nostræ gratiæ; vis rationis inuicta reluctaret: cui est euidens, duas rerum species sub eodem immediato genere, non esse æquales, vti nequè numerorum species inter se. Restaret igitur eam fore hac nostra gratia, perfectiorem. Id verò Primò, omnibus vniuersim

Docto-

Doctoribus repugnat asserentibus concorditer non posse dari accidens præstantius gratia, qua Diuinæ efficimur naturæ consortes. Repugnat secundò etiam rationi. Nisi enim detur aliquid nobilius Deitate ipsa secundùm se simpliciter sumpta, quod formaliter participetur, Implicat cõtradictionem esse aliquid nobilius gratia, quæ Deitatis hoc modo consideratæ formalis participatio est. Demonstratum ergò est, non posse secundam partem illã negantem dari. Quod si, vt necessarium est, dent primum partem affirmantem, gratiam etiam in possibili creatura eiusdem esse rationis cum hac nostra, qui fieri potest, vt hæc nostra subiectæ sibi substantiæ non sit connaturalis, illa verò connaturalis sit substantiæ; quæ illi subijceretur? Certè nulla ratio, &c.

An dicent etiam nostram connaturalem fore substantiæ alicui factibili; cuius differentia illustrior constitueret substantiam, cui gratia deberetur, vel ex qua gratia quasi connaturalis passio flueret?

Sed contra. Primò. Ista substantia à Deo esset, vt auctore naturæ, an vt auctore gratiæ? Supra namquè in ipso Deo has duas rationes distinximus. Non secundo modo, quia tota latitudo entitatis illius substantiæ, genus scilicet, & differentia non sumitur ex ordine ad gratiam, nequè secundùm rationem assimilationis Deitatis, vt in seipsa simpliciter, & secundùm se est: quia secundùm hunc modum ostensum est nõ posse dari specificam distinctionem; sed secundùm quòd ars est, exemplarquè rerum: ergò erit à Deo, vt auctor naturæ est: totaquè secundùm suam substantiam erit ens naturale. At ens naturale non potest esse principium proprium supernaturalis entis, vt posset efficacissimè demonstrari, nisi superuacaneũ esset in re patentissima rationibus vti non necessarijs: Nec item potest sibi vindicare tamquàm connaturalem rem, quamuis ordinis supernaturalis: ergò non potest dari vlla substantia, cui gratia animabus nostris infusa sit vllo modo connaturalis: præterea.

II. Confirmatur, (& põt esse quarta contra responsionẽ instantia.) Adhùc vrget quartum principale argumentum præce-

præcedens. Gratia quoad essentiam suam est non debita: ergò nulli factæ, aut factibili potest ehe connaturalis. Antecedens patet, quia alioquin Paulus non potuisset inferre hanc consequentiam gratia est ex operibus (quod significat esse secundùm debitum, vt patet ex eius declaratione supra posita ex 4. ad Rom.) ergò gratia iam non est gratia. Hæc siquidem illatio destructæ naturæ gratiæ supra hoc tantum fundari potest, scilicet de gratiæ natura est esse non debitam.

Tertiò confirmatur, (& valet ad principale intentum quarti principalis argumenti) ex ipso nomine gratiæ. Non potest enim vocari gratia respectu eius, cui comparatur, vt gratia, si non datur gratis. Alioquin quid prohibet etiam naturales passiones, vti risibilitatem, & integrales partes, vt manus, & oculos, imò & essentiales, vt animam ipsam vocare gratiam hominis? Vndè & Pelagius aiebat, nos ex gratia mereri vitam æternam; quia intellectum, ac voluntatem, liberum scilicet arbitrium appellabat gratiam, teste Diuo Augustino.

Quamuis vi coactus veritatis, ideò Hæreticus ille liberum arbitrium nominaret gratiam, quia datur gratis, dū libera Dei voluntate fit, vt homo producatur: adeò omnem gratiam dari gratis, tamquàm per se notum rationi offertur.

Quartò confirmatur eodem modo (vt scilicet valeat ad principale intentum argumenti.) Ex ipso quid rei gratiæ sumpto ex duobus Apostolis. Gratia est Consortium Diuinæ naturæ, quo creatura intellectualis generatur in filium Dei, quæ propositio habetur. 2. Petr. 1. & primæ eiusdem. 2. cap. At tale consortium regeneratiuum in filium Dei ex mera pendet eiusdem voluntate Dei. Quæ propositio habetur ex Iac. 1. voluntariè (inquit) genuit nos verbo veritatis, ergò gratia ex mera Dei voluntate habetur, & nullo modo debita esse potest ei, cui datur, naturæ, seu facta sit, seu factibilis esse dicatur.

Proindè ex diffinitione argumentatus Paulus ad Eph. 2. probauit; Non saluari nos ex operibus, sed ex gratia per fidem, quia scilicet donum Dei est: quæ argumenta-

tio nihil valeret, si donũ quolibet modo sumeretur; cum & ipsa opera sint dona Dei; quod & olim Isaias Prædicauerat, omnia opera nostra operatus es in nobis; & Paulus ipse annunciabat, Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere; & Christus ipse suo ore docuerat, sine me nihil potestis facere. An verò, glossabitur in naturis factis, non autem in possibilibus? Sed ratio Apostoli procedit ex diffinitione, quam in possibilibus etiam naturis infusæ gratiæ conuenire oportet, & vim eandem suam in omnibus exercere. Alioquin posset alius cauillari glossando; Pauli dictum verum esse quidem in nobis, qui à peccato saluamur; & negare illud comparatione Angelorum; qui non à peccato iustificantur, quod & plusquam erroneum esset, & contra hanc ipsam sententiam. Sed arguo secundò, contra hanc solutionem, & simul potest esse.

Quinta ratio principalis. Gratia, & fides sunt donum Dei tale, vt nullo modo sint ex nobis, atquè adeò; vt nemo posit gloriari de gratia, vel fide. At si vlli, vel factibili creaturæ esset vllo modo connaturalis, posset illa creatura gloriari: ergò non potest vllo modo esse alicui connaturalis. Maior habetur ex Apostolo ad Ephes. 6. Gratia (inquit) estis saluati per fidẽ, & hoc non ex vobis. Donũ enim Dei est, & vt non ex operibus; vt ne quis glorietur. Vult igitur esse tale donum, vt de eo quis gloriari non posit, (ex quo concludit, quod non ex operibus. Posset enim homo gloriari de opere, quo gratiam comparasset) itemquè quòd non ex nobis. Minor patet euidenter. Nam etsi nulla res seipsam generet; gloriari nihilominus profectò potest homo præ bestijs; quòd ratione vigeat, liberèquè operetur; quasi ex ipsa sua natura præstantiori ista sibi, non illis conueniant, ac debeantur.

Sexta ratio. Quod alicui conuenit tamquàm pasio propria, conuenit ei secundùm totam latitudinem rationis eius, aut si quo minus, secundùm certam saltem, determinatamquè latitudinem. Sed gratia nulli creatæ, vel creabili naturæ hoc modo conuenit; ergò nulli

creatæ

creatæ naturæ, vel creabili potest tamquàm passio conuenire, quo tamen modo conuenire necesse est, si est vlli connaturalis. Maior patet inductione, in luce comparatione Solis, cui conuenit in summo, in calore comparatione ignis, & similium, quæ secundùm totam latitudinem subiectis suis conueniunt. Quòd si stellæ lucem habent propriam luce Solis minorem, vt passionem propriam: habent singulæ stellæ limitatam lucem, vti & de calore in limitatis gradibus opinio prima dicebat alijs calidis ab igne distinctis inesse. Quin, & Cæli secundùm rationem principij passiui vendicant sibi motum circularem cum determinata limitatione tùm polorum, tùm velocitatis; nec possunt excedi metæ huiusmodi motuum, nisi per miraculum (quod supra naturæ leges existens ad huius difficultatis examinationem nihil prodest) ita vt nec idem Cœlum velocius, vel super alios polos naturaliter possit moueri, neque tarditatem alterius adæquare, si mouetur velocius. Sed & in promptu ratio est ad dictum maiorem. Natura siquidem, & quantum potest, & eodem modo semper operatur. Minor probatur quoad primam partem.

Primò: Si vlli creaturæ gratia conueniret secundùm totam gratiæ latitudinem: aut gratiæ latitudo esset ex sua natura finita, quod falsum esse supponimus: aut talis creatura haberet actu gratiam infinitam: cùm passio subiecto suo actu insit: quod non solum ratione conuincitur impossibile, p. p. q. 7. ar. 3. & 4. Sed etiam ex fide monstratur erroneum: quæ Christo summam gratiam datam esse docet: Et consequenter si eius gratia finita sit, omnem etiam gratiam alterius creaturæ oportet finitam esse; & si infinita sit, similiter oportet finitam esse cuiuslibet alterius gratiam, cùm duo in eadem specie indiuidua infinita esse non possint.

Secundò: Sequetur talem creaturam operibus suis in gratia non posse crescere, quamuis in via esse supponatur. Quomodò namque esse potest augmentum rei vltra totam rei latitudinem?

Tertiò. Sequetur non posse à Deo fieri substantiam tali

tali creatura præstantiorem: Quia vel deberetur ei, vel saltem capax esse posset maioris gratiæ, vltra totam gratiæ latitudinem; quod implicat.

Quartò. Sequeretur ex ipsa natura rei seclusa omni extrinseca Dei ordinatione hominem nullo modo posse supra talem creaturam crescere in charitate, & gratia; sed præfixum esse illi terminum sub tali creatura, quantumuis viuat, ac semper intensius operetur: quod statim offertur, vt absurdum. Et ratio sequelæ est; quia non potest homo operibus adipisci totam latitudinem gratiæ; quæ quantò crescit amplius, tantò potest etiam vlterius augeri, nedùm vt eam excedat.

Sed præterea quis dicat vllum operando transcendere posse totam latitudinem gratiæ? Sed non oportet omnia persequi incommoda, quæ consequerentur ex isto membro: Quod satis apertè excluditur hoc quinto argumento. Quia scilicet gratiæ latitudo infinita est, cùm crescere in infinitum probetur, 22. 24. 7.

Secunda pars minoris probatur. Primò, (quo argumento etiam prima pars eiusdem probari videtur.) Nam siuè creabilis huius substantiæ via posit, siuè non posit diuturna esse, constareque actionibus multis, hæc tamen conditionalis debet esse vera, In quacumquè creatura viatrice gratia semper crescere potest. Nam de gratiæ, & charitatis natura est, vt in via positæ semper possint augeri. At data hypothesi, gratiam scilicet esse in hac determinata mensura, (imò etiam absolutè) connaturalem, non potest eius gratia crescere ergò non potest esse connaturalis. Minor probatur; quia non remanet ei principium, vndè crescat. Augmentum enim gratiæ fit ex operibus auxilio diuino ex charitate factis; auxilio inquam speciali. At auxilium Dei speciale non habetur circa ea, quæ connaturalia sunt; siuè igitur ad augmentum exigatur actus intensior præexistente charitate, siuè sufficiunt actus remissiores etiam, cùm non habeantur ex speciali auxilio, quod non concurrit ad opera formarum connaturalium, ergò in tali creatura gratia crescere non poterit.

Secun-

Secundò. Prætermissa hac de augmento charitatis, & & gratiæ creaturæ huius difficultate: Probo minorem quoad secundam partem. Nulla potest ratio esse, cur gratia in tali determinata mensura, puta in decimo, vel duodecimo gradu sit connaturalis, & non in alio supra gradum illum: ergò in nullo gradu erit connaturalis.

Et consequentia quidem, vt manifesta relinquitur. Antecedens autem sic deducitur. Aut enim hoc nascetur ex natura gratiæ, aut ex natura subiectæ ei substantiæ, neutrum potest esse ratio huiusmodi determinationis. Nō primũ. Nam primò, Gratiæ natura ex parte sui vnica, & indiuisibilis est, eodemquè modo, & ordine ad quamuis sui capabilem substantiam se habet, & secundùm quemlibet gradum cuilibet inesse potest. Alioquin afferatur talis diuersitatis ex parte naturæ gratiæ reuelatio facta; cùm eam nos aliter cognoscere nequeamus, sicut nequè gratiam; absurdum autem esset diuinationes, anticipatasquè sententias nostras in rebus talibus sequi.

Secundò. Quia cum ratio quæratur talis determinationis gratię consequentis in subiecto per modum passionis; non potest ipsa gratiæ natura, vel limitatio causa talis esse, ne ipsa sit sibimet causa, quod implicat, vt patet, ex quo etiam probatur huius propositi membri non fuisse necessariam mentionem, sed de secundo tantum oportere esse sollicitos. De eo igitur aio.

Primò. Non secundum illud, naturam scilicet subiectæ substantiæ posse esse causam talis limitationis. Nam in tali substantia contemplari duo possumus. Primum genericum ipsum gradum intellectualitatis; Secundùm gradum specificum, seu differentialem. Ex neutro potest haberi ratio talis limitationis: ergò, &c.

Non ex gradu generico: quia talis gradus communis est cunctis substantijs intellectualibus. Si esset ratio, cur vel ipsa gratia absolutè, vel secundùm specialem aliquã limitationem esset connaturalis, gratia absolutè, vel saltem eo modo limitata omnibus intellectualibus substantijs esset connaturalis; quod etiam in sententia prima aduersaria nostræ falsum est: & probatur ex animabus

nostris, quibus gratia ex mera Dei liberalitate datur secundùm Scripturas. Non ex gradu differentiali haberi posse etiam probatur. Supponendo talem gradum duobus modis habere se posse ad genericum.

Primò. Vt intra illius latitudinem contineatur, scilicet intellectualitatis,eo modo, quo omnis differentia animalitatis sensitiuitas quædam est, omnisquè differentia pedalitatis est quædam pedalitas.

Secundò. Vt eleuans gradum illum genericum ad altiorem gradum, eo modo,quo rationalitas animalitatem exaltat ad excellentiorem vitæ rationem: Nequè primo modo se habens hic differentialis gradus potest esse ratio, cur substantiæ factibili gratia, vel absolutè, vel secundùm limitatam mensuram sit connaturalis; nequè etiam sumptus secundo modo: ergò absolutè ex tali gradu non potest sumi ratio ista connaturalitatis. Hæc propositio æquiualet duobus dictis.

Primi dicti ratio est.Prima.Omnes enim illi differentiales conceptus,& gradus intra latitudinē sunt intellectualitatis:ergò quod est ordinis superioris,& eleuatioris respectu vnius gradus talis est etiā superioris ordinis respectu cuiuslibet alterius: ergo gratia,& absolutè, & secundùm quēuis gradum,quæ non est,nec esse potest connaturalis vni gradui,nulli omninò potest esse connaturalis.Prima consequentia declaratur Exemplo:Omnes differentiæ intra animalitatis gradū consistentes brutorū genus, speciesquè constituunt,quia non dicunt aliquid transcendens sensititiuitatem.Quemadmodum libertas in operando superioris ordinis est respectu vnius differētiæ, ita & respectu omnium:Et sicut est impossibile vnam dari sensitiuitatis differentiam,quæ non comparetur ad libertatem agendi,vt res inferioris ordinis ad rē ordinis superioris, esto illæ differentiæ, ac per eas constitutæ species in infinitum multiplicentur, siuè id possibile, siuè impossibile sit: ita in proposito sicut gratia ad animas nostras, Angelosquè modò creatos comparatur tamquàm perfectio ordinis superioris, ita necessariò comparabitur ad omnes alias species, differentialesquè gradus intellectualis naturæ possibiles

biles intra gradum intellectualitatis contentas. Ratio verò probans est. Quia quod est hoc modo eleuatius vna tali differentia, eleuatius est ipso generico gradu, cuius est differentia, & consequenter est eleuatioris ordinis quolibet differentiali gradu intra illum contento.

Secunda verò consequentia probatur. Quia implicat contradictionem rei ordinis inferioris esse connaturalem vllam perfectionem, quæ superioris est ordinis. Nam quod est connaturale, congeneum est: alioquin quid non fingi posset cuilibet connaturale? Deindè de ijs, quæ sunt rei connaturalia, haberi potest scientia, & demonstratio: habent enim propriam in subiecto causam, propter quam sunt connaturalia, & per quam possunt sciri, & demonstrari: at eorum, quorum scientia, & demonstratio est, idem est genus Aristot. teste primo posterior. cap. 7. Et postremò non potest causa inferior esse effectu suo. Est autem res subiecta causa eius, quod illi connaturale est: ergò non potest esse inferioris ordinis comparata ei, quod illi est connarurale.

Secunda Ratio primi dicti. Intantum gradus genericus participat perfectionem superioris ordinis, inquantum coniungitur cum differẽtia distinctiua ordinis superioris vt patet in omnibus, quæ nouimus generibus. Corpus enim si intra corporeitatis latitudinem consistit, ab alio tantum mouetur: si debet esse mouens seipsum, oportet per differentiam animati eleuari ad gradum vitæ; Vt Viuum possit gignere sentientem, eleuandum est per differentiam sensitiuitatis; vt sentiens participet discursum, & cognitionem substantiæ, eleuandum est per differentiam rationalitatis. At intellectualitatis gradus genericus comparatione gratiæ est ordinis inferioris: ergò oportet alicui differentiæ nistinctiuæ ordinis superioris specificanti coniungi; quod est impossibile. Minor probatur. Si gradus ille genericus esset æqualis, aut maioris perfectionis, vel ordinis comparatione gratiæ; In quocumquè reperiretur semper esset æqualis, aut maioris perfectionis. Nam differentiæ specificantes per se numquàm destruunt, aut minuunt essentialem generis conditionem, cùm rationem

habeant ad eum, quasi formæ, & actus, cuius est non destruere, aut diminuere, sed perficere materiam suam. At in animabus nostris, & in tot speciebus actu creatis admirandæ perfectionis, etiam per sententiam primam, talis gradus non est eiusdem ordinis, aut perfectionis, sed inferioris, quàm gratiæ: ergò talis genericus gradus non est secundùm se maioris, aut æqualis, sed inferioris ordinis. Impossibilitas ex hypothesi data in hoc primo dicto patet: in quo scilicet supponimus gradum differentialem non excedere totam latitudinem intellectualitatis, sicut neque differentiæ sensitiuitatis, quæ brutum animal constituunt in speciebus suis.

Secundi dicti ratio prima est. In tota latitudine entis creati naturalis non potest dari gradus entis altior, & nobilior intellectuali substantia: ergò genus substantiæ intellectualis non potest per vllam differentiam per se eleuari ad aliquod genus nobilius. Et consequentia quidem apertissima est. Antecedens autem Caietan. visus est affirmare sub formidine tamen p.p. quæst. 50. p. p. Bagn. autem ad eundem articulum constantius affirmauit, pluribusquè confirmauit rationibus: nobis autem visum fuit, dùm interpretaremur eundem articulum efficaciter demonstrari, ex eo; quòd genus intellectualitatis est, secundùm quòd Altissima, supremaquè operatio conuenit Deo, qua etiam beatur. Quòd si operatione cognoscitur forma, vt aiebat ille ex puro lumine naturali, quia forma ratio agendi est: ergò etiam ex suprema operatione, suprema forma, & gradus operantis substantiæ agnoscédus est. Quòd si addideris secundùm intellectualem hanc operationem ineffabili, nedum admirabili modo sanctissimam ipsam Trinitatem personarum consistere, dùm Pater intelligendo verbum generat, & ambo amando Spiritum sanctum spirant: quis dubitare possit intellectualitatem supremum esse gradum entis creati naturalis, quæ illius Naturæ diuinæ secundùm quòd intellectualis imperfecta quidem, & æquiuoca similitudo est: est tamen similitudo analoga.

Notanter autem vtimur illa voce gradum entis. Nam pro-

propriè entitatis gradus ille est, qui subsistens est, vel in seipso, vel in suis differentijs, ac indiuiduis, nullo egens extrinseco, in quo subsistat: quo modo accidentia quæuis non dicunt gradum entis, sed potius modum. Quocirca modò non volumus quippiam ex dictis nostris arripi posse ad quæstionem illam, vtrum gratia sit entitatiuè nobilior, vel ignobilior, quàm anima, vel substantia, etiam completa, quæ illi subijcitur.

Secunda ratio. Si dari potest altior iste gradus entis, quæro; quomodò se habebit differentia eius constitutiua, & consequenter ipsummet constitutum ad gratiam? Num Primò. Quasi ipsa gratia sit ipsum constituens differentia, aut alio modo idem illi substantialiter? Id verò dupliciter ostenditur impossibile. Primò, quia quod accidit vni, non potest alteri esse substantia in rebus vniuocè dictis: At gratiæ tam rerum actu iam creatarum, quàm creabilium vniuocè dicuntur gratia, cum sit vnius athomæ speciei, vt supra probatum fuit: ergò cum gratia in creatis iam naturis sit accidens, non potest in creabili natura esse substantia. Secundò. Nam ratio gratiæ ad substantiam comparatæ ratio accidentis est ad subiectum finitum: ergò non potest substantia vlla finita identificare sibi accidens, seu (tantumdem hoc quidem est, licet formaliter sit diuersum quiddam) non potest gratia idētificari cum substantia finita: & antecedens quidem de facto patet ex ipsa gratia in anima nostra, & in Angelis inuenta, quæ amissa prorsus irreparabiliter perpetuò est in damnatis. Consequentia probatur. Ratio distinctionis gratiæ, & substantiæ illi subiectæ, est limitatio entitatiua subiecti: ergò vt subiectum gratię eam sibi identificet, oporteret auferre ab eo entitatiuam limitationem. Et consequenter esse illimitatum, & infinitum ens; quod esset esse Deum. Videtis quàm sit id impossibile? Sed est etiam tunc considerandum gratiam in Deo, seu ente illimitato esse non posse formaliter: quia dicit participationem Deitatis, entitatisquè illimitatæ, quam repugnat esse in eo, quod est reuera essentialiter illimitatum ens, & Deus. Vndè hæc propositio gratia substantiæ identifica-

tur destruit omninò seipsam. Huius rationis vim inuictissimam, qui eam volet distinctius, & acutissimè penetrare (nec enim omnia debemus, & quasi infinita persequi) Commentarium peracutissimum Caietani ad p.p. 54. articulo primum, illam declarat. Sunt etiam aliæ rationes, quæ ex supradictis adhiberi ad hoc idem possunt.

Num secundò ita, vt distincta quidem maneet, sed naturaliter consequatur, vt passio, ad talis substantiæ principia? Id verò probatur esse impossibile. Primò. Quia cum talis substantia per differentiam constituatur pertinentem ad ordinem natuæ, nè per apparentiam quidem potest esse principium, aut quasi connaturale vindicare sibi rem, quæ ordinis est supernaturalis,

Sed dicunt hanc ipsam substantiam ordinis supernaturalis esse. Siquidem potest aliquid naturale ens esse, quia consideratum in seipso natura quædam est: & est etiam ens supernaturale, quatenus alijs inferioribus comparatur.

Ego verò profectò miror, quomodò cadere hoc potuerit in mentem virorum doctrina, ac pietate præstantium.

Si namquè hæc doctrina sit vera; nulla erit ferè res naturalis, quæ ordinis supernaturalis non sit. Quæ enim non habet aliquid seipsa ignobilius? Quas enim vires habet lux ista Solis ineffabiliter penè excedentes, & elementorum qualitates, & mixtorũ virtutes admirabiles? Quot sunt & simplicium herbarum, & metallorum proprietates occultæ has sensibiles qualitates quasi ad miraculum excedentes? Ex Indijs frequentissimæ, & animalium, & piscium, & vrgultorum, & radicum, species adducuntur, quæ in admirationem, nè dicam stuporem nos adducunt. Tacebimusnè rationis nostræ tàm penè diuinam Maiestatem in infinitum penè omnia sensibilia superantẽ? Sed tacebimus certè Angelorum varias, & inæstimabiles virtutes; quæ licet incognitæ nobis sint, attamen quia sunt, ex istis sensibilibus cognoscuntur. Omnia igitur ista censebimus esse supernaturalis ordinis, sicut & gratia?

tia? quod ex doctrina ista necessariò colligitur? At verò non denominatur res supernaturalis ex comparatione ad alteram inferiorē, vt hæc doctrina fingit: sed est absoluta prædicatio essentialis de re comparata ad causam suam, & ad subiectum. Quæ enim res exigit necessariò causam non naturalem, aut saltem non vt princidium naturæ, & ordinis naturalis, & ad quam subiectum potentiam non habet naturalem, sed sola gratuita Dei voluntate recipitur, ea supernaturalis est, siuè habeat, siuè non habeat inferiora. Alioquin vt dictum est, & Cœli, & anima quælibet; rationalisquè præsertim, & Angeli quoad ipsam substantiam suam res erunt substantialiter ordinis supernaturalis.

Secundò. Nam gratia hæc nostra, & gratia cuilibet factibili naturæ conueniens eiusdem sunt rationis, ac speciei: ergò vti hæc nostra gratia simpliciter ens supernaturale est, excedens vires naturales cuiuscunquè limitatæ naturæ, & supra omnem potentiam actiuam, passiuamquè subiecti sui, quod formaliter per illam Deo gratum, acceptumquè fit ad vitæ æternæ felicitatem, imò supra omnem huiusmodi potentiam cuiuscunquè creabilis substantiæ, vt probatum fuit supra; ita etiam gratia cuiuscumquè substantiæ, quæ à Deo potest creari, supernaturale est ens comparatione cuiuscumquè subiecti. Quòd si quis negare velit eam esse rationis eiusdem, Primò quidem reuincetur rationibus suprà positis; deindè omninò dimittendus est. Frustra enim disputat, an gratia hominibus data posit esse alicui naturæ creabili connaturalis.

Et hoc argumento, si acutè penetretur, & accommodatè adhibeatur, tamquàm ratione valdè principali cōclusionem facilè persuadebit. Quarè ad Conclusionem.

Septima Ratio sit. Gratia nequè ex natura gratiæ, nequè ex substantiæ eam recipientis gradu generico, nequè ex gradu eiusdem differentiali potest esse vlli creaturæ factibili connaturalis: ergò non potest vllo modo connaturalis esse. Et cum consequentia clarissima sit, ex resolutione ad ea, vndè connaturalitas haberi potest; Antece-

dens autem sit diffusè, efficaciterquè probatum; conclusio, vel demonstrata est; aut certè persuasibilis effecta, ét assertoribus primæ sententię, nisi mea me fallit opinio.

Octaua ratio. De gratia Dei ex lib. Iob, cap. 9. Si venerit ad me non videbo illum, & si abierit nō agnoscam, Theologi communiter omnes affirmant, non posse quempiam scire an insit, an verò non insit; & tamquàm fidei dogma id prædicant; ergò hoc idem dicendum est de cuiuslibet creaturæ, quæ à Deo posset fieri, gratia huic nostræ vniuoca: ergò non potest vlli factibili naturæ esse connaturalis. Hæc vltima consequentia probatur. Nam quæ sunt alicui connaturalia, non solum possunt demonstrari in esse ex ipso quod quid est, seu diffinitione subiecti; sed & demonstrantur in esse necessariò. Imò substantiæ intellectuales, quales Angeli sunt, eorum quæ sibi, vt pasiones connaturales insunt in sua substantia, necessariò habent euidentiam.

Nona ratio sit, quam ex doctrina Sancti Doctoris 1. 2. 109. art. quinto; hoc modo elicio. Deus secundùm quòd consideratur, vt est in seipso simpliciter, absolutè, ac perfectè, obiectum est, finis, & agens excedens quamcumquè creaturam factam, vel factibilem sumptam cum omnibus, quæ ei naturaliter debentur. Quam propositionem probo. Nam qualibet data creatura semper potest facere perfectiorem, nec vlli compàrari potest, vt obiectum, aut finis illi proprius. Quod enim proprium Deo est obiectum, & finis, non potest creaturæ esse proprius. Hoc autem modo sumptus Deus proprium ipsi Deo obiectum, ac finis est: ergò, &c. Et ne dicas Deus hoc modo sumptus secundùm totam (liceat ita loqui) latitudinem suam obiectum proprium Deo est, vndè solus Deus seipsum comprehendere potest; sed citrà latitudinem totam potest esse proprium obiectum, ac finis naturæ alicuius creabilis ei connaturalis; Arguo sic. Non potest Deus esse connaturalis finis, & obiectum creatæ, vel posibilis creaturæ, nisi secundùm quòd Deus Auctor est creaturæ illius: At Deus non est Auctor creaturæ illius secundùm quòd ipsemet in seipso simpliciter, &

absolutè

absolutè est: ergò non potest etiam citrà illam latitudinem Deus esse obiectum, & finis vllius etiam creabilis naturæ. Maior patet, quia agens, & finis proportionata sunt. Imò finis agentis est introducere, seu producere similitudinem sui. Minor probatur. Quia Deus secundùm rationem personalitatis, vt sic, non est agens. Vndè verbis personalitas in humanitate nostra non concurrit agendo ad vllam actionem. Item adde, quia Deus, vt auctor huius quasi secundum quid accipitur, & in infinitum distat à seipso simpliciter sumpto, vt in seipso est. Stat igitur assumptæ propositionis veritas solida. Et infero. Ergò nullius omninò creaturæ aptitudo, vel actus naturalis, seu connaturalis nasci potest à principio intrinseco proportionato Deo, vti in seipso Deus est. Hæc consequentia probatur: quia tale principium in infinitum distat, & non est proportionatum Deo, vt est in seipso, sed tantum vt Auctor illius naturæ est. Tunc vltrà: ergò nullius creaturæ aptitudo, vel actus naturalis, aut connaturalis potest esse proportionatus huic fini, qui est Deus, vt in seipso simpliciter est. Ratio huius sequelæ est; quia contradictionem implicat, aptitudinem, actumuè connaturalem posse excedere virtutem operatiuam sui principij. Tunc vltra: ergò implicat etiam contradictionem, posse dari creaturam, cui sit gratia connaturalis. Sequela probatur. Nam tunc habere posset actum proportionatum huic fini, qui est Deus, vt est in seipso simpliciter.

Et valet hæc ratio, etiam si cõnaturalitas ex solo passiuo principio sumatur. Nam Cœlo conuenit circulatio, vt actus ei connaturalis, & proportionatus, eò quòd ex intrinseco principio passiuo conueniat.

Decima Ratio. Ea, quæ sunt connaturalia, non possunt per se primò conuenire pluribus specie inter se distinctis, sed opus est vnum dari, cui primò conueniant, & per ipsum cæteris, quæ propositio à nobis est demonstrata, 5. lib. elementorum rationalium, & expresè habetur ex Aristot. 1. Poster. cap. 5. Et apparet apertissimè in tactu; Qui non per se primò conuenit omnibus animalis speciebus, sed animali, vt sic. Subsumatur modò sententia, nobis

nobis opposita: Gratia connaturalis esse potest alicui factibili creaturæ, & consequenter pluribus specie distinctis; alijs scilicet creaturis, quæ à Deo fieri possunt nobiliores illa data, quæ gratiam connaturalem habet, vt hęc sententia dicit: non omnibus ergò per se primò conuenit, sed primò vni, & per illum cæteris. Quæro tunc: Illud vnum eritnè creatum quid specie vnum, an genere? Non primum, creatum scilicet quid specie vnum. Oportet enim illud vnum, cui primò quid, cōuenit, vt proprietas connaturalis, reperiri in omnibus illam proprietatem participantibus; in condistinctis autem speciebus vllam speciem reperiri impossibile est: ergò, &c.

Non secundum, vt scilicet creatum quid sit vnum genere. Nam fingere noua genera, quibus substantiæ factæ à possibilibus fieri distinguantur, chimera est omninò impossibilis. Remanebit igitur, illud vnum esse quid increatum: quod esset fatuitas implicans contradictoria; cùm vult in compositionem creati increatum posse venire.

Et rationes quidem istæ omnes aptari facilè possunt ad charitatem, quæ gratiam consequitur necessariò, & ad lumen gloriæ, quod in patria charitati, & gratiæ correspondet. Sed sunt aliæ pertinentes ad visionem beatificam, quas in gratiam Aduersariorum adducam; vt si fieri potest, hæc eis sententia persuadeatur, si omninò demonstrari non potest.

Vndecima Ratio itaquè sit. Notitia Dei, qua est in seipso beatus, ita propria Deo est, vt prorsus apertam implicet contradictionem, eam esse, aut posse fieri vlli creabili naturæ connaturalem: ergò visio beatifica, qua à Creatura Deus in seipso videtur non potest vlli creaturæ omninò esse connaturalis. Et ex hoc sequitur, nequè gratiam, nequè lumen gloriæ, quæ necessariò eam præcedunt, vnà cum charitate, siuè in via, siuè in patria, in qua ad talem visionem sequitur necessariò, posse esse connaturalia. Eadem enim ratio est de ijs, quæ necessariò præexiguntur, aut consequuntur ad operationem, ac de operatione ipsa in tali materia. Antecedēs videtur esse per se notum: attamen probatur. Nam operatio sequitur

quitur formam, cùm forma ratio agendi sit; ergò propriā formam sequitur propria operatio: ergò cui non potest esse connaturalis diuina essentia, quæ formæ locum habet, nequè etiam operatio. Consequentia probatur. Quia eadem operatio est, qua Deus, & qua omnes alij beantur. Sed audio indignabundam ferè responsionem aduersarij.

An (dicet) eadem numero operatio est, qua Deus beatur, & creatura? Sed argumenti robur inuictum viget, quod hoc pacto explicatur.

Operatio specie eadem formam sequitur eandem specie: ergò siqua operatio specie eadem est, & connaturalis, necesse est etiam connaturalem esse formam eiusdem speciei, vel (si plures numero formæ tales esse non possint) oportet eandem numero formam esse connaturalem ijs, quibus connaturalis est operatio eadem specie. Sed visio, qua ipsum Deum nos in seipso videmus, qua etiam beamur, & visio, qua Deus seipsum beatificè videt, eiusdem sunt speciei: ergò vt implicat contradictionem apertissimam diuinæ essentiæ formam vlli, vel possibili creaturæ esse connaturalem, ita & beatificam visionem ei connaturalem esse similiter implicat.

At minor illa non solum negabitur ab aduersarijs; sed irridebitur. Qui enim potest creatæ rei, qualis visio nostra est, & increatæ, qualis est visio, qua videt se Deus, esse species communis? Huic obiectioni

Respondetur. In duplici esse considerari posse huiusmodi operationes; Entitatiuo, & Intelligibili. In hoc secundo esse considerata visio nihil est aliud, quàm ipsum existere intelligibiliter Deum, vt in seipso secundùm se sumitur Deus, fluens ab ipsa Deitate, quæ consideratur, vt forma intelligibilis faciens intellectum esse ipsum Deum intelligibiliter in actu primo. Hoc enim modo, vt patet, & effectiuè ab ipsa Deitate, vt in seipsa est specificatur; & ad ipsammet terminatur obiectiuè: Ita vt nulla intercedente specie impressa, vel expressa intellectus beati fiat (intelligibiliter tamen) ipsemet, vt est in seipso, Deus; per Deitatem quidem, vt formam intelligibilem

effecti-

effectiuam, ac terminatiuam, per ipsum intelligere verò tamquàm per actualem existentiam. Est autem proprium existentiæ à forma specificari, ad quam sequitur. Cùm itaquè & in Deo, & in omnibus beatis eadem, etiam numero, forma Deitatis, vt in seipsa simpliciter est, sit ad quam, & nostra visio, & illa, qua se Deus videt, consequitur, vt proprium existere: ergò & operatio Dei, & nostra operatio beatifica eadem specie est inesse intelligibili, vt intelligibile.

At in primo esse entitatiuo vtiquè non possunt in vllo genere, ne dùm in eadem specie conuenire. Sed hoc esse in intelligendi opere consideratur per accidens. Et ideò argumentari ab hac distinctione ad distinctionem in esse intelligibili omninò est inutile. Non est autem inconueniens à creatura haberi supra suæ naturæ facultatem, operationem propriam Dei in isto esse intelligibili, vti est impossibile illam haberi, tamquàm connaturalem. Nam proprium vni esse cõnaturale alteri implicat ex ipsis terminis; non tamen repugnat per gratiam alteri communicari. Pro hac ratione videatur Caietanus pri. par. 14. primo, & quarto.

XII. Ratio, qua etiã præcedens confirmari potest. Visio Dei nõ potest vlli factibili creaturæ connaturalis esse, nisi sit ei connaturalis vnio intellectus sui cũ diuina essentia, tãquàm speciei intelligibili. Atqui hanc vnionẽ implicat esse connaturalem rei creabili: ergò. Maior conditionalis probatur. Nam ex ipsa natura beatificæ visionis Dei nascitur, vt produci nequeat, nisi per ipsam Deitatem, vt in seipsa simpliciter est sumptam, quasi intelligibilem formam intellectus (vt etiam R. P. Molina consentit) ex subtilissima doctrina vtriusquè Thom. p. 12. 2. Implicatio verò contradictionis in minori subsumpta probatur. Eorum, quorum distantia inter sese est prorsus infinita, coniunctionem ad inuicem, in ratione actus, & potentiæ implicat esse connaturalem. Cuiuslibet naturæ creatæ intellectus, & essentiæ diuinæ, vt in seipsa simpliciter est, distantia inter se est prorsus infinita, quod non eget vlla confirmatione: ergò eorum coniunctionem implicat esse con-

ſe connaturalem. Maior huius pro ſillogiſmi eſt euidens, ex diffinitione connaturalitatis, quæ rei ad rem imporportat determinatam proportionem, & conſequenter eſt neceſſariò inter res finitas ad inuicem comparatas.

Confirmatur. Alioquin quid prohibebit dicere, poſſe fieri ſubſtantiam, adeò nobilem, tàm quoad naturam, quàm quoad connaturalem ſibi gratiam, cui ſit connaturale vniri Verbo Dei vnione hypoſtatica? Afferatur quæſo ratio diſparitatis.

Neque verò poteſt quiſpiam cauillari, dicens, argumentum quidem concludere in naturis reuera factis, non autem in factibilibus. Nam ratio procedit ex intrinſecis rationibus creaturæ, vt creatura eſt, Dei, vt Deus, & con naturalitatis, vt connaturalitas eſt; quia ex finitate, infinitate, proportionis determinatione, quæ pariter in facta, & factibili creatura neceſſariò reperiuntur.

Decimatertia Ratio. Cognitio fidei non poteſt vlli creabili intellectui eſſe connaturalis; ergò longè minus poteſt eſſe connaturalis viſio beatifica. Conſequentia patet; quia iſta continet illam, ſed cum euidentia, & conſequenter ſine imperfectione. Cui autem imperfectior connaturalis eſſe non poteſt, nulla cum probabilitate poteſt attribui tamquàm connaturalis ea, quæ perfectior eſt, & imperfectiorem continet. Antecedens verò probatur. Aut hæc fidei notitia eliceretur per ſubſtantiam ipſam talis creaturæ, aut alterius creaturæ, vel ipſius Dei, vel per ſpeciem ex aliqua ſubſtantia propria, vel aliena, vel ſaltem diuina fluentem. Ad aliquid enim horum neceſſe eſt reſolutionem fieri. Non per propriam, vel alterius creaturæ ſubſtantiam, (militat ſiquidem vna demonſtrans ratio in vtriſquè, qua ſola contenti erimus.) Nam tantum poteſt ex cuiuſuis, aut in cuiuſuis creaturæ ſubſtantia cognoſci Deus, quantum, & ſecnndùm, quòd illa creatura eſſet ſimilitudo Dei, cum vnumquodque per ſui ſimilitudinem cognoſcatur. At nulla creatura poteſt eſſe ſimilitudo Dei, ſecundùm quòd Deus ſub fidei notitia cadit: ergò, &c.

Probatur iſta minor. Creatura Dei ſimilitudo eſt, quatenus

tenus est effectus Dei, & Deus est illius causa: At licet Deus vnus, & trinus, causæ sit creaturarum, est tamen causa, non vt trinus. ita scilicet, vt illud secundùm quòd trinus est (quod est idem, ac dicere non secundùm personalitates, quæ relationes subsistentes sunt) causa sit creaturarum, quia personalitas, seu relatio ipsa diuina, subsistens, non est ratio agendi, nec habet vt sic, causalitatem effectiuam: ergò creatura quæuis ita est secundùm suam substantiam similitudo Dei, vt non tamen sit similitudo eius, vt Trini secundùm personas. At sub fidei notitia cadit Deus secundum quòd vnus, & trinus, vt patet ex ipsis articulis fidei. Nullius ergò Creaturæ substantia potest esse principium elicitiuum cognitionis fidei. Non per ipsam Dei substantiam; quia vt notitia fidei per substantiam ipsam Dei elicita cõnaturalis esset, oporteret ipsam substantiam Dei, aut saltem eius cum intellectu creabili vnionem esse connaturalem, quod duabus præcedentibus rationibus esse falsum, probatum est.

Quòd verò nequè per speciem emanantem à propria intelligentis creaturæ substantia, aut alterius creaturæ, euidenter probatur: Huiusmodi creaturarum substantiæ non sunt similitudines Dei, vt trini, & vnius; ergò nequeunt ex se producere similitudinem repræsentantem Deum, vt trinum: ergò neque principium possunt esse cognitionis Dei, prout obijcitur fidei, seu vt sub fidei notitia cadit. Quòd autem neque per speciem ex Dei substantia productam probatur. Nam vel talis species à Deo in intellectu creato produceretur necessariò, vel liberè. Si primum, ergò Deus aliquid extra se produceret necessariò, quod ab omnibus, tamquàm erroneum in fide, repudiatur: si secundum ergò talis speciei cum intellectu coniunctio liberè dependebit à Deo, & poterit inesse, ac non inesse: & consequenter non erit connaturalis. Quæ enim sunt connaturalia, habent causam per se, ac necessariam; ac præterea in re, cui sunt connaturalia.

An respondebitur primò. Deum quidem absolutè efficere ista liberè extra sè; attamen ex suppositione determinationis liberæ de creatura in tali perfectione creanda,

da; necessariò producturum in ea speciem repræsentantem Deum, vt est in seipso: sicut aliqui dicunt eum producere in intellectu Angelico species repræsentatiuas rerum creatarum.

Sed hæc responsio nulla est penitus. Nam libera determinatio creandi quippiam non potest inferre aliquid illi, aut alteri tribuendum, aut aliàs faciendum, nisi creabile illud védicet sibi hoc aliud necessariò, cuius necessitatis rationem in ipsa re, quæ debet creari, ponenda est. Alioquin ex quolibet posset inferri, quodcumque liberet. Si igitur hæc notitia fidei, & species non sit necessariò ex natura illius creandæ substantiæ annexa; ex præsupposita determinatione creationis illius pueriliter inferretur.

Respondebitur itaquè secundò. Connatuealia in duplici differentia esse. Primò, vt ab eo, cui sunt connaturalia tamquàm à principio actiuo fluentia, & ista necessariò inesse absolutè; quædam verò secundò, vt debita tantum, & quasi à principio passiuo; & ista non absoluta necessitate insunt, vti Cœlo motus connaturalis est, necessariòquè inest, non absolutè, sed supposita determinatione status rerum sub generatione, & corruptione. Et hoc modo notitiam fidei, & speciem ab essentia diuina productam futuram cônaturalem tali intellectui substantiæ creabilis à Deo, non primo modo.

Sed benè habet; quia id conceditur gratis, quod necessaria ratione euinceretur: notitiam fidei non fluere ex substantia quauis creabili, vti passio à principio actiuo. Nam dicendum prorsus necessariò esset talem creaturam naturaliter ordinari ad beatitudinem visionis diuinæ, ad quam fides ordinatur ex eius diffinitione, quæ ab Apostolo ad Hebr. 11. assignata fuit: Et tamen ex ipsa natura substantiæ producentis necessariò, & consequenter perpetuò, notitiam fidei, numquàm ad beatitudinem illam posset peruenire: quia euidens visio excludit notitiam vmbratilem fidei, & non posset vmquam succedere fidei perpetuò inexistenti. Si verò dicas successuram per miraculum, quo passio illa à Deo impediretur, vel

alio

alio modo remoueretur; quid vanius? Quis enim ferat affirmãtem institui quippiam naturaliter ad aliquid, quod nulla ratione naturali, sed per miraculum supra naturam solum possit obtineri? Non est hoc sapientiæ suauiter omnia disponentis.

Sed contra alteram partem responsionis probo non posse, aut beatificam cognitionem Dei, aut etiam notitiam eiusdem fidei esse cõnaturalem secundùm rationem principij passiui, aut debitam vlli omninò creaturæ. Eritquè simul ad principalem conclusionem principalis.

Quartadecima Ratio. Quæ sunt, etiam hoc ipso modo connaturalia creabili, ac propterea finitæ entitati, finita sunt; ita scilicet, vt non dicant aliquid, aut contineant aliquid infinitum, seu illimitatum. At Dei euidens visio, vt in seipso, scilicet Deus est, quiddam continet infinitum simpliciter: Et ipsa notitia fidei est quiddam illimitatum: ergò non possunt vlli creabili substantiæ esse connaturales, etiam isto modo, tamquàm scilicet secundùm passiui principij rationem naturæ debita. Maior probatur.

Primò. Nam alioquin nulla poterit ratioue probari, etiam vnionem personalem Verbi cum creatura non esse connaturalem.

Secundò. Et fortius: quia eorum, quæ connaturaliter connexa sunt, oportet esse ad inuicem coaptationem, drterminatamquè proportionem, alioquin omne, quod in creatura a Deo fieri potest, poterit dici connaturale; Atquè adeò etiam transubstantiatio panis, & vini in Christi Domini corpus, & sanguinem dici poterit paui, ac vino esse connaturalis. At inter finitum, & infinitum non esse proportionem determinatam. Axioma cunctis decantatum, ac per se notum est: ergò nihil infinitum, vel continens quippiam infiuitum simpliciter, potest esse connaturale, &c.

Minoris prima pars probatur. Beatifica visio tamquam proprium elicitiuum suum principium, & proprium obiectum intrinsecè terminatiuum continet ipsam diuinã essentiam, vt in seipsa est simpliciter: ergò aliquid infinitum. Vbi recolendum est infinitatem non conuenire

Deo

Deo, vt attributum quoddam, & proprietatem, sed vt ipsam essentiam, & quod quid est ipsius; atquè infinitatem istam in quacumquè ratione entis, entitatiuo, & intelligibili accipiendam. Simplicissima namquè illa Dei quidditas in sua ratione omne huiusmodi esse, omnemquè rationem essendi complectitur (etsi non omnes formaliter, sed quasdam rationes virtualiter solum contineat, quæ in sua videlicet vniuersali, differentialiquè ratione imperfectionem significant) eamquè omnem exaltat ad rationem infinitatis entis. Quo fit; vt nulla prorsus potentia haberi possit species representans ipsam, sicuti est in seipsa. Nam in quocumquè essendi genere, aut modo res vlla concipiatur, vt participata, in illo ipso genere limitatam concipi necesse est. Et consequenter omnem speciem, siqua fingatur impressa, expressauè, ab ipsa diuina natura immediatè producta, vel per intermediam causam qualemlibet, non solum in esse entitatiuo, sed etiam in esse intelligibili, seu representatiuo oportet esse finitam. Ex quo necessariò concluditur ipsammet essentiam diuinam, vt est in seipsa, proprijssimè esse proprium formale principium eliciendæ beatificæ visionis, & proprium intrinsecè terminum obiectiuè terminans eandem; ac propterea beatificam Dei visionem continere quoddam verè simpliciter infinitũ. Vt non immeritò à D. Thoma p.25.6.ad 4. dicatur non posse ea melius aliquid fieri. (Hæc applicari possunt vtilissimè ad art.2.q.12.p.p.S.Th.

Secunda pars minoris propositionis, notitiam scilicet fidei esse quid illimitatum, probatur. Notitiæ fidei formalis ratio est reuelatio diuina, qua cognoscuntur ea, quæ à libera Dei voluntate dependent: ergò est quid illimitatum. Antecedens sub dubio cadere non potest in animo viri Theologi. & tamen ex Caiet.22. p.2. p. accipi declaratio subtilissima potest, quæ ad præsens non est necessaria. Consequentia declaratur. Non enim volumus talem notitiam actu versari circa infinita obiecta. Nam sicut à libera Dei voluntate pendent in fieri, & à libera eius reuelatione in cognosci, de facto, vti res in determinato numero, pondere, & mensura fecit; ita & determinato

in numero reuelauit. Attamen cum ex eadem delibera-tione, ac reuelatione plura fieri, & cognosci queant; ideò fidei notitia ad plura semper extendi potest: & propterea quiddam est illimitatum; quemadmodum Dei voluntas, ac reuelatio actu quidem finita est, virtute autem nullis continetur limitibus.

Sed ad eamdem principalem Conclusionem, simulquè secundò contra secundam responsionem ad decimamtertiam rationem principalem fit.

Quintadecima ratio. Notitia fidei est eorum, quæ pertinent ad profunda Dei, & ad archana eius prorsus inscrutabilia, & quæ ex mera eius libertate dependent. Talium notitia nulli factibili creaturæ, hoc etiam modo, (secundùm inquam rationem principij passiui), potest esse debita, & connaturalis: ergò, &c. Minor probatur, quoad primam partem ex 1. Cor. 2. Vbi post illa verba; Nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum: Subiungitur statim. Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.

Quoad secundam partem probatur ex cap. 11. ad Roman. O altitudo (inquit) diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei; quàm incompræhensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis Consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, vt retribuetur ei? Ex quo loco secundùm cunctorum Patrum, ac Scholasticorum sententiam misterium prędestinationis vnius, & reprobationis alterius; vti Iacob, & Esau, de quo misterio fides notitiam tradit, archanum, inuestigabile concluditur, & conuincitur.

Quoad tertiam verò partem patet in ipso altissimo misterio Incarnationis, & alijs indè promanantibus tamquàm à fonte Paradisi exeunte ad irrigandam totam terram. Maior propositio ex terminis ipsis videtur esse per se nota. Quæ enim sunt connaturalia; ex natura illius, cuius comparatione sunt connaturalia, dependent saltem in cognosci: ergò non sunt profunda Dei, sed propatula; non archana, sed aperta, ac peruia non tantùm ex Dei volun-

tate

tate, & reuelatione cognoscibilia, imò etiam ex illa natura, cui sunt coaptata, & connaturalia.

Sextadecima ratio. Tàm propria Deo est beatifica visio sui quàm operatio miraculorum; imò verò magis: itemquè & intimior, & nobilior: sed operatio miraculorum nulli omninò creaturæ potest esse connaturalis: ergò multò minus visio Dei beatifica: & consequenter pari ratione gratia, lumen gloriæ, charitas, &c. Minor patet, quia operatio miraculorum est operatio solius agentis non subiecti legibus naturæ: omnis autem creatura, etiam quæuis à Deo possit fieri, legibus naturæ tùm suæ à Deo ei impositis, tùm vniuersalibus toti impositis vniuersitati, subiecta necessariò est. Certum est enim ab inferiore transcendi non posse leges superioris, omnipotentis præsertim, sinè voluntate eius præcedente; cùm sit omnium primum mouens, à quo omnium operationes omnes dependent. Et illud dictum omnia opera nostra in nobis operatus es Domine (vide quomodò Scripturæ ita de nobis actu creatis agunt, vt intelligi debeant etiam de possibilibus) necessariò debet extendi ad omnia, quæcumquè à Deo effici possunt.

Maioris prima pars probatur. Primò operatio, qua intellectualis natura beatur, omnibus (si plures habeat re, rationeuè distinctas) est præstantior, & maximè propria; præsertim verò si eam à nullo extra se posito vllo modo mendicat: sed prima intellectualis substantia (si tamen phas est, ita loqui de Deo) ipsa sui cognitione beatur; idquè ex seipsa: ergò, Visio erit, & omnium nobilissima, & Deo magis propria.

Secundò. Vt operatio miraculorum tamquàm ex prima, proximaquè causa nascitur ex ipsa Deitate secundùm seipsam totaliter, ac simpliciter; ita & visio, qua Deus beatur, imò & illa ipsa, qua nos beati erimus (ex eadem Deitate eodem modo sumpta nascitur, vt ex propria, ac proxima causa) ergò erit eodem modo Deo propria, quo & operatio miraculorum.

Quoad secundam partem probatur illa maior propositio. Nam semper actio immanens est, & intimior, & no-

bilior transeunte. Probatur hoc ex eo, quòd immanens actio in eodem agente est: isque natura est intellectualis: transiens autem in extrinsecam, alienamquè materiam exit, quàm non est necesse intelligentem esse: ergò illa est intimior, & item nobilior. Et hinc probari iterum potest idem, quod prius, visionem beatificam, qua sese intelligit, esse magis propriam Deo, quàm operationem miraculorum. Hæc enim operatio in coordinatione transeuntium ponitur, quæ agentibus omnibus etiam cognitione, & vita carentibus possunt conuenire; siquidem & ignis aerem, & calefacit, & illuminat. At visio sui ipsius non cadit, nisi in intelligentem. Ergò diuinæ naturæ, quæ est intellectualis magis propria, intima, & prę stabilior est visio sui ipsius, quàm operatio miraculosa. Concludit ergò validissimè ratio: quasi si ista operatio miraculorum non potest vlli etiam factibili creaturę esse connaturalis, minus possit ei connaturalis esse Beatifica isio Dei.

Posset tamen aliquis argumentari ad oppositum; magis propriam, scilicet esse operationem miraculorum. Nam dari non potest virtus vlla habitualis creata, quæ miraculosi operis principium sit, vt Diuus Thomas habet 2.2.178. p. ad p. Et tamen habitus, qui sit principium Diuinæ beatificæ operationis in nobis non solum potest, sed etiam dari necesse est, lumen scilicet gloriæ, ex p.12. 5. Respondetur. Imò verò penitus impossibile est dari habitualem qualitatem, quæ se sola possit hanc operationem producere; sed prorsus oportet ad eam producendam substantiam ipsam diuinam concurrere. Itaquè lumen gloriæ vtiquè disponit intellectum ad Deitatis, tamquàm speciei intelligibilis susceptionem: vimquè illi tribuit, vt vnà cum ipsa visionem eliciat: sed sine illa substantialiter concurrente nihil potest. Vndè dubitatum quidem est ab aliquibus; an sine lumine gloriæ videri possit, aut visa aliquandò sit diuina essentia; à nullo tamen est vnquam dubitatum, an sine ipsamet essentia diuina visa sit, aut videri possit. Diuus Thomas autem 2. 2. q. cit. de virtute loquitur, quæ se sola, & nullo alio indigens

gens

gens, tamquàm comprincipio, operetur miraculosè, & non de quocumquè alio modo. Id verò dixerim; Nam Christo inquantum homini potestas ad miracula facienda videtur data fuisse per modum habitus; cum ea operaretur, quandocumquè volebat; eò quòd humanitas ad substantificam vnionem diuinæ hypostasis eleuata instrumentum erat diuinitatis coniunctum, ad quælibet opera facienda, quæ ad finem Incarnationis essent necessaria. Imò & Sacerdotibus videtur dedisse vim habitualem, & ad animarum per Sacramentum, pœnitentiæ præsertim, iustificationem, & ad vini, panisquè in Christi corpus, & sanguinem transubstantiationem. (Ipsa siquidē verba absoluentis, & consecrantis id efficiunt, quod significant.) Ex quibus permulta supra omnes naturæ leges consequuntur. Idquè possunt, ac faciunt impressa indelebiliter virtute, scilicet per characterem. Hæc tamen doctrinæ S. Thom. non aduersantur traditæ loco citato 1. 2. Sacerdotes enim Sacramentum ministrantes nō agunt ad iustificationem animæ, vt principale nè secundùm quidem agens; Et Christus inquantum homo non operatur illa miracula, nisi vt instrumentum, liberum tamen; (Esto Christus excellentiori modo, ac ratione instrumentum sit, quàm reliqua omnia, quia vt coniunctum personaliter, cùm reliqua omnia extrinseca omninò sint, ac separata.) Vndè character, & similia non constituunt principale agens, (sicuti beatus dicitur, & reuera est suæ beatificæ operationis causa principalis,) sed tantum instrumentale. Est autem Deus, qui, vt principalis causa prima, ac proxima, & iustificat animam, & substantias in Iesu Domini corpus, & sanguinem conuertit. Sed hæc obiter, & per occasionem breuiter dicta sint.

Equidem spero optimi, ac doctissimi Auditores confirmatam satis videri vobis hanc sententiam: ac iudicare satis permultas rationes adductas: quarum vim acri discussione penetrantes censebitis plus quàm persuadentes, scilicet, vt in hanc summo studio eatis sententiam; imò etiam fortè cogentes:

SED. Respondeamus rationibus pro contraria sen-

tentia allatis. Quod tertiò promisimus.

AD primùm respondeo prænotando non debuisse sententiæ primæ Auctores mirari; si Sanctus Doctor vnica fuerit ratione contentus ad conclusionem suam. Rarò enim sollicitus fuit de ijs, quæ secundùm omnipotentiam Dei absolutam possunt fieri. Siquidem erat iuxta Prophetam docens vtilia, & ingenij fugiens ostentationem. At verò ego quidem Diui Thomæ rationem validissimam existimo: nec valere allatas ad eam responsiones.

Prima enim responsio. Negans participationẽ essentiæ diuinæ non posse esse connaturalem, apertissimè (quemadmodum dici solet) saltat extra choræam: & fallax valdè est. Et primùm quidem patet. Nam ratio D. Thomæ non assumpsit vllo modo participationem diuinæ essentiæ; sed dispositionem ad diuinam essentiam, seu potius ad superiorem formam: agitquè de dispositione propria, ac, vt aiunt, necessitante. Hanc vult D. Thomas esse connaturalem formæ, ad quam disponit, soli; non vlli autem alteri. Quis huic propositioni corde dissentire poterit, quæ innotescit ex terminis? Si enim propria superiori; quomodò inferiori potest esse connaturalis? omne enim alicui connaturale proprium aliquo modo est. Vndè si & inferiori propria; nec superiori propria, nec inferiori erit. Quòd si alteri non potest esse propria, quantò minus substantialis?

At lumen gloriæ dispositionẽ esse propriam ad formam hanc (intelligibilem tamen) essentiã, scilicet diuinam in Theologia postulatũ est saltem. Dico saltem, quia Caietanus insinuat à Sancto Doctore fuisse probatum. Profectò grandis distantia horum terminorum est; Participatio formæ; & dispositio ad formam: quam non aduertisse aduersarios, tàm acriter hanc difficultatem discutientes, non facilè credent; qui acutiem ingenij eorum in omnibus admirantur: cur verò dissimulauerint, quod eos nonnunquàm aliàs factitasse aliquandò monstrauimus, ipsi viderint.

Secundùm verò declaratur: Hæc enim responsio, ac ratio, qua persuadetur, Aequicatione ludit, si profundius

dius penetretur. Lumine enim gloriæ participamus deitem, non quouis modo consideratam, sed secundùm seipsam simpliciter, idest, vt est in semetipsa secundùm se. Hoc autem modo nihil est inter creata; imò neque esse potest in vlla re, quamcumquè Deus absoluta sua potentia creare valet, substantialis participatio Deitatis. Omnè enim formam naturalem secundùm specialem ideam Deus exemplatur, & facit: Idea verò essentia quidem diuina cognita est, sed quasi limitata sub ratione, vt scilicet illius rei producendæ propria ratio. At Beatus non hoc modo videt Deum; sed vt simpliciter est infinitus. & illimitatus, quia hoc ipsum est eius quod quid est, infinitum simpliciter ens totam indiuisibiliter cōtinens latitudinem entitatis. Vndè non eò, quis est Beatus, quò res videt, etiam in Deo; nequè consequenter eò beatior, quò plura in eo videt: sed est Beatus, quia Deum videt; & eò beatior, quò eum videt perfectius: & si Deum præcisè sine cognitione inquam cuiuslibet alterius rei videret, esset prorsus Beatus.

Nequè verò tamen de lumine gloriæ propriè loquendo dicitur, quòd deitatis hoc modo sumptæ participatio sit. Proprium hoc gratiæ est: quam Diuus Petrus dixit esse consortium diuinæ naturæ, quæ propriè forma est dans esse diuinum: Qua sola propriè dicimur Dei esse, & filij excelsi; de quibus Ioannes dixit, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, nequè ex voluntate carnis, nequè ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Iac. c. 1. Lumen autem gloriæ qualitas eiusdem cuius & gratia, ordinis est, sed qua intellectus disponitur formaliter ad ipsam deitatem, tamquàm intelligibilē formam, vt in seipsa simpliciter deitas est suscipiendam, virtutemquè accipit ad hoc, vt cum deitate vnum quid intelligibiliter factus, posit vnà cum diuina essentia hoc modo recepta, & actuante beatificum actum visionis elicere.

Secunda respōsio. Negat lumē gloriæ esse connaturale Deo; probatquè id efficaciter, quia accidens est. Sed profectò cordatæ eruditionis Lectori mirum videbitur,

quod ita Sancti Doctoris ratio referatur, vt funditus extenuetur virtus eius. Neque enim ille dixit lumen hoc esse dispositionem diuinæ essentiæ; sed ad diuinam essentiam: Quod quantum differat, optimè nouit respondens; sed virtute rationis adactus dissimulat.

Tu verò Lector, quæso Nota; Diuum Thomam quidem inferre, necessarium esse intellectum creatum disponi ad formam superiorem, deitatem, scilicet suscipiendam dispositione supra intellectus eleuandi naturam, quæ propria sit ad illam formam dispositio, sicuti & aer necessariò disponendus est ad formam superiorem, ignis videlicet, dispositione propria igni, calore scilicet. Non tamen velle eodem modo calorem igni, & lumen gloriæ esse dispositionē propriam deitati: vt sicut ignis est subiectum caloris, ita deitas subiectum luminis; sed neque, opus est ita esse; imò neque conuenit. Nam aer non recipit formam ignis perseuerans aer: cum intellectus creatus videntis Deum diuinam essentiam tamquàm formam intelligibilem recipiat, perseueraus intellectus creatus. Proinde dispositio propria subiectari potest in intellectu creato tàm cùm recipitur diuina essentia in intellectu, quàm perpetuò, quamdiù recepta est; quod in calore, respectu aeris contingere non potest: & ideò oportet calorem esse dispositionem ignis, vt subiecti propriam, lumen autem gloriæ non est vt dispositio deitatis, sed intellectus, vt subiecti; qua scilicet fit subiectū proprium ad suscipiendam deitatem: Et tamen est propria etiam dispositio ad deitatem, vt ad terminum suscipiendum. Et hæc quidem plenè responsionem, eiusquè probationem redarguunt.

Vt tamen funditus omnia opponentium dicta euacuentur

AVDITORES Acutissimi; Notate quæso, ac dijudicate; an verè dici possit, lumen gloriæ, etsi sit accidens, esse tamen dispositionem propriam Dei aliquo modo. Deus enim, vt est in seipso sumptus, quo scilicet modo nos beat, duobus modis in proposito nostro considerari potest.

Primò

Primò, vt extra intellectum intelligentem est, ceu primum, infinitum ens, & causa vniuersorum. Et hoc modo responsio prædicta Deum considerauit; ac verè dixit non esse in eo dispositionem luminis gloriæ, quòd accidens sit. Quid ni? num indiget diuinus intellectus dispositione aliqua ad essentiam suam?

Secundo modo consideratur, vt in intellectu beati intelligentis existens rationem subit obiecti intellecti. Proprium autem obiecti intellectus est, vt ipsum intelligens tali modo efficiatur; vt simul intellectus euadat res ipsa, quæ intelligitur: sitquè mutua hæc transformatio rei in intellectum, & intellectus in rem obiectam. Nam quòd in intellectum res transformetur (liceat quæso ità loqui) probatur ex eò, quòd intelligens debet esse specificatiuũ completum principium operationis suæ, quale non posset esse, nisi res intellecta in intellectum transformetur; sed sicut non aqua, licet frigida sit; sed frigus existens in aqua specificat frigefactionem, ita non intellectus, seu intelligens, sed recepta in eo species, quasi forma, specificaret intellectionem. Quòd autem intellectus transformetur in rem intellectam, conuincit natura, seu diffinitio intellectualis substantiæ: quæ est; Esse non ipsamet solum, sed etiam alia. Et ista quidem intelligenti, ac intellectæ rei per se conueniunt in esse intelligibili; secundùm quæ verè dictum fuit, ex intellectu, & intellecto magis fieri vnum, quàm ex materia, & forma: in quo tamen principalius est intelligentem fieri alia, quam quòd alia in intelligentem modo prædicto transformentur. Et vnitas ista, identitasquè, per se in hac materia spectanda est: quæ verò distinctio secundùm rem inter ista reperitur, per accidens est; ac pertinet ad esse entitatiuum, quod supponi necesse est. Abstrahamus itaquè mente ab hoc esse entitatiuo; Deumquè consideremus, vt vnum quid cum intellectu factum modo prædicto: ad cuius proportionem etiam considerari potest, vt hoc modo vnum fieri cum intellectu beati debet. Et tunc

Dico primò. Ad hoc, vt Deus, & intellectus, hoc modo sint vnum, non per se exigitur (vt intrinsecum quid-

quiddam) aliquid in intellectu subiectari. Ratio est. Nam est opinio non improbabilis de potentia Dei absoluta posse diuinam essentiam videri sine lumine gloriæ vllo modo recepto in intellectu: ergò non est necesse aliquid poni subiectiuè in intellectu. Consequentia patet; quia seclusо lumine sola restat essentia diuina, quam patet nô recipi subiectiuè. Quòd si vera ista opinio non esset; adhuc luminis gloriæ receptio non pertinet ad hanc vnitatem Dei, cùm intellectu intrinsecè; sed solum, vt præsuppositum quid, pro aptando intellectu ad hanc vnitatem, quæ in hoc consistit; quia sunt vnicum principium specificatiuum completum actionis ab eo elicitæ. Ex quo patet non intrinsecè pertinere ad hanc vnitatem receptio alicuius in intellectum, vt in subiecto.

Dico secundò. Si obiectum potentiam excedat, requiruntur duo; Eleuatio potentiæ, & vnio obiecti cum ea; si non excedat, sufficit vnio obiecti. Ratio est. Nam obiectum excedens infert actionem esse supra potentiæ vires naturales: ergò nisi potentia eleuetur, illam omninò exercere non posset. Siuè postea id fiat ex vnione ipsius diuinæ essentiæ, siuè alio modo, nihil modò refert. Ex quo patet hanc eleuationem non requiri, si obiectum proportionatum sit, & non excedens. Quòd requiratur vnio patet ex supradictis.

Dico tertiò. In proposito nostro eleuatio potentiæ intellectus, tàm in fieri, quàm in facto esse (de potentia ordinaria) Non fit sine alicuius receptione in intellectu, vt in subiecto; quod est dispositio ad hoc totum ex partibus inter seipsas prædicto modo transformatis. Ratio est: quia non potest eleuari hæc potentia intellectus creati ad eliciendam beatificam visionem, aut ad vnionem deitatis, sicut est in seipsa secundùm se, tamquàm intelligibilis formæ (saltem de potentia Dei ordinaria, & secũdùm ordinem debitum rebus ipsis secundùm se consideratis) nisi mediante lumine gloriæ; quod est accidens intellectui inhærens formaliter.

Dico quartò. Hoc lumen posse verè dici dispositio deitatis formaliter. Ratio est. Nam licet deitas non

habeat hoc lumen in se formaliter, tamquàm accidens disponens, aut ipsammet, aut intellectum suum comparatum ad deitatem extra intellectum sumptam, vt per se patet: Imò neque illud habeat in se, vt disponens eam, vt intellectui vnitam secundùm seipsam: habet tamen hoc lumen in se, vt consideratur quasi facta ipse intellectus eam intelligens: non quidem ratione sui, sed ratione intellectus, cum quo facta est vnum. Declaro exemplo. Est dispositio corporalis vltima, ac necessitans ad animam rationalem, quæ & necessariò requiritur, & ad ipsum fieri hominis, & ad factum esse, vt perseueret homo, quæ etiam dicitur animæ dispositio, quoad ipsum eius inesse corpori, ex quo consurgit hominem esse. Hæc dispositio corporea non est subiectiuè in anima, sed solùm in corpore: & tamen est verè dispositio, & ad animam vniendam corporis, & ad eandem in corpore conseruandam, & est dispositio hominis gignendi in fieri, & geniti in facto esse: Et est etiam dispositio animæ vniendæ, ac vnitæ. Ita proportionaliter dicendum est de lumine gloriæ, vt accidens in intellectu tantum recepto, respectu diuinæ essentiæ beantis intellectum. Et hoc tantò magis, quantò hic nascitur quippiam, vt declaratum est, magis vnum, quàm ex anima, & corpore. Vt distinctio secundùm esse entitatiuum reperta inter ea faciat intellectum realiter esse subiectum luminis gloriæ, non deitatem: Identitas verò intellectus beatificati cum obiecta deitate beante faciat, vt dispositio intellectus possit, & debeat dici dispositio etiam Dei, considerati, vt cum illo factus est vnum. Et consequenter non impedit conditio accidentalitatis, quin lumen possit vocari dispositio deitatis in intellectu creato. Hæc dixerim Auditores doctissimi, vt intelligant aduersarij, quàm subtiliter ex Sancti Doctoris principijs funditus, radicitusque eorum argumenta refellantur.

Tertia responsio. (Dicens lumen gloriæ in summo dispositionem esse connaturalem Deo, vti lux in summo dispositio Solis est, Calor autem ignis: Et nihilominus in certo gradu esse dispositionem connaturalem alicui intelllectui.

tellectui, qui creari à Deo posset; sicut certus gradus lucis, & caloris dispositiones sunt alijs lucidis, & calidis) dupliciter, & grauiter profectò peccat.

Primò. Dùm concedit vllo modo Deo lumen esse dispositionem connaturalem. Si enim de Deo loquatur secundùm primum membrum præcedentis distinctionis; quomodò potest in Deo accidentalem ponere dispositionem ad aliquid affirmare? Quòd si ad virtualem distinctionem confugere voluerit, vt acutie subtiliore argumentum eludat; profectò eadem potuisset vti distinctione contra argumentationem suam, & ab impugnatione veritatis abstinuisse. Si verò Deus accipiatur secundo modo prædictæ distinctionis: quomodò potest dicere lumen in summo esse connaturalem Deo, citra summum connaturalem alijs. Primò enim quæro, quinam sunt hi alij? Secundò quis asserere potest summum in lumine, si de potentia absoluta Deum semper magis videri in infinitum posse fatentur? Vt enim gratia in hac vita, & in alia visio in infinitum semper augeri potest; ita & lumen. In infinito autem quis summum reperiet? Tertiò, ac postremò ecquem Theologorum nominabis non omnibus consentientem dicentibus; etsi luminis gloriæ summum dari non possit; attamen à minimo gradu inclusiuè, secundùm omnes possibiles in infinitum gradus, esse propriam, ac de Dei ordinaria potentia necessitantem dispositionem ad diuinam essentiam, vt formam intelligibilem omni creatura in infinitum superiorem?

Secundò peccat, quia inaniter verba, extra causam penitus profundit. Ad hanc enim propositionem attendere debuit à Diuo Thoma allatam: Sine dispositione propria ad superiorem formam, intellectus eleuari non potest ad formam illam superiorem. Hac siquidem posita, & data altera illa per se notissima propositione; deitas, vt est in seipsa secundùm se sumpta, forma est superior omni intellectu, qui à Deo creari potest; oportet aduersarium inuestigare, quænam sit illa ad deitatem propria dispositio necessaria. Si namquè est lumen in summo; inferes: ergò à nullo prorsus intellectu, vel creato de facto, vel

cto, vel de possibili Deum videri posse, cum extra Deum lumen in summo implicet participari. Quod certè plusquàm falsum censebitur. Si verò est lumen citra summum gradum; Primò, inferes permanem esse responsionis huius distinctionem, imò & sibi contradicentem. Secundò frustra adhiberi hanc distinctionem. Stat enim semper, oportere lumen in intellectu ponendum esse in illo gradu, in quo propria ad superiorem omni intellectu creato, vel creabili diuinam essentiam est dispositio, si ad eã debeat eleuari. Tertiò. Videat hæc responsio quonã modo consistat. Nam aut lumẽ in summo est propria dispositio, & tunc illatum fuit primo loco efficaciter prẹter Deũ neminem beari; aut est lumen in certo aliquo gradu citra summum; & tunc infertur hunc certum gradum luminis necẹssarium esse omni creato, & possibili intellectui ascensuro ad hanc formam intelligibilem, quæ Deitas est vt est in seipsa simpliciter; ex quo inferam; ergò omnes erunt æqualiter beati inter se. Quòd si lumen citra summum, non in certo gradu, sed in quolibet gradu est propria ad deitatem dispositio; certè responsio sibimetipsi repugnat. Vndè apertè apparet peccatum propositum, inanis omninò responsionis.

Ad secundum argumentum respondetur primò, hac alia ratione, quam potes addere superioribus sexdecim rationibus; & videtur esse ad hominem demonstratiua ad impossibile. Et sit.

XVII. ratio, ad conclusionem, primaquè ad argumentum responsio: Deus potest facere intellectum substantialiter perfectiorem quocumquè intellectu iam facto finitæ perfectionis. Sed intellectus Diui Petri adiuncto ei, non solum lumine gloriæ, sed etiam ipsa actione beatificæ visionis in seipsa præcisè considerata, est finitæ perfectionis. (Patet enim non esse substantialiter, ac realiter Deum.) ergò potest facere intellectum, qui in ipsa substantia sua perfectior sit intellectu Diui Petri hoc modo etiam considerato, idest actu etiam beatifico ei adiuncto. Ergò talis intellectus creabilis à Deo ex ipsa substantia sua, sine vllo actu secundo, ac sine essentiæ di-

uinæ

uinæ concursu per modum intelligibilis formæ, & sine vllo miraculo erit beatus. Quod nè sententia quidem ipsa prima vllo modo admittit.

Quomodò huic rationi illi respondebunt, eodem modo nos huic argumento eorum facilè respondere poterimus. Attamen

Respondetur secundò. Argumentum peccare secundùm non causam, vt causam. Nam ratio, cur nequeat fieri substantia, cui connaturale sit lumen gloriæ, visio Dei, Gratia, Charitas, & huiusmodi, non illa est; quia horum actuum, vel accidentium perfectio sit infinita: sed ex eo, quòd termini sibi inuicem repugnent. Necesse est enim ens naturale esse, quod enti naturali connaturale est; imò diuisio ipsa immediata entis in naturale, & supernaturale facit, vt propositio immediata, & per se nota constituatur; Nullum ens naturale est ens supernaturale, quæ in seipsam reciprocatur: sicut albedo non est nigredo, quæ sunt species, in quas immediatè color diuiditur. Ex quo haberi potest.

Decimaoctaua ratio principalis ad Conclusionem: Omne connaturale enti naturali necessariò est ens naturale; Nullum ens supernaturale (quale est lumen gloriæ, visio, charitas, gratia est ens naturale; Ergò, non potest vlli creato, vel creabili intellectui esse connaturale. Miror propositiones per se notas ab acutissimis ingenijs nō videri. Itaquè respondetur in forma: Nego primam consequentiam. Et ad probationem, iterum negatur consequentia. Licet enim illud totum sit quid limitatum; dicit tamen res ordinum diuersorum, quæ in vnum simplex ens naturale, aut in plura conuenire non possunt, quorum vnum sit alteri connaturale, propter repugnantiam terminorum.

Ad tertium respondetur. Obiectum intellectus duplex considerari potest, terminatiuum, & motiuum. Quorum primum omni intellectui commune est, ens scilicet in quantum ens. Vndè omnis intellectus potest ad omnem cuiuslibet entis rationem cognoscendam aliquo modo eleuari. Secundum autem proprium, diuersisquè diuersum

sum est. Nam Deo quasi motiuum obiectum est deitas sua, esse scilicet in seipso subsistens, Angelo sua essentia, seu ens subsistens extra materiam à suo esse tamen distinctum, Homini ens partim in materia, partim extra materiam subsistens, de quibus habes diffusè, p. p. 14. 4. Et ideò ex obiecto primo absolutè sumpto differentia specificatiua intellectuum sumi non potest: sed oportet illud quasi modificari in obiecto motiuo naturaliter loquendo, vt aptum sit specificare. Quo cùm tamen stat, diuina virtute posse eleuari vltra id, ad quod motiuum obiectū naturaliter deducere posset; quia etiam potest eleuari supra naturæ vires, vt ab ipsa, sicut in seipsa simpliciter est essentia diuina moueatur. Vndè quod responsio ab arguente allata dicit de visu, & olfatu; corrigendum erit conformiter ad modò dicta. Formaliter ergò respondeo; Negatur antecedens. Nam propriè loquendo plus differunt intellectus hominis hic in via viuentis, & intellectus Beati in patria, quàm penes plus, & minus posse. Differunt siquidem etiam penes obiecta motiua: Beati siquidem intellectus, quia moueri potest ab essentia ipsa Dei vt in seipsa est, tamquam ab intelligibili forma, Deum videre potest, vt est in seipso; quod noster intellectus in hac vita non potest: Sed quòd ab essentia diuina possit moueri, supra naturam est. Et ad hoc ponitur lumen gloriæ. Ad probationem antecedentis. Respondetur distinguendo illud antecedens; Deus vt est in seipso, continetur sub intellectus viatoris, & beati obiecto naturali terminatiuo; & conceditur; sed consequentia non valet: motiuo; & consequentia quidem valeret; sed antecedens est falsum.

Exemplum autem allatum olfactus, & visus solum tenet, quod istam veritatem non omne perfectius altero efficere posse, quicquid effici potest ab imperfectiore.

Ad quartum respondetur distinguendo antecedens. Intellectui (abstrahendo à singulis speciebus, aut quasi speciebus iutellectus) non repugnat esse proportionatū; &c. Et verum assumitur; quod enim conuenit, vni partium subiectiuarum, non repugnat superiori: vti discursus

sus

sus non repugnat animali. Et in hoc sensu videtur hæc propositio assumi. Eius siquidem probationes ambæ de intellectu hoc modo sumpto verificantur: etsi secunda insinuetur intelligenda de humano, seu de creato intellectu. Ex quo apparet ab Auctore hoc antecedens prægnantiore sensu intelligi, quàm verba sonent; quorum intellectus ille est, qui tractatus est hactenus; sed ac si non intelligendum sit de intellectu accepto in communi abstractione à suis partibus; sed quasi concernendo partes suas intelligatur. In quo secundo sensu antecedens vniuersaliter intellectum falsum est, principiumquè petit; quùm hoc sit, de quo disputatur. Et in hoc secundo sensu prima eius probatio est valdè puerilis. Nam quis inferat, omne animal pollere ratione ex eo, quòd aliqua eius species sit rationalis? Secunda verò probatio distinguitur hoc modo. Deus, vt est in seipso non est extra latitudinem obiecti intellectus primò diuini, secundò intellectus creati, sed obiecti terminatiui. Tertiò obiecti motiui intellectus creati: in primo sensu assumitur verum; sed consequentia, quæ infertur de intellectu creato, est omninò fallax, & puerilis. In secundo autem sensu detur, vt verum. (Id enim ratio, qua probatur euincit) sed consequentia illa, ergò non repugnat intellectui creato esse connaturale lumen gloriæ, aut beatifica visio omninò non sequitur. At in tertio sensu assumitur falsum. Et ad probationem eius negatur similitudo adducta visus, & olfatus ex vna parte, & intellectuum beati, & viatoris ex altera, quoad obiecta. Obiectum enim intellectus est extra totam latitudinem obiecti terminatiui; visus, & olfatus; Deus autem vt in seipso simpliciter est, non est extra totam latitudinem terminatiui obiecti intellectus viatoris. Et ideò iste potest ad eius notitiam supernaturaliter eleuari; Visus autem, vel olfatus nulla omninò ratione perduci possunt ad cognitionem, quod quid est, & substantiæ, etiam particularis.

Atqui video quidem Auditores doctissimi, quantoperè hoc argumentum requireret, vt de illa difficultate tractaretur; quomodò sub obiecto naturali terminatiuo intelle-

intellectus nostri contineatur Deus, etiam sumptus, vt obiectum est beatificæ visionis, & tamen ad eum naturalis potentia non possit extendi, nisi vel per miraculum, vel per superadditam qualitatem luminis gloriæ, quam alibi explicauimus: attamen non videtur conueniens incidentem obiter difficultatem pluribus prosequi.

Ad quintum argumentum respondetur primò iuxta illos, qui concedunt gratis antecedens, docentes substantiam gratiæ subiectam entitatiuè perfectiorem esse gratia, & consequenter concedentes posse à Deo creari substantiam, quæ entitatiuè sit perfectior, non solum substantia subiecta gratiæ, sed etiam substantia subiecta, & ipsa gratia simul, entitatiuè tamen semper. Hi enim negabunt consequentiã secũdam. Ad eius probationem respondebunt, in his accidentibus supernaturalibus duo consideranda esse. Primum est quantitas, seu perfectio entitatiua; secundum est cuius ordinis sit entitas illa: Non habent vt illum effectum faciant ex quantitate, & perfectione entitatiua: sic enim valeret consequentia: perfectio tanta entitatiua potest hoc, ergò magis id potest perfectio amplior: habent vim ad efficiendum illum ex eo, quòd in tali ordine sunt. Exemplum in naturalibus habemus apertissimum. Est enim anima longè nobilior, quam potentia, vel habitus acquisitus: nequit tamen operationem præstare, sinè potentia, nequè operationis modum talem sinè habitu. Vndè argumẽtum peccat secundum non causam, vt causam.

Secundò respondetur secundum eos, qui existimant gratiam entitatiuè perfectiorem substantia ei subiecta. Quando res ita se habent, vt vna tantum vnam perfectionẽ contineat, alia verò plures; vel vna vnius sit ordinis, altera sit ordinis inferioris; quantumuis crescat ista, quæ vnã tantum, vel inferioris ordinis perfectionem continet, etsi crescat in infinitum, numquam superabit, imò nec adæquabit alteram, quæ vel plures, vel superioris

ordinis perfectionem continet. Hoc manifeſtatur in duabus ſpeciebus quantitatis linea, & ſuperficie. Illa enim etſi in infinitum fingatur protracta, nec digitalem quidē ſuperficiem adęquabit; Item in vno genere animalis. Quamuis enim brutorum ſpecies multiplicētur in infinitum, nunquam peruenient ad perfectionem hominis, in quo animal ad altiorem gradum ſupra ſenſitiuitatem extollitur. In vna etiam numero charitate, quæ permanet, dum à peregrinatione viæ peruenit ad patriam. Creſcat enim ēt in immenſum charitas, ſemper exceditur à minima charitate beati in patria; nec poteſt aliter fieri nō ex defectu potentiæ diuinæ, ſed ex rationibus terminorum. Tum ſubſumo: ſed quoduis ens naturale, alterius, inferioriſque generis eſt, quàm gratia, viſio beata, cæteraquè huiuſmodi, ergò quantumcumquè in infinitum creſcat ſpecies naturalis entis, numquam perueniet ad æqualitatem minimæ gratiæ; vndè nulla eius eius opera mereri poterunt æternam vitam, ſicut mærebuntur minimæ gratiæ operationes in homine iuſto. Ex quibus patet iſtos negare antecedens. Sicut namquè non poteſt creari brutum nobilius homine, ita nec ens naturale nobilius gratia. Cum verò probatur; diſtinguitur iterum antecedens. Subſtantiæ genus nobilius eſt cunctis generibus accidentium: ſi de accidentibus vniuerſaliter agatur compræhendendo etiam ſupernaturalia negatur. Si de accidentibus naturalibus, tranſeat; ſed non eſt ad propoſitum, cum gratia, charitas, lumen glorię, & viſio beatifica accidentia ſupernaturalia ſint.

Ad ſextum reſpondetur, Negando illud antecedens in ſenſu, quo fit. Vult enim conſiderare ſubſtantiam, & intellectum diuinum quocumque modo. Sed explicatius dicito, Subſtantiam, intellectumquè Diuinum dupliciter accipi; Primò ſecundum id, quod ſunt ſecundum ſe: Et tunc ſunt ipſamet Deitas, vt in ſeipſa eſt ſimpliciter; & perfectè. Nam iſta nec re, nec ratione diſtinguuntur ex

meri-

meritis rei, sed sunt vnum simplicissimum in Deitate. Et hoc modo verum est antecedens, nihil scilicet esse diuinius substantia, intellectuquè diuino. Sed hoc modo in idem potuisset assumi, quicquid de Deo dicitur. Et nihilominus Dei substantia, & intellectus hoc modo est omninò extra se incommunicabilis, nisi per gratiam, & hypostaticam vnionem modo suo ineffabili: de qua vnione ad præsens nulla omninò ratio habenda est. Et consequenter consequentia nulla est ex falso supposito (in quo penè petitur id, de quo dubitatur) posse scilicet substantiam, & intellectum hoc modo sumpta participari ab aliqua substantia. Secundus sensus antecedentis illius esse potest; Nihil esse diuinius substantia, intellectuquè diuino quoquo modo sumantur; etiam vt considerantur quasi archetypus Mundus, vel vt continent singulas, vniuersasquè naturas exemplariter; & tunc antecedens falsum est. Altior enim seipsa est deitas, quandò consideratur, vt in seipsa simpliciter est, & causa rerum supernaturalium: vt supra satis diffusè declaratum est.

Interim vide, quid isti responsuri sint, si hoc modo redarguantur. Primò. Nihil est diuinius substantia, & intellectu diuino: ergò illud, quod diuinæ substantiæ, & intellectus participatio est, nobilius est secundùm entitatiuum esse, quàm id, quod non est diuinæ substantiæ, & intellectus participatio. At per gratiam, & eam consequentes habitus non participatur substantia diuina, eiusquè intellectus, & consequenter non sunt eorum participationes; substantia verò, & intellectus sunt per aduersarios participationes substantiæ, intellectusquè diuini; ergò secundùm esse entitatiuum nobilior est substantia animæ humanæ, eiusquè intellectus, quàm ipsa gratia, eamue consequentes habitus.

Secundò similiter. Illud est magis diuini ordinis, quod est participatio substantiæ, intellectusquè diuini; aut saltem profectò non minus. At substantia animæ, &

Gabrielis, eorumquè intellectus sunt participationes sub-stantiæ, &c. Ergò non sunt minus diuini ordinis supernaturalis, quàm gratia, quam eis Deus donauit. Hoc autem quale sit, vos Auditores doctissimi, iudicate.

Ad septimum respondetur. Antecedens malè loqui, & falsum esse, ac certè, parum dignum adeò ingenti Auctoris eruditione. Primò. Gratia enim, & charitas (en cur malè loquitur) non possunt vocari naturæ: Siquidem accidentia sunt: & præsertim charitas, quæ principium proximum est operationis. Deindè falsum est, ideò dici supernaturalés, quia inferioribus comparantur. Nam supernaturalitas non est prædicatum sumptum comparatione inferiorum, sed secundum se. Id enim supernaturale est, quod ex ipsa sua natura nō habet potentiam sui susceptiuam in subiecto naturalem: & quod omnem causā limitatam, aut quasi limitatam consideratam aliquo modo excedit. Certè non conuenit ita supernaturalitatis rationem exterminari, vt possit formicis, culicibusquè tribui, cæterisquè vilissimis naturis, vt supra declarauimus.

Ad confirmationem respondetur eam implicare. Nam vult requiri vim, ac proportionem ad obiectum, quod videndum est, non autem ordinis identitatem. Et tamen cum ad videndum obiectum, quod supernaturalissimum est, necesse sit intellectum fieri cum eo vnum, & idem; necesse etiam est, vt eleuetur ad hanc identitatem, disponi per aliquid eiusdem ordinis cum obiecto; & consequenter per aliquid diuini, supernaturalisquè ordinis. Item cum potentia intellectus elicere debeat actum eiusdem speciei in genere intelligibili cum actione, qua Deus ipse se beatificè videt, & consequenter supernaturalissimum; opus est tanto operi potentiam reddi proportionatam per aliquid diuini supernaturalis ordinis. Et ideò cum implicet idem esse simul, & naturalis, & supernaturalis ordinis; patet & antecedens assumptum

esse

esse falsum, & consequentiam nullam, vt prædictum est.

Ad octauum respondetur. Intelligentibus rerum terminos hæc sententia euidenter chimerica est; vti & infinitũ posse effici in actu: Imò verò si acutius hæc sentẽtia penetretur, gratiæ Dei iniuriosa cõperietur. Nam quis non affirmet tantam esse gratiæ Dei excellentiam; vt naturã, omniaquè naturalia incomparabiliter excedat? Qui excessus etiam ratione conuincitur. Productiuum enim effectus infiniti principium incomparabiliter excedit ea, quæ effectum talem producere non possunt. Quæ propotio per se nota est. At gratia, & charitas productiua est effectus infiniti; qualem nullum ens naturale creatum producere potest: ergò illa incomparabiliter excedit vniuersa creata. Et minor quoad secundam partem, & datur ab Auctoribus primæ sententiæ, & ratione monstratur. Et singula siquidem, & vniuersa simul, finita sunt, & essentia, & virtute: à finitis autem quolibet modo consideratis nequit produci effectus infinitus. Prima verò pars minoris probatur. Nam gratia, & charitas hominem, Angelosquè ad bonum infinitum Deum, scilicet apertè visum perducunt. Et hæc certè Conclusio non solum efficaciter videtur demonstrata, sed etiam esse de fide, Siquidem de charitate, & gratia potissimùm intelligitur illud Prouerb. 3. Prætiosior est cunctis opibus sapientia, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari. Et quod habetur apud Matth. 16. Quid prodest homini; si vniuersum Mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Salus autem animæ per solam gratiam, atquè charitatem haberi potest: Vt multa alia, & Scripturæ loca, & Patrum auctoritates in re compertissima prætermittam. At hæc sententia facit gratiam non improportionabiliter excedere omnia ista naturalia creata: ergò est illi iniuriosa. Assumptũ probatur. Asserit dari posse ens naturale aliquod finitum præstantius gratia:

ergò tale ens non importionabiliter excedit hæc etiã naturalia creata: ergò nec gratia, quam hoc poſſibile huic ſententiæ ens ſuperat, excedet incomparabiliter hæc entia naturalia actu creata. Vides, quantoperè decipitur hæc opinio aſſumens falſum?

Decimaoctaua ratio itaquè hinc conficitur ad concluſionem principalem talis. Si poſſet vlla factibilis creatura gratiam, & charitatem, & ſimiliter lumen gloriæ, & viſionem beatificam ſibi vindicare, vt connaturalẽ; charitas, & gratia non excederent illa incomparabiliter, ſed eſſet proportionatus exceſſus vnius ad alteram, ergò nequè excederet naturas actu iam creatas incomparabiliter, quod non ſolum eſt falſum, ſed contra Scripturas.

Conſequentia probatur. Quia creatura illa finita eſſet: ergò ſiuè excederet gratiam, ſiuè excederetur ſecundùm aliquam comparationem determinatam à gratia, non incomparabiliter excederet naturas creatas actu. Quomodò ergò gratia excedens non incomparabiliter talem crxaturam poſſet incomparabiliter omnia actu creata excedere?

Decimanona ratio ad idem fit talis. Subſtantia, quam dicis poſſe creari vendicantem ſibi connaturaliter gratiam, vincet gratiam factarum actu ſubſtantiarum iuxta ſententiam iſtam: & vincit has factas ſubſtantias ſecundùm certam non incomparabilem menſuram: ergò eſt impoſſibile gratiam harum actu factarum ſnbſtantiarum à tali creatura ſuperatam incomparabiliter has ſubſtantias olim factas ſuperare. Antecedens patet, quia talis ſubſtantiæ perfectio finita eſt Conſequentia verò proqatur. Alioquin ſequeretur gratiam à tali creabili ſuperatam excedere ſuperantem ſe creaturam, quod implicat. Hæc ſequela patet. Nam gratia ſuperat iam factas naturas incomparabiliter, illa verò creabilis ſubſtantia his factis naturis comparatur, vt ſuperior quidem, ſed ſecundùm determinatam menſuram, non incomparabiliter.

Et iſta

Et ista quidem satis esse, ac super etiam videri possunt, ad fidem faciendam, ac persuadendam hanc secundam sententiam tamquàm non solum veram, & probabiliorem, sed consonam magis sacris Scripturis, ac fidei; & ad argumentorum solutionem euidentem accommodatam, ac intellectum prorsus quietantem. Attamen ad vberiorem adhuc manifestationem veritatis addatur ad idem.

Vigesima ratio, quam ex Diuo Thoma 2.2.23.2.ad tertium elici & est talis. Charitas ad bonũ infinitum perducit, possessionem scilicet summi boni, æternæquè fœlicitis, ergò facit effectum infinitum; hæc enim deductio ad infiniti boni possessionem effectus est infinitus: ergò non potest charitas nasci à forma finita. Hæc sequela probatur; quia virtus finitæ formæ participata à charitate nullo modo posset illi tribuere efficaciam infiniti effectus efficiendi; ergò oportet eam esse ab agente infinito extrinseco, qui Deus est, liberè ad extra agente. Nam cuiuslibet alterius virtus est pariter non infinita. ergò charitas nulli etiam factibili creaturæ potest esse connaturalis. Hæc sequela probatur, Tùm quia cònnaturale non liberè datur, sed necessariò, Tùm quia nihil finitum vindicare sibi connaturaliter potest virtutem effectricem infiniti effectus, &c. Item & sit.

Vigesimaprima ratio Quæ elici potest ex eadem 2.2.23. 3. ad tertium Charitas nulli omninò creabili substantiæ potest esse substantialis, ex illo verissimo axiomate, in vniuocis accidens vni, nulli substantia est: ergò erit accidens. Et non indignius subiecta sibi substantia: ergò imò erit accidens illa dignius: ergò non potest vlla omninò substantia charitatem sibi, vt connaturalem vindicare. Hæc vltima consequentia probatur; quia non potest subiecto vlli connaturale esse accidens ipsum superans in dignitate. Penultima consequentia huic proxima probatur. Quia etiam apud aduersarios non datur medium: sed necesse est omne accidens alicui subiecto, aut esse dignius, aut indignius. Assumptum illud in pri-

ma conſequentia illatum, ſcilicet & non indignius. Probatur primò. Quia gratia huius efficiendæ ſubſtantiæ, & gratia Gabrielis iam creati vniuocæ ſunt: ergò vt iſtius gratia eſt non indignior Gabriele, ita nequè gratia illius creandæ ſubſtantiæ. Secundò & efficacius (nam videtur probare gratiam eſſe digniorem) Creabilis illa ſubſtantia in ſe ſumpta eſt ens naturale: ergò eſt minus digna participatione Spiritus ſancti (Naturæ ſcilicet ſuperioris) vti circa primam rationem, & reſponſionem ad ſextum declarauimus, quæ participatio ſuperioris naturæ, ac Spiritus ſancti gratia eſt.

Si negetur antecedens, & dicatur ſubſtantia illa eſſe ens ſupernaturale. Contra. Primò. Subſtantia ens generaliſſimum eſt ens naturale, vt diſtinguitur contra ſupernaturale. Ad hanc enim vſquè diem non eſt inuentus, qui ſubſtantias ſupernaturales effinxerit: ergò quælibet ſub eo contenta ſubſtantia eſt ens naturale.

Secundò. Subſtantiæ iſtæ (intellectuales profectò, quia gratiæ, viſioniſquè diuinæ capaces) de nouo creabiles ab his factis differunt ſecundùm magis, & minus, vti hæ factæ inter ſeſe: ergò vti ſubſtantia non ſolum generaliſſima; ſed etiam ſubalterna, ideſt ſubſtantia ſpiritualis dicit gradum entis naturalis genericum his factis inter ſe comparatis communem, ita dicit gradum ſimilem, communem his factis, & ijs, quæ poſſunt fieri. Ratio eſt, tùm quia nulla reperitur diſparitas, tùm quia magis, aut minus ad ſummum variant ſpeciem, non autem genera.

Poſtrema demùm.

Vigeſimaſecunda ratio ſit. Differentia ſecundùm magis, & minus, in ſuaſtautia ſpirituali non impedit, quin gratia ſit participatio naturæ ſupetioris, nec ei aufert, quin ſit dignior ſecundùm participationem ſpeciei, quàm ſubſtantia, quæ illi ſubijcitur; nequè ei aufert, quin neceſſariò ſit ab agente extrinſeco liberè hanc ſui participationem donante. Sed quæuis factibilis ſubſtantia intellectualis, quantumuis nobilis, differentiam habet

bet ab his factis secundùm magis, & minus: ergò gratia etiam in istis possibilibus fieri substantijs esset participatio naturæ superioris, subiecto suo dignior secundùm participationem speciei, ab extrinseco agente liberè eis donata: ergò non posset illis esse connaturalis. Maioris propositionis tres sunt partes.

Prima probatur. Quia participatio naturæ superioris idest Spiritus sancti consideratur distincta à substantiæ principijs, eorumquè effectibus, vt patet; tùm de facto in animabus, & Angelis; in quibus est intellectus, & voluntas, imagoquè Trinitatis, & inter se differunt secundùm magis, & minus, & tamen gratia in eis est participatio naturæ superioris; tùm absolutè ratione. Quia differentia secundùm magis, & minus sumitur secundùm gradus intellectualitatis, quæ omninò differt à participatione superioris naturæ Spiritus sancti, nec apta est eam impedire.

Secunda pars probatur. Quia propter hanc causam gratia in hominibus, & Angelis dignior est subiecto suo secundùm participationem speciei: quia scilicet gratia est participatio superioris naturæ. Idem ergò faciet etiam in istis possibilibus substantijs.

Tertia pars probatur. Quia hæc est causa, cur in Angelis, & animabus oportet gratiam hoc modo à Deo produci. Pari igitur ratione, & in alijs. Minor est manifesta satis ex supradictis, Et consequentia vltima similiter. Vt enim sæpè dictum est, connaturalia non liberè ab extrinseco agente donantur.

Gaudeo planè Auditores perillustri nobilitate, doctrinaquè, & integritate pollentes applausu hoc vestro fauisse huic nostro labori. Faxit Diuina Bonitas; vt nos, omnesquè alios filios suos hac gratia perpetuò donet, & conseruatam in finem vsquè perseueranter gloria sua coronet.

Interim si boni dictum quid fuerit, agamus ei gratias; in quem omnia bona, vt in fontem proprium, sunt referenda, & cui soli laus, & gloria omnis debetur. Si

quid

quid verò malè dictum est; id imperitiæ nostræ ascribatur; & non solum ab Ecclesia Sancta Dei, sed à quouis alio peritiore corrigatur; quibus ex corde nos ipsos, & omnia nostra libenter, & quoad à Deo conceditur, humiliter, & nunc, & semper subijcimus.

Laus Deo, & Beatissimæ Virgini eius Matri, & Beatis Dominico, ac Thomæ Aquinati. Amen.

A. R. P. M.

A. R. P. M.
F. PETRIPAVLI
PHILIPPII

De Castronouo Caseronianæ, Ordinis Prædicatorum,

Sacræ Theologiæ in Academia Perusina olim Regentis, & Sanctissimæ Inquisitionis Consultois, Prioris Camertensis.

RELECTIO QVARTA.

DE ANGELORVM DISTINCTIONE specifica.

QVæstionem perarduam tractaturus apud vos, Camertes Nobilissimi, & ingeniosissimi de Angelorum inter se distinctione, an scilicet numero solũ vlli inter se distinguantur, an verò & specie simul: vereor nè pro vestra dignitate, & prograuitate materię satisfacere possim, & votis vestris, & meæ voluntati. Res enim abstrusa magnam animi quietẽ deposcit; quã aufert nobis officij nostri inquietudo non mediocris: sicut penuria librorum, vndè argumentorum multitudine nobis oblata omnes dubitationes tractare, ac dilucidare possemus, non paruum nobis negocium facessit: ac insuper angustia temporis, Ecclesiasticæquè functionis, quibus populo deseruimus, altius mèditari nos de re tàm graui non patiun-

patiuntur. Benè tamen habet; quòd veſtra benignitas æqui, boniquè conſulet vniuerſa: nos verò quicquid per diligentiam quantò maiorem poterimus adhibere, & vobis, & maieſtati tantæ dubitationis, & cognitioni veritatis ſatisfacere conabimur. Procedemus autem hoc modo: vt primò ſcilicet veritatẽ aperiamus concluſionibus nõnullis: Deindè aliorum argumenta contra eam adducentes ſimul, & opiniones afferemus aliorum, & noſtram defendemus. Hic modus, quem ferè ſequutus eſt perpetuò F. Ioannes Capreolus, ſimul cũ claritate, & breuitate varietatem, & acumen doctrinæ plurimum videtur habere: quæ tantò gratiora ſperandum eſt eſſe futura, quantò magis etiam moderni ſtudent breuitati, eaquè plurimum gaudere dicuntur.

PRIMA PARS RELECTIONIS.

SIT itaquè prima Concluſio (Nàm ſenſus eius clarè iam declaratus eſt) Angeli omnes de facto non ſunt vnius athomæ, indiuiſibiliſquè ſpeciei. Probatur multipliciter. Primò. Imparitas poteſtatis, qua ſcilicet vna ſubſtantia immaterialis alteram excedit in virtute, non poteſt in eis naſci, niſi ex earum varietate ſpecifica: at in Angelis reperitur huiuſmodi imparitas poteſtatis, atquè virtutis: ergò oportet in Angelis eſſe varietatem ſpecificam, vndè naſcatur. Angelos ſiquidem ſupponimus eſſe ſubſtantias immateriales: quæ veritas licet pluribus rationibus probari efficaciſſimè poſſit; non eſt id tamen ad præſentis quæſtionis indagationem neceſſarium. Propoſitio videtur eſſe per ſe nota. Nam in ſubſtantijs immaterialibus nòn poteſt afferri aliqua ratio ex earum complexionibus, aut alijs accidentibus, vndè naſcatur talis imparitas. Aſſumptio haberi videtur ex Scripturis ſacris, in quibus primus ille Lucifer deſcribitur fuiſſe præ omnibus alijs Angelis exaltatus. Vndè dicitur in medio lapidum ignitorum fuiſſe: dicitur eſſe principium viarum Domini, & aliquandò in Chriſtum blaſphæmantes dixerunt, in Principe Dæmoniorum Beelzebub eijcere dæ-

re dæmonia. Præterea ipsa nomina ordinum in Scripturis posita hanc imparitatem euidenter ostendunt, scilicet Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates: Et D. Dionysius toto libro de Cœlesti Hierarchia hanc impariiatem insinuat. Philosophi verò, qui motores orbium existimant proportionatos esse ijs orbibus, quos mouere perpetuò debent, huius imparitatis testes constantissimi sunt.

Secundò probatur Conclusio. Angeli inter se dispares sunt in vi intellectiua; ita vt quidam per vniuersaliores species, alij verò per minus vniuersales intelligant. Atqui talis disparitas ex ipsa Angelorum, specifica substantia nascitur: ergò Angeli specificè semper distinguuntur. Maior est Dion. 12. Angel. Hierarch. Minor autem probatur. Vniuersalitas maior specierum, vel minor est quædam differentia cognoscitiuitatis cognoscentis substantiæ essentialiter eam diuidens. Ergò vt esse cognoscitiuum per vniuersales species conuenit Angelis ex ipsa communi natura substantiæ immaterialis completæ: ita esse cognoscitiuum per species magis, vel minus vniuersales conueniet ex ipsa specifica ratione huiusmodi immaterialis substantiæ. Et id quidem euidentissimum est in ea opinione, quæ dicit huiusmodi species intentionales naturaliter fluere, tamquam passiones ab Angeli substantia. Adhuc tamen manifestum, & verum, certumque apparet, etiamsi opposita huic sententia illa vera esset, quæ inquam dicit eas species ab extrinseco agente infundi, esse tamen debitas huiusmodi Angelorũ substantiæ. Nàm sicut est proprietas Solis moueri tali ac tàm celeri motu, & super tales polos ab extrinseco tamen motore: Ita proprietas Angeli est, vt aptus sit à superiori extrinseco agente recipere tales species vniuersaliores, vel contractiores propriæ substantiæ, ac virtuti proportionatas.

Ad maiorem claritatem rationis huius; Notandum, ac memoriæ mandandum est; Differentias constitutiuas Angelorum, seu intelligentiarum sumi iuxta D. Thom. ac veritatem ex gradibus inter se secundùm nobilitatem, differentibus. Et ideò cum esse intelligentem idem sit,

quod

quod esse semet, & omnia alia; nobilitatem gradus intelligentiæ attendi necesse est, secundùm quòd nobiliori modo est omnia alia, seu est apta nata esse omnia alia. Tantò antè nobiliori modo quis est omnia alia, quantò cũ maiori vnitate est omnia alia, & cum distinctione minori. Nàm hoc modo assimilatur magis ipsi Deo, cui ex infinita nobilitate conuenit per vnicam essentiam suam, esse omnia. Et hinc fit; vt quantò species sunt vniuesaliores, quia scilicet vnica species plures naturas repræsentat specificas, vel genericas intellectui per eam cognoscenti; tantò vnitius, & cum minori distinctione cognoscens est omnia alia. Nàm per pauciores huiusmodi species omnia alia cognoscit, quæ cognoscuntur ab alijs per plures, & contractiores. Patet igitur, cuius essentia hoc sibi vendicat, vt per pauciores, & vniuersaliores species cognoscat, idest fiat omnia alia; illud necessariò habere gradum nobiliorem intellectiuitatis. Præsertim, quia sicut vniuersaliter dici solet, vnumquodquè recipi in recipiente per modum recipientis, ita etiam in specialibus terminis dicitur, cognitum esse in cognoscente, secundùm modum naturæ cognoscentis: ergò oportet altitudinem huius modi cognoscendi per species pauciores (quæ attenditur penès hoc, quòd cognoscibilia sint in cognoscente per species vniuersaliores, ideòquè nobiliores) proportionari modo essendi ipsius substantiæ cognoscentis essentiali, & consequenter gradum intellectiuum substantiæ esse altiorem specificè. Et quãuis hæc doctrina sufficienter ex principijs deducta sit; plausibilior tamen fiet, si in Ferrarien. 2. contra gen. cap. 92. ad secundam Conclusionem legetur.

Secunda Conclusio. Species Angelorum athomæ plures numero sunt, quàm Cœlestes Orbes, eorumue motus.

Oppositum veritatis huius arbitrati nonnulli sunt ea ratione. quòd oporteat motorem mobili esse proportionatum. Cumquè orbes ab intelligentijs mobiles certo numero, eoquè modico comperti sint ex diuersorum motuum obseruatione, certos etiam iudicauerunt esse

moto-

motores eorum. Sed facilè reuincitur hæc opinio, nostraquè sententia probatur.

Prima ratio. Substantia spiritualis, atquè adeò Intelligentia altioris virtutis est, quàm quòd sit motiua corporis vllius: ergò non possunt rationabiliter eius species, specierumquè numerus desumi ex proportione ad corpora mouenda. Antecedens est euidens: cum intellectus, vt intellectus vniuersalissima virtus, & potestas sit, potentia autē motiua corporis ei comparata sit virtus quędam particularis, quò autem virtus vniuersalior est, eò altior: ergò, &c. Consequentia probatur. Nam species rei attendenda est secundùm id, quod in ea perfectissimū est. Et ex hoc habetur solutio rōnis oppositæ sententiæ.

Secunda ratio est. Angeli sunt multò plures, imò verò incōparabiliter plures, quàm orbes moti, vt ex lib. Dan. c. 7. Theologi omnes affirmant: ergò plures eorum species esse oportet, quam orbes moti. Consequentia declaratur. Certum est Deum posse facere species perfectiores, quàm sint huiusmodi motores: nam hoc ipsamet ratio ex infinita Dei potentia demonstrat, & fides conuincit, docens; non esse impossibile apud Deum omne verbum. Non est impossibile autem esse plures species, quàm huiusmodi motores: Ergò siuè in eadem specie plures Angeli esse possint, siuè non possint, adeò rationabile est in tanta multitudine ferè innumerabili plures quā 60. vel 70. species creatas esse, vt meritò necessarium dici possit.

Tertia ratio. Et efficacior. Angeli distinguuntur penès gradum intellectiuum indigentem paucioribus, & vniuersalioribus, vel minus vniuersalibus, ac pluribus speciebus, vt declaratum est Conclusione præcedenti. At non est verisimile inter Angelos tot numero intercedere differentiam tantùm penès 50. vel 60. tantum species, per quas Angelus infimus omnia intelligat, supremus autem eadem intelligat per duas, aut tres superadditas substantiæ suæ. Ergò dicendum est esse plures species, quàm 60. vel 70. motores orbium.

Tertia Conclusio. Angeli non possunt numero distingui

gui inter se, per existentiam, vel personalitatem, nequè per relationem producti ad Deum producentem, vel per aliud quodcumquè accidens.

Oppositum huius Conclusionis asseruit Henricus Gandauensis dicens essentiam, & suppositum esse idem rem; differre autem eò, quòd essentia, verbi gratia, hominis dicat rem illam, quæ humanitas est, cum relatione ad exemplar, quod est in mente diuina: suppositum autem dicat eandem rem etiam cum relatione ad Deum producentem: & hac relatione suppositum constitui. Sed Conclusio nostra probatur hoc pacto.

Existentia, & personalitas aduenient naturæ iam singulari, vt ex misterio Incarnationis manifestè conuincitur, in qua secundùm Diuum Thomam, & veritatem natura humana singularis reperitur sinè personalitate humana, & sinè humana existentia. Et in omni opinione, Existentia actus est rei singularis, cum vniuersalia extra animam non existant. ergò præsupponit eam rem, cuius scilicet est actus, esse singularem, & non facit: numquam enim actus facit potentiam, cuius est actus.

Quoad reliqua verò probatur. Nam semper relatio, & quodlibet accidens aduenit post existentiam substantialem, saltem secundùm ordinem naturæ, quia semper præsupponunt subiectum, aut etiam fundamentum suum. Ergò non possunt constituere naturam indiuiduam substantiæ, quæ eis subijcitur, sed eam indiuiduatam esse supponunt: & consequenter non possunt eam ab alia numero distinguere: siquidem res eodem distinguuntur, & constituuntur.

Quarta Conclusio. Angeli non possunt inter se distingui per Heccheitatem, quam Scotus commentus est.

Probatur multis rationibus.

Prima ratio. Omnia indiuidua, quæ Scotus fingeret, conueniunt in eo, quod est, Heccheitatem habere: ergò Heccheitas non pōt esse primū principium distinctionis, ac dissimilitudinis, quæ oportet esse inter indiuidua distincta. Antecedens est per se notum: consequentia verò probatur. Nam alioquin idem esset principium, quo

conue-

conuenirent, & quo differrent, ac distinguerentur. Confirmatur. Omni rei in rerum natura existenti, & extra animam conuenit hæccheitas, & non certè eiusdem rationis: ergò oportet esse aliquid, quo hæccheitas Angelica distinguatur ab hæccheitate Cœlorum elementorum, & quorúlibet talium inter se. Sed hoc fingi non potest, nisi ipsa rei existentis specifica natura, eiusquè principia: ergò hæccheitates ex ipsis naturis, earumquè principijs inter se distinguuntur: ergò non possunt constituere indiuidua, ac distinguere inter sese. Antecedens primum quoad primam partem est per se notum, omne enim, quod existit, vnum numero est, quod est esse hoc. Quoad secundam partem probatur. Nam impossibile est in entibus spiritualibus, quales sunt Angeli, & corporalibus, in substantijs, & accidentibus esse aliquid vnius, eiusdemquè specificæ rationis, præsertim indiuisibilis, & athomæ. Antecedens secundum patet de se. alioquin assignetur illud distinctiuum, quo tales hæccheitates distinguantur.

Secunda consequentia probatur. Nam id, quo aliqua ab inuicem differunt inter sese specificè, non potest diuidi in plura numero per ea, quæ mendicant specificam sui ipsorũ vnitatem, atquè ab omnibus alijs distinctioné ab ipso Verbi gratia, duæ hæccheitates duorum hominũ, à duabus duorũ Angelorum hæccheitabus differunt per ipsas hominum, & Angelorum naturas inter sese specificè; & vtriusquè naturæ hæccheitates conueniunt inter se specificè, quia illæ sunt hominum, istæ sunt Angelicæ hæccheitates; quomodò igitur possunt diuidere illæ quidem naturam humanam in duo humana supposita, istæ naturam Angelicam in duo supposita Angelica? An eadem principia humanitatis, vt eadem sunt, erunt ratio, ac principium distinguendi humanitatem? Quòd si dicas illa principia, non vt eadem, sed vt distincta, esse rationem distinguendarum huiusmodi hæccheitatum: iam oportet hæccheitates has habere quoquè aliquod principium prius, quo distinguuntur: vel saltem (si respondeas non alio principio distingui, sed seipsis) oportebit aliquod

S princi-

principium poni harum hæccheitatum. Et tunc illud erit primum principium distinctionis indiuiduorum non hæccheitas. Deindè nec fingi quidem potest tale principium hæccheitatis in substantia completa penitus immateriali, esto in rebus corporeis inuestigari posset, idest prima materia. An verò horum quoquè principiorum hęccheitates oportebit habere aliquod principium prius, ibitur in infinitum.

Secunda ratio. Hæccheitas per opinantem est communis huic, & illi, ac singulis indiuiduis eiusdem naturæ athomæ, & similiter natura illa athoma communis eisdē est indiuiduis, in quæ diuiditur. Verbi gratia, Hæccheitas Gabrielitatis, & Gabrielitas communes sunt pluribus Gabrielibus secundùm Scoti opinionem suppositis. Ergò non potest talis natura Gabrielis per Hæccheitatem indiuiduari. Consequentia probatur. Nam principium indiuiduans, ac distinguens ab altero indiuiduo eiusdem naturæ debet esse illa natura contractius, & non æquè communis, quemadmodum natura diuisa: siquidem distinctum ab alijs, vt sic constituit.

Tertia ratio ex Caietano desumpta. Actus singularis præexigit potentiam singularem: at hæccheitas est actus singularis vni indiuiduo conueniens, & non alteri in eadem specie constituto: ergò præexigit potentiam singularem: & consequenter naturam indiuiduam; cum in natura vniuersali potentia singularis, nec esse, nec fingi vllo modo possit.

Quarta ratio ex eodem Caietano. Id, quod vni conuenit; & non alteri existenti in eadem specie athoma, præexigit eorum distinctiouem; & consequenter huiusmodi distinctionem non facit. Atqui hæc hæccheitas vni indiuiduo naturæ indiuisibilis secundùm speciem conuenit, & non alteri. (Et similiter quælibet hæccheitas) ergò hæccheitas præexigit; non autem facit indiuiduorum distinctionem.

Et Caietanus quidem has duas rationes tanti facit, vt existimet in via Scoti vix inueniri modum, imò nè vix quidem, quo dissolui ab ipso possint. Nam ambarum

rationum

rationum ambæ præmissæ expressè, ac penè formaliter habentur in ipsomet Scoto de indiuiduationis principio pertractante.

Quinta ratio. Hæccheitas ista in Angelis non prouenit à materia, nec vllum ordinem habet ad materiam, etiã in opinione Scoti concedentis Angelos esse sine materia: ergò oportet eam prouenire à forma. ergò non potest eam indiuiduare.

Ratio secundæ consequentiæ (quia prima euidens est.) Nam consequens formam non potest eius esse coarctatiuum: cuius fundamentalis ratio esse potest: quia consequens necessariò formam, necessariò reperitur vbicumquè est forma.

Sed dicet Scotus, Hæccheitatem istam esse ipsammet materiam restringentem formam: & materiam quidem non partialem, sed totalem. Est autem huius Scotici dicti ratio. Nam materia id dicitur, quod coarctat: cumquè hac hæcceitate velit naturam coarctari; materia illi dicetur. Addit, & rationem aliam ad hanc eandem sendentiam: quia scilicet Hæccheitas est extra rationem speciei.

At verò non videtur hoc dictum dignum esse subtilitate Scoti. Primò, siquidem, si omne coarctatiuum, aut omne existens extra rationem rei dicendum est esse rei materiam; sequitur necessariò differentiam omnem comparatam ei, quod per illam distinguitur, aut constituitur illius esse materiam, verbi gratia, rationale comparatum animali, imò, & homini; quod ab omnibus Doctoribus exploditur. Et ratio quidem consequentiæ quoad primam partem est. Nàm differèntia genus contrahit, & est exira illius rationem consentientibus cunctis. Ratio verò sequelæ quoad secundam partem est. Nàm ratio materiæ est ratio non relatiui cuiusdam, sed absoluti à termino. Absoluta autem talia, quo modo se habent ad vnum, eodem se habent ad omnia, cum secundum suam naturam per se cõueniat eis talis comparatio: igitur cùm differentia comparata generi materia esse ex Scotica hac doctrina conuincatur; etiam comparata constitutæ spe-

ciei necessariò materiæ rationem habebit. Quòd si effugium illud, vbi lateat, subintrare conetur, videlicet ex illis duobus non effici absolutè, vt ratio materiæ conueniat ei rei, cui tribuuntur, sed rei tali, idest, naturæ athomæ, atquè formaliter indiuisibili (quòd aliquandò dicitur conuenire non gratia formæ, sed materiæ) iam apparebit vanitas rationis, eò quòd nulla ratione ex indiuisibilitate formali speciei deduci potest aliquod esse illius restrictiuum, & contractiuum, illam in plura indiuidua distinguens. Quòd si hanc plurium indiuiduorum distinctionem supponunt: quis non videat id præsupponi, quod probandum erat? quod patet esse vanissimum.

Secundò redarguitur hoc dictum. Hæccheitas est vltima actualitas, secundùm quam natura existere potest: ergò comparata speciei non potest, nec totalis, nec partialis materiæ rationem habere. Consequentia clara ex ipsis terminis est. Repugnat enim rationi, vnum, & idem comparatum vni, ac eidem habere, & rationem actualitatis, (& præsertim vltimæ) & rationem materiæ, cum diffinitiones actualitatis, & materiæ sint omninò repugnantes. Antecedens est Scoti. 2. sent. d.3. q. 6. mihi sub litera G. vbi in forma sic dicit: Quoad hoc ista Realitas similis est realitati speciei, quæ est quasi actus determinans realitatem speciei, quasi possibilem, ac potentialem. In quibus expresè patet nominari actum determinantem possibilitatem, potentialitatéquè speciei: quomodò igitur ad eamdem speciem cōparabitur quasi materia?

Sexta ratio principalis. Quæratur à Scoto; vndè sumitur ista hæccheitas? Respondet, sumi ab vltima actualitate formæ. Et tunc infero: ergò est verè actualitas comparata speciei, & nullo modo materia. Ecquam enim apparentiam potest habere, vt sumptum à forma, imò ab ab actualitate, eaquè vltima formæ rationem materiæ habeat? Sed vrgeo vlterius argumentum. Et quæro, vltima hæc actualitas, vndè hæccheitatem desumi fingit, estnè actualitas formæ specificè, an verò indiuidualis? Neutrum enim dici potest. Nàm si prima pars affirmetur; sequi-

sequitur istam numero hæccheitatem esse vbicumquè est illa forma specifica, in omnibus inquam indiuiduis; quod adeò inoperabile est, vt id prosequi sit perabsurdum. Ratio sequelæ est: quia hæccheitas necessariò sequitur illud, vndè sumitur. Si verò affirmetur secunda pars sequitur istam hæccheitatẽ supponere formam indiuiduatam. Ergò nullo modo est principium indiuiduationis. Et probatur hæc vltima consequentia. Nàm principium indiuiduationis vnius indiuidui non potest in omnibus indiuiduis esse neque supponere debet, sed facere naturam in diuiduatam.

Et ex his facilè tota imaginatio Scoti de hæccheitantibus confutari dignoscetur.

Quinta Conclusio. Omnes Angeli, de facto, sunt diuersarum specierum, neque solo numero sub eadem athoma specie distinguuntur. Probatur hæc Conclusio multipliciter.

Primò. Omnis substantia completa distincta in plura numero indiuidua necessariò componitur ex materia: Angeli non componuntur ex materia, igitur non sunt distincti inter se solo numero. Et hoc modo deducendo Conclusionem omnes excludantur dubitationes, quas circa hanc rationem p.p.50. 4. mouit Caietanus. Minorem propositionem concedit etiam Scotus: maiorem verò negat, quamuis expressè sumpta sit ex Aristot. 7. & 12. Metaph. Nec veretur Aristotelis auctoritatem negare: quasi Aristoteles ea ratione dixerit 7. Metaph. in primo principio non posse numerum cadere, quia componeretur ex materia; Dixerit hæc inquã Aristoteles eò, quod arbitratus sit: Talia entia esse entia necessaria: In ente autem necessariò continetur omne id, quod possibile est ei inesse. Vndè esset inferendũ contra eundem Aristotelem, intelligentias istas futuras esse numero infinitas. Qua enim ratione duæ asseruntur, eadem asserendæ essent infinitæ, ob illud principium; In ente necessariò existit, quicquid ei inesse potest.

Cæterum miror profectò, quomodò tanta subtilitas Scoti acutissimo eius ingenio tenebras offuderit; vt non

animaduerterit Aristotelem, non hoc medio vti; sed ex sola immaterialitate argumentari. Arguit enim. Non esse plura principia prima numero, quia primum principium necesse est esse sinè materia: & non quia primum principium est ens formaliter necessarium.

Præterea. Scotus ex illo principio, quicquid esse potest in ente formaliter necessariò, de facto in eo existit, valdè malè colligit, futura esse indiuidua numero infinita. Nam dato (quod & verum est) Angelos essentia formaliter necessaria, & consequenter necessariò etiam habere in se, quicquid ad eorum substantiam pertinens possunt habere; sequitur; ergò non possunt esse duo numero in eadem specie, sed necessariò est vnicus tantum, vt infra videbimus: quia vnicum illud indiuiduum totum illud continet, quod potest reperiri in tali ente.

Secundò probatur Conclusio. Omnis diuisio sumpta ex parte formæ necessariò inducit distinctionem specificam: Sed omnis distinctio inter Angelos necessariò est ex parte formæ solius: ergò necessariò inducit inter eos distinctionem specificam. Maior propositio à Scoto acceptatur cum tali glosa; scilicet, si differentia sit in forma tamquàm in prima ratione differendi: quo modo negat minorem.

Sed velim mihi ostenderet, quænam possit esse prima ratio differendi inter Angelos. Neque enim esse potest, vel materia, vel (quæ illam consequitur) quantitas etiã apud Scotum, neque hæccheitas, vt probatum est. Restat igitur, vt sola forma possit esse prima ratio differendi, & consequenter nè vix quidem hanc rationem Scotus effugiet.

Tertiò. Omnem naturæ diuisionem, aut per formam fieri necesse est, aut per materiam: (& loquimur de diuisione naturæ per intrinsecum principium; quod necesse est reperiri in omni diuisione naturæ vnius ab altera præter extrinsecum agens. Quod probo. Nam diuisio naturarum intrinsecè conuenit cuilibet naturæ comparatione cuiuslibet: seu maius apertius dicere; Quia intrinsecè quælibet natura vna in se, & distincta est à qualibet

alia:

alia: ergò oportet fieri per aliquod intrinsecum principium. Atqui agens principium extrinsecum est, vti etiam est finis; intrinseca verò principia non possunt esse, nisi materia, & forma: ergò necesse omninò est omnem vnius ab alia natura diuisionem, aut per formam fieri, aut per materiam: vti assumpseramus. Sed in Angelis non potest vllo modo fieri per materiam; ergò erit diuisio per formam: & consequenter erit diuisio specifica. Minor probatur: Quia carent materia, quæ sit eiusdem rationis in omnibus indiuiduis: siquidem huiusmodi materia est quanta, aut formaliter, aut eminenter, aut actu, aut saltem potentia. In Angelis autem nullo tali modo potest esse quantitas etiam in sententia Scoti.

Siquis aũt proteruiret dicendo in Angelis esse materiã diuersarum rationum: is sanè reuincitur necessariò ratione demonstratiua S. D. p. q. 50. art. 4. demonstrantis Angelos per huiusmodi materiam fore distinctos non solum specie, sed etiam genere.

Diuus Bonauentura secundo sententiarum, distinct. 3. par. secunda, quæst. prima. Videtur respondere huic rationi dicendo: Numeralem distinctionem naturæ nasci diuisione materiæ, si naturæ multiplicatio fiat per generationem; eò quòd generans dat generato partem suæ substantiæ, & consequenter oportet materiam diuidi in partes plures. Modo autem multiplicantur (inquit) Angeli à solo Deo sine generatione vlla.

Sed hæc responsio vim rationis non attingit; quæ fundamentum in eo habet, quòd diuisæ naturæ indiuidua oportet habere intrinsecum principium diuisionis inter seipsa: quod est necessarium quocumquè modo indiuidua multiplicari fingantur.

Quartò. Probatur Conclusio. Entia immaterialia subsistentia, & completa, quales sunt Angeli, sunt entia perfectissima: ergò conuenit eis multiplicatio, quæ dicat perfectionem, imperfectionemquè excludat: ergò multiplicantur solum specificè, & non numero tantum. Probatur prima consequentia. Non enim conuenit enti perfectissimo tribuere id, quod est entis imperfectioris.

Secunda consequentia probatur. Quia differentia numeralis tantum dicit imperfectionem, cum & ijs conueniat, quæ totam perfectionem suam nequeunt in vnico indiuiduo continere: imò & ijs, quæ non possunt in vno indiuiduo perpetuò subsistere, neque naturam eleuat ad aliquid ipsa præstantius, cum ipsam diuidi. Differentia verò specifica perfectionem importat. Ipsum enim genus etiam specificat; & vt facit aliud, ita etiam ipsum nobilitat; vndè comparatur ad ipsum, vt actus ad materiam.

Quintò. Probatur Conclusio. Dantur duo extrema, videlicet pluralitas personarum in vnica numero natura. (In Diuinitate siquidem vnica sunt tres personæ;) & pluralitas suppositorum cum naturæ multiplicatione numerali, vt in hominibus: ergò asserendum est dari, etiam medium, vnitas scilicet suppositi numero cum eadem numerali vnitate naturæ, in Angelis. Diuus Bonauentura respondet loco citato supra, Angelum non posse esse medium inter illa duo extrema: siquidem conuenit cum homine in eo, quod diuersitatem naturarum continet, etsi non tantam, quantam homo; Addiditquè secundò, quamuis humana natura non diuersificetur in pluribus suppositis, multiplicari tamen in eis.

At verò hæ responsiones non attingunt virtutem argumenti; quæ in eo consistit, quòd vnitas suppositi cum vnitate specifica naturæ, est quid medium inter illa duo extrema, scilicet vnitatem naturæ cum pluralitate personarum, & distinctioné naturę cum pluralitate indiuiduorum. Hoc tamen argumentum allatum est solum ad húc Doctorem. Et nota non posse assignari illud medium in speciebus substantiarum cœlestium, vt est vnica Luna, Sol, & similes: quia exitur extra latitudinem substantiarum intellectualium.

Sextò Probatur. Dignius in vnoquoquè est illud, quod specificum est; quod verò est principium indiuiduationis est indignius. Ergò multiplicatio specierum est perfectior, tùm comparata ipsi vniuerso, tùm etiam eiusdem vniuersi Creatori, & Gubernatori, quàm multiplicatio

indiui-

indiuiduorum tantum: Sed illud quod dignius est, id Angelis est tribuendum: dicuntur enim Angeli esse substantiæ, quantum fieri potest, Deo similes. Ergò in Angelis ponenda est tantum distinctio, & multiplicatio specierum.

Et hinc patet quomodo maiorem gloriam Summo Regi sæculorum afferamus: Habere scilicet illum plures ministros non imperfecta diuisione, sed diuisione perfectionem dicente multiplicatos, qualis est distinctio specifica.

Septimò tandem probatur. Non sunt Soles, vel Lunæ, alijuè orbes plures numero in eadem specie. ergò nequè etiam in vnica specie Angeli sunt plures numero. Antecedens probatur ex eò, quòd constant tota materia sua astra, & orbes huiusmodi, tùm quia in quolibet astro, vel orbe reperitur virtus, quæ ei debetur, secundùm totam perfectionem.

Consequentia probatur. Nam quilibet Angelus totum habet, quod pertinere potest ad naturæ, virtutisqvè suæ perfectionem. Quis enim, vel probabiliter hoc de Angelo neget; cum de astris, orbibusquè affirmetur; qui Angelis comparati sunt adeò imperfectiores? Quæ ratio infra explicabitur magis; & quantum valeat, potensquè sit, declarabitur.

Confirmatur. In supremo ordine vniuersi solùm reperiũtur ea, quæ sunt per se, ac magis immixta ijs, quæ sunt per accidens, quàm in reliquis inferioribus partibus eiusdem vniuersi. At Angeli pertinent ad supremum vniuersi ordinem, quia sunt perfectissima eius pars; scilicet substantiæ completæ subsistentes immateriales omninò, idest nullo modo receptibiles in materia. Ergò magis reperiuntur in eis illa, quæ sunt per se, ac magis immixta, &c. Tunc vltra. Diuisio in plura indiuidua sub vna specie est quid per accidens (ordinatur enim ad bonum speciei, vel conseruandum, quia in vnico indiuiduo corruptibili conseruari non posset, vel explicandũ, quia non posset tota latitudo substantialis perfectionis in vnico contineri indiuiduo. Ipsa verò indiuidua inter se

nullum

nullum habeat essentialem ordinem, sed per accidens omninò est, vt altero existente alterum existat, vel non existat; omnisquè talis comparatio inter ea est accidentalis. At de facto in corporibus cœlestibus, quæ sunt intermediæ partes vniuersi inter corruptibiles, & incorruptibiles talis diuisio non reperitur. Ergò multò minus reperietur in Angelis, sed est inter eos distinctio specifica, quæ est distinctio per se, eaquè impermixta diuisioni in plura indiuidua eiusdem naturæ, quæ est per accidens. Vide D. Thom. de spi. cre. articulo nono.

Septima Conclusio. Sententia dicens Angelos posse solo numero in eadem specie multiplicari videtur implicare contradictionem.

Hanc Conclusionem probo primò in schola, ac sententia D. Thom. tanquàm de mente ipsius.

Primò, in Q. de spirit. creat. art. 8. in corp. dicit non solum esse impossibile intelligere plures albedines, si separatæ essent ab omni materia, quod etiam articulo primo quæstionis eiusdem dixerat: sed etiam esse impossibile intelligere duas numero albedines abstractas à materia. Et ibidem ad quartum docet; Quòd sicut albedinem esse in hoc subiecto excludit ab ea rationem vniuersalitatis; ita substantiam subsistere separatam ab omni materia excludit ab ea vniuersalitatem. Ex quibus sic arguo. Implicat contradictionem albedinem existentem in hoc subiecto numero plurificari. Ergò contradictionem etiam implicat substantiam siuè omni materia existentem in eadem athoma specie numero multiplicari. Antecedens videtur esse per se notum ex terminis. Nam albedo ex eò, quòd est in hoc subiecto, singularis est: omninò autem implicat id, quod est singulare, esse plura numero. Consequentia verò patet ex auctoritatibus adductis præsertim vltima.

Et confirmatur. Nam quod non implicat contradictionem non est impossibile intelligi (saltem vbi factum iam fuerit, & saltem si reuelatum) at esse plures albedines separatas ab omni subiecto non potest intelligi iuxta D. Thom. auctoritates adductas; ergò implicat con-

tradictionem esse duas albedines ab omni materia separatas. Est autem apud Diuum Thomam eadem ratio de substantia omninò spirituali extra omnem materiam existentem: ergò esse plures numero in eadem specie omninò implicat contradictionem.

Nec potest responderi (vt quidam autumant) Sanctum Doctorē loqui secundum ea, quæ ex Aristotelis philosophia cognoscere possumus; nam ratio, quam deduximus ex ipsis rerum terminis, nulla vllius Auctoris, aut sectæ consideratione procedit, si intimè penetretur.

Secundò. Angeli eodem sunt hic, & ille numero, quo sunt in hac, & illa specie: ergò implicat contradictionem esse duos Angelos in eadem vnica specie.

Consequentia probatur. Quia implicat omninò contradictionem illud, quo res est hæc vnica numero, esse commune pluribus numero. Antecedens passim habetur in doctrina sua S. Doct. Vide p. 3. 3.

Et propter hoc Caietanus 5. cap. de ente, & essentia, quæst. videlicet nona, ad tertium. Dixit necessarium esse à Deo reparari eundem numero Gabrielem, si Gabrielem annihilatum reparare vellet, quem vt creare potuit, & conseruare, ita potest & annihilare, & reparare.

Tertiò. Si forma extra omnem materiam naturaliter existens cognoscatur ex meritis rei, est incommunicabilis re, & ratione eo modo, quo Achilles non potest alteri humanæ naturæ indiuiduo communicari: ergò omninò implicat contradictionem esse plures numero distinctas huiusmodi formas in eadem athoma specie.

Consequentia est euidentissima. Nam apertissimè repugnat rationi eundem vnum numero Achillem esse plures numero. Antecedens autem est D. Thom. expressis verbis, prima par. 13. 9. Vera igitur nostra sententia, ac de mente S. Doctoris.

Quartò probatur. Abstractum in sua abstractione subsistens continet totam latitudinem, ad quam vllo modo potest eius ratio extendi. Ergò implicat tale abstractum tali modo subsistens multiplicari numero in tali ratione subsistente. At Angeli sunt entia specifica abstracta ab

omni

omni materia in tali abstractione subsistentia. Et consequenter continent singuli totam latitudinem suæ rationis: ergò non possunt numero esse plures intra vnicam speciem. Antecedens primum probatur. Quia nihil est, quod possit illud limitare formaliter; quia tunc non subsisteret in illa abstractione sua.

Consequentia vtriusquè enthimematis probatur. Nam si fingantur duo, necessarium omninò erit vnum non continere id, quo alius ab eo distinguitur, nè sint duo, quia distincti, & nō duo, quia non habent, quod eos possit distinguere. Antecedens secundum patet ex 1. art. 50. q. in p. p.

Ad hanc rationem nonnulli respondent negando consequentiam. Quia & Sol etiam continet totam speciei suæ latitudinem, nec tamen implicat Soles esse plures.

Sed hæc responsio valdè fallitur. Non enim dicitur Sol continere totam latitudinem speciei, sed constare tota materia sua: Quia scilicet nulla alia in rerum natura inuenitur materia, quæ sit potentia ad formam Solis: quocum optimè affirmari potest à Deo posse fieri aliam, & materiam, & formam Solis; vndè consequeretur plures numero Soles esse: quorum neuter totam latitudinem speciei contineret, vt patet, cum in vnoquoquè propria materia, & forma, & quantitas reperiretur. Nec est de ratione Solis, vt quicquid ad huiusmodi naturæ perfectionem substantialem spectat, in ea contineatur: Quod tamen conuenit cuilibet Angelicæ speciei, ex eo; quòd, quæcumquè ad substantialem etiam indiuidualem perfectionem pertinent, consequuntur ad ipsam formæ specificæ extra omnem materiam naturaliter subsistentis rationem.

Prætereà. Non est par ratio de Sole, & forma subsistente abstracta, qualis est Angelus. Dixit enim Sanctus Thomas p. q. 50. 2. ad quartum. Formas extra materiam existentes esse infinitas intra latitudinem suæ speciei. Atqui continens totam latitudinem infinitam speciei nulla ratione potest plurificari. Sol verò non habet latitudinē infinitam speciei; cum sit natura ex materia composita;

atquè

atquè forma; ideòquè ipsum multiplicari numero non implicat.

Ex quo formetur ratio, qua

Quintò Conclusio probatur. Quæ sunt infinita simpliciter in aliqua specie, non possunt in illa specie multiplicari numero. Quælibet Angelica species est infinita simpliciter in specie sua, ergò non potest numero multiplicari.

Propositio probatur. Nam alioquin vnum indiuiduum aliquid haberet; quod non esset in altero spectans ad illam speciem, & consequenter neutrum esset in illa specie infinitum, & consequentnr duo contradictoria vera essent.

Assumptio probatur. Nam apud Sanctum Thomam loco citato, Substantia separata ab omni natura est simpliciter in suæ speciei latitudine infinita, ex eo, quòd existit ita ab omni materia separata.

Vide pro his duabus rationibus. Dominum Caiet. prima parte, quæst. 41. sexto, declaratione quartæ rationis Diui Thomæ.

Sextò probatur. Angelus essentialiter est completa forma, seu essentia intellectualis ab omni materia separata: ergò est forma essentialiter irreceptibilis in materia. At ex hac irreceptibilitate consequitur essentialiter ipsā esse singularem, vnamquè numero: ergò ex ipsa essentia sua habet forma huiusmodi separata ipsum esse singulare, vnumquè numero. Sed quod est singulare, & vnum numero implicat contradictionem multiplicari numero. Ergò ex ipsamet sua essentia implicat Angelum in sua athoma specie multiplicari numero. Et primum quidem antecedens habetur ex Diuo Thoma, pluribus in locis, sed sufficit p. p. q. 50. art. 2. & 1. Consequentia ad ipsum probatur. Nam formam in materia receptibilem necessarium est esse partem completæ substantiæ, non substantiam completam, adeò vt oppositum apertam inuoluat contradictionem. Sumptum antecedens habetur expressè ex Diuo Thoma p. p. quæst. 3. art. 2 ad tertium. Ad quod sequela secundi consequentis est apertissima: po-

stre-

stremò autem assumptum antecedens, tùm ex ipsis patet terminis, tùm etiam expressè asseritur à Diuo Thoma, p. p. q. 13. art. 9. his verbis. Nomen impositum ad significandum aliquod singulare est incommunicabile, & re, & ratione; quod etiam demonstrat subdens. Non enim potest in apprehensione cadere pluralitas huiusmodi. Igitur in Diui Thomæ sententia contradictionem implicat Angelos in vnica specie indiuisibili esse plures numero: quod proposueramus primo loco probandum.

Iam verò secundo loco probemus hanc eandem Conclusionem absolutè, ac simpliciter, & non ad hominem, ad scholamquè particularem. Sit igitur.

Prima Ratio talis. Principium indiuiduationis implicat esse quid extrinsecum: ergò in Angelis nasci non potest, nisi à sola forma. ergò implicat omninò contradictionem multiplicari in Angelis principium indiuiduationis, ergò impossibile est Angelos in eadem specie esse plures.

Antecedens probatur. Principium indiuiduationis indiuiduum constituit essentialiter, dequè indiuiduo sic cõstituto species prædicatur essentialiter. At si principium esset extrinsecum quippiam species de eo essentialiter prædicari non posset; ergò huiusmodi principium non potest esse quid extrinsecum speciei, & consequenter necessariò est intrinsecum.

Quòd si hanc minorem prosyllogismi quis neget, eam sic probamus. Nam species, quæ essentialiter de indiuiduo prædicatur, totum id dicit, quod in indiuidui substantia est; alioquin non esset prædicatio vera.

Consequentia prima probatur. Quia principium indiuiduationis intrinsecum substantiæ non potest esse, nisi forma, vel materia: hæc autem non est in Angelis.

Consequentia secunda probatur. Quod formam consequitur, æqualiter commune est, atquè ipsa forma; quod est idem, ac dicere, in omnibus est, in quibus est ipsa forma: ergò vel oportet principium indiuiduationis vnicum tantùm esse, & omninò non multiplicabile numero, vel oportet principium indiuiduatiuum vnius

esse in omnibus alijs indiuiduis, in quibus est forma. Et consequenter nec erit principium indiuiduatiuum, cum in pluribus indiuiduis sit. nec erunt indiuidua plura, cum eodem principio omnia constituantur indiuidua.

Respondebitur fortè à quibusdam, Principium indiuiduatiuum non consequuturum formam ratione formæ, sed ratione tantæ perfectionis in forma repertæ, quanta non erit in alio. Sed hanc responsionem excludit, quæ sequitur ad Conclusionem.

Secunda ratio. Ad formam abstractam subsistentem pertinet tamquàm essentiale quippiam infinitas entitatis, limitatæ tamen ad talem speciem: ergò per nullam omninò potentiam talis infinitas ab ea separari potest; ergò non potest in vno indiuiduo esse tantæ perfectionis, in altero maioris, vel minoris: ergò principium indiuiduationis non potest ea ratione, quam responsio affert, formam consequi, scilicet ratione tantæ perfectionis in vno, quæ non in altero.

Antecedens probatur. Prænotando finitatem esse duplicem: quandam infra terminos essentiales alicuius speciei, qualis est inter duas species substantiæ ex proprijs earum differentijs per se: vel etiam inter duo eiusdem speciei indiuidua, vt inter duos æquos, quorum alter altero est generosior etiam substantialiter: Alteram verò accidentalem per extrinsecum accidens, verbi gratia, per quantitatem, vt aliquando equus secundùm substantiam nobilior exceditur secundùm quantitatem ab alio longè imperfectiori. Eodem modo distingui posset infinitas secundùm scilicet latitudinem speciei suæ, quæ de facto singulis speciebus substantiæ immaterialis conuenit, & per accidens extrinsecum, (quod tamen actu non datur) vt fingebant antiqui infinitum spatium, vel corpus, si fingatur infinitum secundùm magnitudinem. Prima finitas, vel infinitas essentialis est rei, si cui conuenit, quicquid sit de secunda; quod ratione probabitur.

Tunc arguitur. Formæ abstractæ subsistenti conuenit infinitas prima, intra scilicet latitudinem speciei suæ: ergò talis infinitas omninò essentialis censeri debet.

Hæc

Hæc consequentia probatur. Quia conuenit per differentiam constitutiuam rei, vt in exemplis patuit. Et ex his.

Prima consequentia enthimematis propositi probatur. Quia per nullam potentiam possunt à re separari ea, quæ illi sunt essentialia.

Secunda consequentia probatur. Tùm quia si est essentialis, necessariò est in omnibus; tùm quia si in vno maior, in alio minor perfectio sit, aut erit aliquid maius infinito in eo secundũ quod est infinitum, aut separabitur ab aliquo essentialis infinitas, contra præcedentem consequentiam, & consequens.

Si quis huic rationi velit obuiare distinguendo hanc infinitatem primo modo dictam conuenire posse formæ separatæ dupliciter; primò simpliciter, & absolutè, & hoc modo assumi falsum, secundo modo, vt eidem conuenire dicatur dimissæ suæ naturæ, & hoc modo esse verum; posse tamen à Deo impediri, nè consequatur formam talis infinitas, quod non posset fieri, si primo modo conueniret. Contra, sitque

Tertia ratio ad Conclusionem. Quod formæ abstractæ subsistenti conuenit ex eo, quòd est irreceptibilis in materia, conuenit ei simpliciter, & absolutè, quod probatur: Nam talis irreceptibilitas (quæ est ratio huiusmodi infinitatis) ei conuenit secundùm ipsam essentiæ suæ substantiam simpliciter, & absolutè, ita vt nulla omninò ratione per aliquam potentiam impediri possit, cum apertissimè contradictionem implicet formam in materia irreceptibilem esse in eadem materia receptibilem. At infinitas dicta primo modo conuenit formæ abstractæ subsistenti ratione, qua est irreceptibilis in materia, vt ex loco citato Sancti Doctoris, apertissimè habetur: igitur hæc infinitas, primò modo dicta conuenit ei simpliciter, & absolutè, nec potest vllo prorsus modo impediri.

Non arbitror fore quempiam adeò proteruientem, qui dicat, quamuis hoc indiuiduum in sua specie, verbi gratia, Gabrielis sit infinitum; non implicare tamen Deum de absoluta potentia posse facere aliud in eadem

specie

ſpecie indiuidnum perfectus, ſicut poteſt facere lucem ſplendidiorem luce Solis. Sed tamen ad hanc proteruiam expugnandam ſit.

Quarta ratio ad concluſionem principaliter intentam. Infinitum eſt cuius quantitatem accipientibus ſemper reſtat aliud accipere; quæ diffinitio licet 3. Phyſicor. aſſignetur infinito ſecundùm quantitatem molis, eadem tamen neceſſariò proportionali modo aſſignanda omninò eſt etiam infinito ſecundùm quantitatem virtutis: ergò illud, quo aliquid perfectius fingitur in aliqua ſpecie, implicat contradictionem eſſe infinitum in illa ſpecie. Et conſequentia eſt euidens; nam præter id, quod in eo eſſe fingitur, accipitur aliquid aliud, quo dicitur eſſe perfectius, & conſequenter non conuenit ei ratio infiniti.

Et certè ſicut contradictionem implicat dari aliquod ens maius ente in ratione entis ſimpliciter infinito; ita apertè implicat dari aliquid in certa vlla ſpecie entis maius eo, quod in illa eadem ſpecie eſt infinitum. Fundamentaliſquè ratio eius eſt; quia infinito, ſecundùm id, quod eſt infinitum, non poteſt aliquid eſſe maius; quæ propoſitio ex aſſignata diffinitione infiniti demonſtratiuè probatur.

Quinta ratio. Quod non eſt aptum natum conuenire rei ſecundùm ſuam naturam, ſed ſolum ab extrinſeco, non poteſt eſſe cauſa naturalis indiuiduationis: ergò non poteſt vllo modo eſſe principium indiuiduationis. Sed quicquid fingetur principium duorum Gabrielium, vt ſic loqui liceat, erit ab extrinſeco, & non conueniet eis ratione ſuæ naturæ; ergò nullo modo fingi poteſt tale principium duorum Gabrielium.

Primi enthimematis conſequentia probatur, & declaratur ſimul. Nam indiuiduum dicit rem ſingularem completam intra latitudinem coordinationis ſubſtantialis, & naturalis: ergò oportet principium indiuiduatiuum eſſe naturale. At ſi ſolum ab extrinſeco ſit, non poteſt eſſe naturale; ergò nullo modo erit indiuiduatiuum principium. Et hac declaratione probatum eſt etiã

Antecedens huius enthimematis primi.

Secundi verò enthimematis antecedens patet ferè ex terminis. Nam si principia ista Gabrielium horum, quos fingimus, conuenirent eis ex natura rei, iam rei ipsius natura determinatam perfectionem sibi vindicaret in vno, determinatamquè in alio; ergò non competeret Gabrieli ex rei natura infinitas perfectionis intra latitudinem speciei suæ.

Sexta ratio sit, argumentum, quod formauit Bagnes. In secunda sua dubitatione ad quartum articulum, quæst. 50. p. p Sancti Doctoris. In natura Angelica athoma non possunt esse plures proprietates intrinsecæ, & substantiales naturam specificam determinantes: ergò in tali natura Angelica non possunt esse plura indiuidua.

Antecedens probatur. Quia principium intrinsecum naturæ specificæ totale in Angelis est tantum vnicum. Consequentia verò notissima est.

Septima ratio sit argumentum secundùm, quod ibidem formauit Bagnes. Gabriel hic vnus numero continet omnem perfectionem naturæ Gabrielis debitam, ac possibilem. Ergò non potest alius numero Gabriel esse. Quæ tamen ratio in superioribus (virtualiter saltem) contineri videtur.

Conatus est Bagnes loco citato his duabus rationibus respondere; eò quòd de natura aliqua etiam athoma sub duabus comparationibus possumus habere sermonē. Primò. Comparando eam ad seipsam simpliciter, & absolutè sumptā, alio modo comparando eam ad seipsam, vt substat actioni diuinæ speciali. Contingit enim aliquid naturæ secundo modo comparatæ conuenire, quod eidē comparatæ primo modo non conuenit. Exemplum est. Species intelligibiles in intellectu hominis simpliciter, & absolutè consideratæ futura contingentia, ac liberas hominum actiones repræsentare non possunt: Attamen eædem species in intellectu Prophetæ, vt stant sub actione diuina lumine prophetico illustrante, & multò magis in intellectu supremi vniuersorum Iudicis Iesu Christi sub actione diuina ineffabiliter corroborante, futura contin-

gentia

gentia, omnesquè hominum vniuersorum actiones repręsentant apud Diuum Thomam, & veritatem.

Similè igitur modo licet non possint esse in athoma specie Angelica plures proprietates intrinsecæ, ac substantiales eam determinantes ob vnitatem principij totalis, si talis natura absolutè ad seipsam comparetur; possunt nihilominus esse ex tali principio totali, vt substat actioni omnipotentiæ diuinæ absolutæ. Eodemquè modo Gabriel iste numero omnem continet perfectionem suæ naturæ debitam, ac possibilem, si absolutè, & simpliciter Gabrielis natura ad seipsam comparetur: non continet illam tamen perfectionem possibilem, ac debitam naturæ consideratæ, vt subest actioni omnipotentiæ absolutæ Dei. Quod est idem, ac si dicatur maiorem hanc perfectionem, multiplicationemquè proprietatis naturam Angelicam determinantis in tali natura posita in diuersis indiuiduis cõuenire non ex natura secundùm se sumpta, sed ex natura sub actione diuina formaliter constituta. Atquè subtilis equidem, sed vltima videtur esse aut fuga, aut euasio horum argumentorum. Sed nisi mea me fallit opinio hoc responsum expugnat ratio sequèns ad principalem conclusionem. Sit itaquè

Octaua ratio. Non potest etiam per absolutam Dei omnipotentiam fieri, vt illud, quod non conuenit rei ratione naturæ ipsius rei in sua natura simpliciter, & absolutè relictæ, conueniat eidem rei ex actione Dei superaddita, tàmquàm naturale quippiam illi rei comparatum. Hæc propositio est nota ex terminis, si penetrentur: repugnat enim aliquid ex superaddita actione conueniens esse naturale rei, cui conuenit: quia naturale est, quod ex ipsis intrinsecis principijs conuenit, pręter quæ superadditam actionem esse manifestissimè constat. At supra demonstratum est principium indiuiduatiuum cuiuslibet rei non posse esse nisi id, quod rei conuenit tamquàm naturale. Ergò tale principium indiuiduatiuum ex addita Dei actione conueniens fictio pura erit, & vni, eidemquè Angelicæ speciei conuenire prorsus nullo modo potest.

Confirmatur. Nam si ad hoc, vt aliquid dicatur naturale rei sufficit, si ei conueniat, tamquàm stanti sub diuina omnipotentia, & actione, sequitur, quæcumquè miraculosè fiunt, imò & ipsam transubstantiationem panis, & vini in Christi corpus, & sanguinem esse naturalia; cum creaturis conueniant, vt stantibus sub actione, & omnipotentia diuina. Et quid prohiberet dicere personam verbi esse humanitati naturalem in Christo Domino; cum ei conueniat, tamquàm personalitatis propriæ conditiones exercenti, vt sub diuina omnipotentia, actionequè consideratur? Hæc autem absurda sunt adeò, vt omninò indecorum videatur in eorum absurditate probanda immorari.

Confirmatur secundò. Nam potentia obedientialis non se extendit ad ea, quæ implicant contradictionem: at duo supposita infinitæ perfectionis intra latitudinem speciei dari contradictionem implicat, sicut etiam implicat contradictionem auferri hanc infinitatem perfectionis intra latitudinem speciei ab indiuiduo naturæ subsistentis extra omnem materiam, quia est illi substantialis: ergò ad ista non se extendit obedientialis potentia.

Confirmatur tertiò. Hanc actionem in diuinam superadditam, vel concurrentem aliquo horum modorum, qui sequuntur concurrere necesse est ad principium indiuiduatiuum talis naturæ multiplicandum. Vel primò, actiuè, ab extra talem proprietatem determinatiuam producens. Et hoc est impossibile, quia apertissimè patet futurum esse extrinsecum penitus, & nullo modo naturale; quale probatum est necessariò debere esse constitutiuum indiuidui naturalis intrinsecum. Vel secundò tamquàm impediens, nè sequatur ex natura illa infinitas perfectionis illi naturæ alioquin secundùm se debitæ: Idquè, non ponendo aliquid in tali natura, sed tantùm non concurrendo ad hoc, vt ex ea infinita, aut maior perfectio sequatur, sed tantum in tali mensura. Sed hoc improbatur.

Primò. Quia hæc Dei actio nihil in natura illa specifica ponens, sed tantùm impediens liberè (cùm ad extra

opera-

operatio fit) ac omninò voluntariè concurrit: ergò si talis actio subtrahatur à Deo, tota rei illi debita perfectio naturaliter consurget in illis indiuiduis: ergò dari possent plura indiuidua habentia infinitam specificæ suæ perfectiouis latitudinem, quod supra demonstratum est esse impossibile: Aut certè ex omnibus illis indiuiduis oporteret (inopinabili metamorphosi) confici vnicum indiuiduum; quam chimeram quis intellectus deuorare posset?

Secundò. Hæc sequela perfectionis infinitæ debitæ naturæ extra omnem materiam subsistenti non pertinet ad genus efficientis causæ; quia perfectio substantialis, vt sic, non est quippiam realiter productum, sed est modus rei essentialis, qui rationem habere potest, causalitatem verò non potest.

At quæ hoc modo se habent, non videntur posse etiam per huiusmodi non concursum Dei impediri. Ea enim sub tali impedimento cadere possunt, quæ reuera efficiuntur. Vide Caietan. p. p. quæst. 4. in principio. Et similiter quæst. 11. in principio.

Tertiò. Hic modus repugnat responsioni concedenti positionem proprietatis intrinsecæ determinantis naturam, eiusquè multiplicationem: ergò in sententia Bagn. iste modus asseri non potest. Nec potest dici, quod huius proprietatis principium quidem actio diuina non sit, sed natura impedita, nè ampliorem producat: quia pura negatio concursus Dei non potest esse ratio, cur natura producat. Sed nequè natura sub talis concursus negatione; tùm quia iam receditur à responsione dicente hanc proprietatem conuenire naturæ, vt stat sub actione diuina (Iam enim non actio diuina supponitur, sed negatio actionis:) tùm quia negatio concursus, nequè dat, nequè limitat, aut determinat vim naturæ ad producendam hanc proprietatem determinatiuam, quæ vis naturæ in seipsa consideratæ non conuenit.

Quartò. Ista maior, aut minor perfectio non nascetur ex intensione, ac remissione vnius formæ etiam apud Bagnesium. Alioquin cum constituatur ex ea indiuiduum,

vnum indiuiduum mutari posset in alterum, si placeret Deo concurrere cum natura huius indiuidui ad maiorẽ perfectionem producendam, quod non implicat, ideòquè absolutè posset à Deo fieri. Ergò nascitur ex formis diuersorum graduum.

Consequentia probatur ex vi diuisionis. Quomodò autem poterit sententiam suam in schola Doctoris Sancti sui sustinere, qui p.p.q. 50.4. ad secundùm expresè vult magis, & minus perfectum sumptum ex formis diuersorum graduum speciem diuersificare?

Quintò, durum, ac inopinabile videtur, si dicatur posse quidem in vna specie athoma Angelos à Deo multiplicari numero, & non posse tamen effici duos Angelos æquales. Et tamen videtur efficaciter ita probari. Nam si natura vna est specie, & variatur ex principio totali; vt stat sub actione diuina in tanta perfectione: igitur non possunt illa, quæ habent eamdem naturam eodem modo sumptam, in tantaquè perfectione constitutam inter se esse distincta, & per consequens non possunt esse plura indiuidua.

Consequentia probatur, quia remouetur omne distinctiuum secundùm numerum.

Sextò. Quæ dedecent Dei bonitatem, impossibilia censenda sunt, etiam comparatione Dei: Dedecet autem, Deum auctorem esse ad hoc, vt res vlla sit imperfectior, quàm exigant eius naturæ secundùm se sumptæ merita igitur id impossibile censendum est. At si plures in eadem specie Angeli forent, hac actione Dei eorum natura; Deo auctore deterior fieret: Quod probo. Quia non posset gaudere in vllo supposito suo tota latitudine suæ specificæ perfectionis infinita. Nam nequè infiniti creari possent (vt saltem in omnibus collectiuè sumptis infinita illa latitudo specificæ perfectionis reperiretur) quia infinita multitudo non potest existere in actu ex pri. par. S. Thom. quæst. 7. art. 4. nec possent esse duo, non dico infiniti, sed vnus infinitus, alter verò perfectionis finitæ.

Nam hic secundus, quo distingueretur à primo illo infinito? in ipso enim etiam perfectio illa esset formaliter,

non

non virtualiter solum, quæ est fingitur in finito. Oportet autem distincta ab inuicem habere aliquid, quod non sit in altero. Profectò si solis gradibus caliditas distingueretur in indiuidua, & non subiecto suo; non possent dari duæ caliditates æquales, quæ dantur modò ob subiectorum distinctionem, quibus insunt.

Quod si dicas præcisione, vel non præcisione vlterioris perfectionis illos distingui: recole hanc præcisionem puram esse, vel negationem, vel priuationem: atqui vtrauis tali constitui indiuiduum intrinsecè quis dixerit? & præterà secundo, quomodò non conuincetur auctore Deo rem fieri deteriorem, cum priuatione debitæ perfectionis constituatur in esse? præsertim cum nullo modo natura eleuetur ad altius? (quod dixerim; nè humanitas in Christo dicatur imperfecta, quæ proprij generis perfectione, seu terminatione priuata est ex eleuatione ad personalitatem diuinam.) Et tertiò, saltem hoc indiuiduum auctore Deo erit imperfectum. Profectò non videtur cum summa bonitate congruere, vt eius absoluta omnipotētia exerceatur in creaturis imperfectione aliqua deformādis Ex quibus omnibus hoc secundū membrū satis exclusum videtur. Trāseamus igitur ad tertium. Vel tertio modo cōcurret, adaugendo virtutem. ſ vt aliquid ex natura illa sequatur, vt sub Dei actione est, quod non sequeretur ex eadem secundùm se sumpta. Modi huius exemplum posset afferri, & extrinsecus in Angelo intellectum illuminate, (ex præsentia enim substantiæ intellectualis, quæ substantialis quædam lux est, intellectus illuminati vigorem quemdam sortitur ad capessendas reuelationes, quæ proponuntur, ex parte etiam intellectus, qua de re alibi tractatum est,) & intrinsecus in sensitiua parte hominis: quæ in supremo sui cogitatiua scilicet potentia, ex coniunctione ad rationalem animam fit potens, & substantias particulares, & seipsam cognoscere, & particulariter etiam discurrere: quæ ab intellectu disiuncta præstare nullo modo potest.

Sed iste etiam modus omninò falsò assereretur. Primò quia cum hæc augmentatio virtutis haberi non possit, nisi

ab ipso Deo secundùm omnipotentiam suam absolutè sumpto apertissimè patet illum modum secundo loco exemplificatum nullo prorsus modo posse habere locum quia non potest vnio talis naturæ cum Deo conueoire quacumquè potentia. Nam licet Deus supplere possit creatam personalitatem, ita vt substantialiter eadem sit Deitatis, humanitatisquè persona (id verò etiam omninò supernaturaliter) non tamen potest supplere indiuiduatiui principij rationem: quia oporteteret vnionem fieri in materia, quod est falsum, & contra fidem.

Secundus verò modus.

Secundò excluditur. Quia talis sub Deo continentia, indequè virtus consequens supponit rem, cui isto modo coniungitur, natura saltem prius existere, quàm hoc modo contineatur: existentia verò singularitatem rei similiter præsupponit, & consequenter ex hac continentia non potest Angelus indiuiduationem sortiri.

Tertiò. Hæc virtutis augmentatio non contingit, nisi in ordine ad opus aliquod, non autem ad aliquid substantiale. Et patet tùm in exemplo, tùm in ipso quid nominis; Virtus enim operationis principium est. Indiuiduari aũt non pertinet ad opus, sed præcedit omnem operationem, & pertinet ad substantiale complementum rei.

Quartò. Magna videtur propriæ vocis non dicam ignoratio (nè videar iniurius esse colendissimo viro,) sed inconsideratio asserere, quòd in hoc modo sit corroboratio virtutis naturæ huiusmodi. Nam virtutis corroboratio non conuenit rei vniuersali, vel intellectu conceptæ, sed existenti: igitur ista, quæ fingitur corroboratio, non potest conuenire naturæ, nisi iam singulari præexistenti vel tempore, vel natura. Semper enim existentia singularitatem præsupponit.

Quintò. In rei corroboratione non destruitur id, quod naturaliter rei secundùm se consideratæ conuenit, sed illud ipsum perficitur. At hæc sententia, responsumque Bagnesij affirmat destrui, quod secundùm se naturæ conuenit. Nam ab ea aufertur, nè totam habeat infinitam in propria specie sua latitudinem.

Sextò.

Sextò. Quam apparentiam habet perfectionis potestas producendi plures proprietates determinatiuas ad certam, finitamquè latitudinem, si comparetur potestati producendi infinitam latitudinem? Mirum nisi statim concipiatur illud imperfectionis, hoc verò perfectionis esse. Non ergò potest hoc tertio modo affirmari, quod Bagnes finxit sub actione Dei positam naturam posse plura huiusmodi principia indiuiduantia producere, ad plura indiuidua in athoma Angeli specie constituenda.

Ex his omnibus arbitror Auditores ingeniosissimi satis euidenter concludi veritatem septimæ Conclusionis nostræ, & ostendi oppositã non solum non esse, vel in Diui Thomæ schola, vel absolutè veram, sed nequè probabilem. Quòd si ista omnia aptè ad præcedentem sextam Conclusionem accommodentur, eam reddent euidentissimè probatam, imò, vt arbitror, demonstratam. Sufficiunt igitur ista pro veritatis determinatione primo loco promissa.

SECVNDA PARS RELECTIONIS.

QVod secundo loco promisimus Auditores Nobilissimi in defensione veritatis positum est.

Contra primam itaquè Conclusionem arguitur à quibusdam, auctoritatibus Sãctorum nonnullis; quibus quasi eam labefactare conati, licet in Conclusione non dissentiant, non facilè intelligo, cur respondere noluerint: ipsi norunt.

Prima auctoritas est Athanasij in quæst. ad Anthiocum, aientis. Sicut Angeli vnius speciei sunt, ita credimus de nostra natura. Et alibi, Substantia certè sicut hominum, ita & Angelorum est vna.

Secunda est Basilij contra Eunomium. Angeli omnes vt appellationis vnius, sic & eiusdem naturæ sunt inter se. Et videtur loqui de vnitate athoma. Nam paulò post ita habet. Sicut inter Angelos quidam officio, auctoritate, dignitatequè excedunt alios, & tamen omnes sunt eiusdem naturæ, & essentiæ; ita Spiritus sanctus, licet

ordine

ordine originis sit tertius in gloriosissima Trinitate, est tamen eiusdem naturæ cum Patre, & Filio. Quæ de Angelis dicta verba si intelligerentur de generica vnitate, malè Spiritus sancti cum Patre, & Filio vnitatem in natura persuaderent.

Tertia auctoritas est Damasc. lib. 1. elem. cap. 7. dicentis, Ea, quæ continent sola indiuidua, vocari infimas species, sicut Angelus, & equus.

Respondetur hanc rationem facillimè dilui. Et primò ad omnes eas auctoritates simul dicimus; Si sunt intelligendæ, prout sonant, & ab hoc Auctore adducuntur; oportet concedere de facto in omnibus Angelis specificam, indiuisibilemquè formaliter vnitatem naturæ, sicut in hominibus cunctis, cum dicat expressè vnam esse substantiam Angelorum, vt hominum: quorum vnitatem constat indiuisibilem formaliter esse. Cæterùm non loquuntur in huiusmodi materijs antiqui Patres cum tanta formalitate; quia contra Hæreticos agunt: ad quos conuincendos non curant huiusmodi naturalia, nisi quàtum sufficit ad intentionem principalem. Proindè Diuus Basilius in eodem libro post verba superius adducta, sic habet in forma.

Quorsum hæc oratio? Quòd non omninò, si quippiam ordine, aut dignitate secundùm, aut tertium est id etiam naturam alteram habet. Nàm Angelorum alius Princeps, alius subditus; & tamen omnes Angeli eiusdem naturæ sunt: & stella stellæ præstat in gloria; & tamen stellarum omnium natura est vna: & mansiones multæ apud Patrem, idest dignitatum diuersitates; glorificatorum autem vna est natura. Numquid hic Doctor inter Philosophos tamdiù versatus Athenis omnes stellas, & fixas, & errantes existimabat esse vnius athomæ speciei; quod nulli omninò vmquam venit in mentem?

Aduertendum itaquè est Angelorum omnium posse dici vnam esse naturam dupliciter, primò secundùm entitatem naturalem, & hoc modò subalternam quidem vnitatem specificam omnes habent. Secundo modo, secundùm superadditam entitatem supernaturalem, in eo

fun-

fundatam, quòd vnius ſpeciei indiuiſibilis gratiam formaliter participantes ad eumdem finem cõtendunt vno, eodemquè modo operandi, qui communis eſt vniuerſis Angelis, hominibus verò non conuenit. Et hoc modo omnes ſunt vnius naturæ etiam athomæ, & indiuiſibilis, Equidem, & Diuus Auguſtinus in Enchirid. ad Laur.cap. 29. & Damaſcenus 2. lib. fid. orthod. cap. 3. hanc rationem reddiderunt, quare Deus hominem reparare voluerit, Angelum verò deſpexerit: quia vnico illo peccato Adæ tota ruerat humana natura, non autem ruerat Angelica natura tota, cum longè plures perſeuerauerint adepti beatitudinem. Ex quibus verbis non debet anſam arripere ſuæ opinionis amator; vt cenſeat hos Patres aſſerere vnicam indiuiſibiliter eſſe omnium Angelorum ſubſtantiam, ſed ſolum prædicto modo; quod Diuus Thomas expreſſiſſimè, ac pientiſſimè docuit. de Spiritualibus creat, art. 1. ad primum, vndè accepit Caiet. de ente, cap. 5. quæſt, 9. ad quintum argumentum. Ex his facilè ad ſingulas auctoritates deſcenditur piè interpretandas.

Ad primam dicitur, primò Vnam naturam, ſubſtantiamuè Angelorum dici modo declarato, ſcilicet non quoad Phyſicam ſubſtantiam, ſed quoad modum tendendi in ſupernaturalem beatitudinem. Secundò dicitur, ad auctoritatem Athanaſij nihil referre, ſi vnitas illa naturæ verificetur ſecundùm omnia. Stat enim aliqua verè aſſimilari in vno, & eſſe tamen in pluribus diſſimilia. Satis igitur erit, ſi aſſimilentur in vnitate; eſto differant in modo. Illi enim erunt vnius naturæ ſubalternæ, homines verò vnius naturæ, ſed athomæ, ac indiuiſibilis.

Ad ſecundam auctoritatem, & eadem, quæ ad primam reſponderi poſſunt: Sed præterea aduertendum eſt, intentionem Baſilij eſſe infringere hanc conſequentiã. Eſt ſecundus, vel tertius ordine, vel dignitate, ergò eſt alterius naturæ. Hanc autem oſtendit omninò inutilem collectionem eſſe, ex eò quòd reperitur iſta diuerſitas in vnitate naturæ. Sit nè illa generica, ſiuè ſpecifica nil refert. Nam reperitur in generica vnitate, vt inter Angelos;

los; in specifica, vt in stellis fixis, & in hominibus glorificatis; & in vtrisque simul, vt in omnibus stellis errantibus, & fixis, quæ specie differunt, & in Angelis, hominibusquè glorificatis, qui vt glorificati sunt eiusdem indiuisibilis speciei sunt. Nequè enim probare contendit (vti argumentum sumebat) identitatem naturæ Patris, & Filij, & Spiritus sancti; quam nec potuisset probare, ex virtute specifica naturæ humanæ; sed tantum defendere, vt dictum est.

Interim verò diligenter aduerte omnium glorificatorum dignitatibus, ac mansionibus secundùm inæqualitatem differentium (quæ certè reperitur non solum in hominibus tantum separatim ab Angelis consideratis, aut inter Angelos eodé modo consideratos, sed inter vtrosquè collectim, ac mutuò ad inuicem comparatos) vnicam dici esse naturam, Quod cum physicè, ne fingi quidem possit inter Angelos, & homines; reliquũ est, vt accipiatur de eis, vt glorificati sunt. Quomodò interpretatus est Sanctus Doctor, quam paulò supra ex Diuis Augustino, & Damasceno auctoritatem huic similem adduximus.

Sed quæso, quid valeret; inferre vnitatem athomam ex vnitate appellationis? Nam reperitur etiam appellationis multiplicitas; dùm quidam Cherubin, alij vel Seraphin, vel throni appellantur: quæ si operationum dicas esse nomina, ita dicet alius, & nomen Angeli officij esse appellationem, non substantiæ.

Ad tertiam auctoritatem. Est prima communis responsio, in exemplis non requiri veritatem exempli, sed intentæ veritatis explicationem. Idquè si Angeli nomen Angelicam naturam abstractè significare credatur. Si verò per illam vocem Angelus, quælibet species Angeli assumi acciperetur, nil prohibet propriè dici Angelum, scilicet Gabrielem, vel Raphaelem verè infimas appellari species, & sub se tantum indiuidua continere. de qua re inferius plura dicentur. Non enim singulæ plura indiuidua, sed vnicum quælibet; plures autem plura habent indiuidua solum; non autem species vllas, quibus vniuersalia quædam comparentur.

At

At contra quintam Conclusionem acrior concertatio surgit, quæ pluribus argumentis impugnatur; quæ statim adducta dissoluentur, vt tota disputatio breuior, atquè dilucidior procurrat. Sit igitur ex Scoto Argumentum.

Primùm. Omnis natura,& quidditas de se est communicabilis pluribus: ergò Natura, & quidditas Gabrielis de se est pluribus communicabilis. Consequentia est manifesta. Antecedens probatur. Nam esse in pluribus, aut perfectionem dicit, aut imperfectionem. Non certè secuudum, reperitur enim communicabilis natura in pluribus suppositis in ipso Domino Deo nostro formaliter, cum sit Deitas formaliter in Patre, Filio, & Spiritu Sancto; nihil autem dicens imperfectionem in Deo formaliter esse potest. Si perfectionem igitur dicit, & in homine,alijsquè corporeis speciebus ponitur, quas omnes excellunt Angeli plurimùm, profectò nulla verisimilitudine ab Angelo negari potest. Et

Confirmatur. Omnis species de facto prædicatur de pluribus solo differentibus numero. Ergò Species Angeli, etiam infima prædicatur de pluribus numero, & consequenter (etiam nè de facto?) in pluribus est numero solo differentibus. Antecedens solum indiget probari; nam consequentiæ peruiæ sunt. Est igitur argumentum. Cuilibet naturæ de facto semper inest,seu conuenit sua diffinitio. At speciei tamquàm diffinitio assignatur prædicari de pluribus numero differentibus; ergò ista prædicatio de facto conuenit omni speciei, seu naturæ specificæ.

Respondetur prænotando primò (ad omnifariam euacuationem, & quasi annihilationem huius argumenti, quod tanti fit a quibusdam) Communicabilitatem naturæ æquiuocè dici de communicabilitate actiua, & de passiua, vt sic loqui liceat. Actiua est quandò natura aliqua singularis seipsam pluribus alijs, vel naturis, vel personis communicat; quomodò ex infinitate sua Deitas communicat se humanitati nostræ in Christo, possetquè se multis alijs pari ratione, etiam Angelicis, vel creatis, vel creabilibus communicare, si vellet: itemquè dum

substan-

substantialiter illabitur & animabus, per easquè hominibus, & Angelis in beatis.

Talis communicabilitas in Deo reperiri potest in nulloquè preterea, propter omnimodam simpliciter in entitatis latitudine perfectionem, quæ ad hanc sui cõicationem vnica ratio est. Communicabilitas passiua est, qua vnica numero natura potest assumi à pluribus personis, vti cùm D. Thoma Theologi asserunt vnam, eandemquè humanitatem, vel Angelicam naturam potuisse, ac posse (secundùm potentiam absolutam Dei) assumi à duabus; & tribus personis sanctissimæ Trinitatis.

Hæc autem cõmunicabilitas nihil positiuum addit supra naturam communicabilem; cùm dicat solam non repugnantiam terminorum: ideòquè non dicit aliquam perfectionem, vel imperfectionem. De neutra harum communicationum agit argumentum; cuius intentio est tantùm concludere naturam quamlibet multiplicari in plura supposita sua. Et tunc

Prænoto secundò communicabilitatem naturæ ad supposita propria aliquandò fundari super vnitate numerali naturæ extra intellectum considerantem existentis, quæ hac seruata vnitate numerali sua communis est pluribus suppositis. Et tunc constat non intercedere naturæ diuisionem iuxta suppositorum numerum, cùm vnica numero existere dicatur extra intellectum considerantem. Et hæc communicabilitas infinitatem perfectionis exigit in natura tali. Nulla enim finita natura vnica numero potest esse in distinctis numero suppositis tali natura participantibus. Vndè & Deo conuenit, & de solo Deo non ratio creata, vel intelligentia eam adinuenire; vel etiam affirmare potest ex seipsa, sed tantum ex dono fidei, quæ Deo reuelanti id credit. Aliquandò autem ista naturæ communicabilitas ad plura supposita propria fundatur super vnitate rationis concipientis. Quæ ratio videns plura supposita non distingui inter se penès quædam prædicata, format conceptum huiusmodi prædicatorum, in quibus supposita illa non differunt, & ea de suppositis illis affirmat. Non est tamen extra intellectum res aliqua illis sup-

positis

positis communis: sed alia in vno, alia numero in alio est, atquè plures in pluribus. vnitas verò communis, secundùm quàm dicitur esse vnum in multis (quæ aliàs dicitur vniuersalitas) in solo remanet intellectu concipiente. Ex quo conuincitur apertissimè hanc naturæ cõmunicabilitatē importare cum diuisione communis naturæ vnitatem rationis conceptæ, vt concepta est, & consequenter, vt est in intellectu, imperfectionē. Et hæc communicabilitas imperfectionem importat, cum diuisio in Allostogia malorum fit; & multiplicentur indiuidua propter speciei conseruationem, quæ in vno non potest perpetuò conseruari, vel in vno habere totam suæ speciei latitudinem, ac perfectionem. Et de ista oportet argumentum tractare: Ad quod formaliter respondendo dicitur.

Antecedens assumere falsum: omnem scilicet naturam, seu quidditatem esse communicabilem cum diuisione sui. Ad probationem eius dicitur, satis apertè monstratum esse assumi falsum; cum verò probatur, non dicere imperfectionem, quia non reperiretur in Deo, nihil potest falsius dici. Sine diuisione sui, non cum diuisione communis est in Sanctissima Trinitate personarum Diuinitas. Quàm verò friuola argumentatio, & Scoti ingenio indigna, quæ æquiuatione luderet ex duplici illa acceptione communicabilitatis?

Ad confirmationem respondetur. Soncinas 12. Metaphysic. quæst. 51. negare videtur hanc esse speciei diffinitionem, prædicari inquam de multis differentibus numero solo. Sed de hac opinione disputare extra propositum esset. Itaquè hoc, quod assumitur, concesso speciem diffiniri per prædicari de pluribus.

Respondetur. Hanc diffinitionem intelligendam esse eo modo, quo in primis de rationali philosophia elementis à nobis dictum est. Videlicet, quòd species secundùm quòd obijcitur intellectui abstrahenti à singularibus, prędicabilis est de pluribus numero differentibus. Sed hinc nullo modo potest inferri, quòd sit extra animā de facto in pluribus. Nam non absolutè dicitur species prædicari de pluribus, sed cum conditione diminuente, secundū scili-

scilicet, quòd intellectui obijcitur; quæ conditio enervat vim argumenti, vt ex tertio libro Elementorum. Rationalis Philosophiæ nostro, ac secundò perihermenias haberi potest.

Secundum argumentum, (quod responsum ad præcedens impugnare videtur.) Quod non est de se hoc vnum numero, potest pluribus suppositis proprijs communicari. Sed natura, etiam Gabrielis verbi gratia, non est de se vnica numero: ergò. Propositio est manifestissima, ex opposito. Nam si non potest suppositis pluribus communicari, vnum numero est.

Assumptio probatur. Quod est de se vnicum numero, implicat intelligi sub ratione vniuersalis: At Gabrielem non implicat intelligi sub ratione vniuersalis. igitur non est de se vnicus numero. Probatur maior prosyllogismi. Nam rationes vniuersalis, & singularis repugnant ad inuicem; cum vniuersale sit, quod aptum est esse in multis. Singulari verò esse in multis repugnat. Minor probatur. Quia de his Angelicis speciebus, & nos disputamus, & Doctores scientiam tradunt, vt de vniuersalibus quibusdam: cum scientiæ de vniuersalibus sint.

Respondetur. Data maiore, minor negatur Dico enim Angelicam speciem quamlibet, verbi gratia, Gabrielem, esse de se vnicam numero secundum supposita, & tamen speciem; cũ, vt prædictum est ex D. Thoma, eodem in specie, & in indiuiduo cõstituatur. Ad probationẽ distinguo maiorem Quod est vnum numero, implicat intelligi sub ratione vniuersalis intellectione perfecta, adæquata scilicet: at erit falsa si aliter, idest inadæquatè, & imperfectè, ac non secundùm merita ipsius rei intelligatur. Et hoc secundo modo has Angelorum species nos intelligimus, ideòquè sub ratione vniuersalis. Nam tunc vniuersalis ratio incompossibilis est rationi rei ex sua natura singulari, quandò illa vniuersalitas conuenit rei ex ipsius rei merito. Pro cuius

Intelligentia euidentissima. Nota ex duobus capitibus contingere posse, quòd res sub vniuersali ratione intelligatur.

Primum

Primum eſt ex parte rei extra animam exiſtentis. Quia ſcilicet, primò aut de facto actualiter eſt in multis ſuppo ſitis, vt homo; vel ſucceſſiuè, vt de phœnice dicitur, vnicam quidem ſemper viuere, tamen aliam poſt mortem renaſci, aut ſaltem in potentia, vt domus octangula, quæ licet fortè numquam ædificata ſit, poteſt tamen ędificari etiam multotiens: Aut tertiò habet in ſe vndè con cipi poſſit ſinè ſingularitate eò, quòd alio principio habet vndè ſit ſingularis, alio vndè ſit eſſentia talis; & ad concipiendam perfectè naturam illam, non eſt neceſſe concipi principium ſuæ ſingularitatis: Vt Sol concipitur quoad eſſentiam ſuam abſquè conſideratione huius ſingu laris materiæ, quæ eſt principium indiuiduationis: quia non ex ſpecifica ſua ratione habet, vt ſit hoc indiuiduū: quod eſt idem, ac dicere non ex ſe eſt hoc.

Secundum caput eſt ex ratione noſtra, quæ ſcilicet nō concipit rem eo modo, qui conueniret ex merito rei. Sunt enim quædam, quorum eſſentialis ratio continet ipſum principium indiuiduationis; quandò ſcilicet tale principium idem eſt, cum principio conſtituente naturam: quod de omnibus formis ab omni materia ſeparatis à nobis aſſeritur; & ab omnibus ſimpliciter acceptatur de Deo ipſo. Attamen quia mens noſtra ob ſuam imbecillitatem naturalem, & obiecti maieſtatem huiuſmodi formas non concipit eo modo, qui illis ex ſuis meritis conueniret, ſed conformiter ad alia compoſita naturalia, de quibus dictum eſt; ideò concipit ea, vt vniuerſalia; quomodò etiam Deo pluralem numerum tribuimus, & quaſi de quodam vniuerſali tractamus: quamuis ex ſeipſo ſit omnimodò vnus, &c.

Tertium argumentum. Sequitur ex hac aſſerta Concluſione Gabrielem non eſſe primam ſubſtantiam, & conſequenter non poſſe exiſtere, aut certè non omnę exiſtens eſſe ſingulare.

Conſequentia prima probatur. Nam prima ſubſtantia diſtinguitur à ſpecie, quæ ſecunda ſubſtantia eſt.

Conſequentia ſecunda probatur. Quia ſi Gabriel exiſtit, & non eſt quoddam ſingulare: Igitur non omne

V exiſtens

existens est singulare: Quod verò non sit singularis probatur. Nam pura forma est; at forma pura non potest esse principium singularitatis.

Respondetur. Negatur consequentia vtraquè. Ad probationem primæ respondetur: Assumptam illam propositionem substantia prima distinguitur à specie, si accipitur de distinctione reali, veram esse in materialibus substantijs, in quibus docet Aristot. 7. Metaphysicor. quod quid est ab eo, cuius est quod quid est, re distingui: in immaterialibus esse falsam; quia idem est in eis constitutiuum rei in esse specifico, & indiuiduali. Si verò accipiatur de distinctione formali vera est in omnibus, etiam in immaterialibus: Sed non potest ex negatiua formali inferri negatiua identica. Imò optimè verificatur rem illam, quæ, vt obijcitur intellectui abstrahenti à singulari, secunda substantia, ac species formaliter est, & vt sic non est substantia prima, esse talem, vt correspondeat etiam conceptui primæ substantiæ: & consequenter esse illam eandem rem, quæ est, & quod quid est, & id cuius est.

Ad probationem secundæ consequētiæ negatur secunda pars assumptæ conditionalis Quæ verò affertur ad eam probandam propositio, forma pura non potest esse principium indiuiduationis in corporalibus substantijs, in quibus forma recipitur in materia, transeat; In immaterialibus autem substantijs falsa est; cum ex Diuo Thoma dictum supra sit indiuiduari ex eo, quòd non recipiuntur, quod profectò eis conuenit ex ipsa natura sua. Ac proptérea eodem constituuntur in esse, & singulari, & specifico.

Quartum argumentum. Contra responsionem. Principium indiuiduatiuum speciei est eius limitatiuum: ergò forma, quamuis irreceptibilis in materia non potest esse principium indiuiduationis. Consequentia est euidentissima: neque enim irreceptibilis forma limitat semetipsam. Antecedens videtur indè demonstrari, quia species est communis; principium verò indiuiduatiuum eam determinat ad hoc indiuiduum.

Respon-

Respondetur distinguendo antecedens. Principium indiuiduatiuum, quo natura diuiditur, limitatiuum esse concedo: At si natura non diuiditur (quomodò immateriales substantiæ indiuiduantur) nego esse limitatiuum. Ad antecedentis probationem. Species, idest res, quæ denominatur species sub ratione huiusmodi speciei concepta communis est. Sed hoc potest aliquandò esse ex meritis rei.s.quandò natura diuiditur in supposita: aliquandò potest esse tantum ex nostro modo intelligendi: si primo modo fiat, principium huiusmodi rem communem efficit singularem, si secundo modo non est id necesse; imò nec possibile; quia illa communitas non conuenit rei secundùm se, sed ex solo modo, quo intellectui nostro obiecta est. Vndè ex hoc argumento nihil aliud cōcluditur; nisi quod formaliter loquendo non sub eadē ratione cōcipitur substātia Angeli, quādò concipitur, vt species, & quādò cōcipitur, vt indiuiduū. Attamē si secundū merita sua concipiatur; non vt cōis, sed vt indiuiduū concipietur. Et nihilominus sicuti Deus correspondet pluribus conceptibus nostris, qui formaliter in nobis distinguuntur, non distinguuntur autem formaliter in Deo, sed solum virtualiter, pro quanto scilicet vnica res illa correspondet pluribus nostris conceptibus: ita substantiæ separatæ essentia vnica numero, & singularis correspondet formalibus conceptibus nostris in intellectu nostro distinctis; quibus consideratur, & vt species, & consequenter communis, & vt indiuidua, & consequenter, vt limitata, & singularis.

Quintum Argumentum. Humanitas separata non est indiuiduum; nequè constitutiua indiuidui: ergò neque Gabriel. Probatur consequentia; Quia par ratio esse videtur de vtrisquè. Antecedens autem probatur. Humanitas enim est quo aliquid est, & consequenter non est indiuiduum. Sed nequè principium indiuidui esse probatur hoc modo. Id, quod totum quippiam est, non est principium indiuiduationis, at humanitas (etsi separata esset) est tamen quoddam totum; materia, & forma siquidem constat: ergò, &c.

Respondetur primò. Hoc argumentum contra hanc Conclusionem non magis militat, quàm contra contrariam sententiam: cum in Angelica natura destruat rationem suppositi: vt nè vnum quidem (quantò magis, vt nec multa?) existere possit. Quarè illam potius quæstionem exigit, an Angeli sint, quàm istam, vtrum in vnica specie Angelorum athomâ plures numero existant.

Secundò tamen respondetur, nè videamur difficultatem in eos retorquentes, fugere, & expectare ab eis responsionem; Negamusquè consequentiam; miramurquè tàm facilè arguentem permisisse illud assumptum, parem scilicet rationem videri de essentia Gabrielis, & humanitatis; Cùm in hoc negotio sit plurima disparitas. Humanitas enim etsi de facto separata esset (possit, vel non possit id fieri non curamus: sed sub hypothesi etiam impossibili ad instar. Aristotel. 4. Physic. de vacuo philosophantis loquimur) esset natura receptibilis in indiuiduo, Gabrielis autem essentia non est receptibilis.

Tertiò, respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem soluendam pranoto: Aliter tractandum esse de humanitate simpliciter, & absolutè sumpta, aliterquè de eadem secundùm merita illi conuenientia ex eo, quòd supponitur existere separata; Primò modo sumpta est tantum, vt quà indiuiduum existit, & consequenter indiuiduum esse non potest, cui existere conuenire, tamquàm quod existit. At secundo modo non solum est, vt qua quid existit, sed etiam vt quod. Et cum ex separatione à materia singulari excludatur ab ea principium indiuiduationis limitatiuum, etiam seipsa indiuiduaretur (vt de albedine ab omni subiecto separata dixit aliquandò D. Thom.) quia vniuersaliter in omni forma ab omni subiecto separata principium indiuiduationis ipsamet forma est. Ad probationem igitur distinguo maiorem: Quod est totum quoddam, non est principium indiuiduationis secundùm merita suæ naturæ secundùm se sumptæ; transeat: non est principium, facta quacumquè suppositione: puta separationis ab omni materia, vt in proposito nostro, negatur. Ita enim ex vi separatio-

nis

nis humanitas esset totum ex materia constans, & forma, quod esset forma quædam totalis, seu totum, quod forma. Sicut namquè modò, quandò vt abstracta concipitur, intelligitur quasi forma quædam totalis; ita si in tali abstractione subsisteret forma totalis esset. Ex quo facilè vir ingeniosus intelliget, an hypothesis sit possibilis.

Sextum argumentum. Angeli vltimi ordinis habent eadem ministeria, ergò habent eandem naturam. Ita argumentatus est Diuus Bonauentura. Antecedens conuincitur ex dicto Dan. 7. cap. Millia millium ministrabant ei. Et certum est, quòd non omnes diuersa ministrant; cum plures ministrent hominibus viam ad salutem suam consequendam.

Et confirmatur primò. Nam idem Daniel habet. Decies centies centena millia assistebant ei: ergò omnia huiusmodi indiuidua conueniunt in vnico isto officio, atquè ministerio, assistendi Deo.

Inferturquè potius ex his, nullos Angelos inter se specie differre. Nam vt alij arguunt. Angeli differunt inter se solum secundùm ministeria, ad quæ Mittuntur, & ordinantur. Sed talis differentia non potest esse specifica: Imò est accidentalis: quia sumitur secundùm supernaturalia, quæ accidunt naturæ.

Respondetur facillimè. De Angelis agi posse dupliciter. Primò, secundùm naturalia. Secundò autem, habita comparatione ad supernaturalia, & finem beatitudinis supra naturam obtinendæ. Ministeria, quæ Angelis conueniunt secundùm Scripturas, & earum Expositores sanctos Patres non pertinent ad eos primo modo consideratos, sed secundo modo; quod notantissimè considerandum est, ac propterea efficaciter ex sacra Scriptura probatur. Primò, videlicet ad Hebr. Omnes (inquit) sunt administratorij Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Hoc autem modo considerati Angeli omnes in vniuersum vnius naturæ appellari possunt; quia in tali comparatione constituuntur per vnicam, vniusquè speciei athomæ gratiam, non autem

gradu intellectuali generico, vel specifico. Si autem considerentur primo modo; & diuersarum sunt specierum, & nulla habent ministeria respectu hominum, nisi fortè illud vnicum mouendi Cęlos ad generationem corruptibilium, præcipuè verò hominum, in cuius gratiam reliqua sunt producta, vt alibi dictum est. Quod ministerium etiam Theologis videtur esse accidentariũ; cum generatio hominum non instituta sit, vt in æternum duratura, sed vsquè ad vltimi electi productionem, de qua re non est hoc loco tractandum. Quamobrem argumenta, & confirmationes tractantes ab identitate ministeriorum ad identitatem specificam naturæ inutilia prorsus sunt, & nullam habent consequentiam.

Corollarium autem, quod alij deducunt, non est minus inutile, eiusquè probatio falsum assumit. Quamuis autem occasio offeratur hoc loco declarandi, vndè sumantur species Angelorum; attamen, & in gratiam breuitatis, & quòd à nobis id fortè vt nouo modo, ita & non contemnendo declaratum fuit in prima relectione nostra, quæ est de causa specierum intellectus Angelici, ab hac disputatione supersedebimus.

Septimum argumentum ex eodem Diuo Bonauentura. Angeli sunt Deo proximiores, & consequenter ei similiores; ergò debent habere distinctioné inter se conformé Deo, ac distinctioni, quæ reperitur in diuinis personis magis, quàm homines. ergò queadmodum homines in eadem natura distinguuntur numero ad similitudinem personarum diuinarum, ita etiam numero in eadem athoma natura Angeli distinguentur. Antecedens est manifestissimum, quia actui puro magis assimilatur natura, quæ est actus tantum, quàm illa, quæ ex actu, potentiaquè componitur. Consequentiæ etiam apertissimæ videntur esse. Prima quidem, nam aliàs non esset, quàm homo, magis similis Deo. Secunda verò. Nam distinctio personarum in eadem specie athoma similior est distinctioni diuinarum personarum, quàm distinctio personarum in eadem specie subalterna.

Adde quia tunc nulla athoma species Angelorum erit in hoc

in hoc similis Deo, cum nulla earum plura habeat indiuidua, siuè personas.

Respondetur. Adnotando distinctionem personarum in Deitate vnica numero fundari super infinita perfectione, vt supra dictum est; distinctionem verò personarum in natura creata specifica fundari super imperfectione. Illa siquidem fit communicatione eiusdem naturæ numero acceptæ ab alio, vndè consurgit relatio producentis actione sua, & producti, quæ relationes subsistentes personæ sunt: ista verò fit diuisione naturæ in plura indiuidua; & in hoc est prima dissimilitudo necessariò intercedens; quia plures personæ, verbi gratia, humanæ non possunt esse vnus numero homo, cum tamen Trinitas Beatissima sit vnus numero Deus.

Et propterea cum similitudine in argumento adducta respectu diuisionis personarum diuinarum habet adiunctam magnam dissimilitudinem, quoad vnitatem naturæ, dùm vna est numeralis, altera specifica. Quòd si Angeli carent hac similitudine pluralitatis personarum; habent tamen similitudinem cum Deo in vnitate indiuiduali illius naturæ. Neque propterea sunt imperfectiores, aut priuationem vllam habent; cum priuatio dicat negationem in natura apta habere affirmationem oppositam; quæ aptitudo non est in Angelis, imò potius est repugnantia ad pluralitatem indiuiduorum; & consequenter personarum in eadem natura. Quin potius imperfectiores essent, si haberent hanc distinctionem personarũ, quæ non reperitur nisi in formis receptibilibus in materia, & consequenter aliquo modo dependentibus à materia, si non in esse simpliciter, (anima enim rationalis existere potest extra omnem materiam) saltem in fieri: quia scilicet nõ possunt fieri nisi in materia sic disposita. Vndè, & quod resultat compositum, non potest non esse imperfectius Angelo, qui est ab omni corpore abstractus in seipso subsistens. Ad argumentum in forma igitur

Respondetur, Concesso antecedente, & prima consequentia simpliciter, idest, quoad perfectiorem similitudinem simpliciter, negatur secunda consequentia. Adhuc

enim simpliciter loquendo sunt Angeli similiores Deo, etsi careāt illa distinctione personarum, quā habent homines, vt declaratum est. Adde similitudinē erga Deum nō debere, imò nec posse attendi, nisi secundùm ea, quæ in Deo causa sunt, in creatura effectus illius causæ: at relationes diuinæ non sunt causæ (per se primò saltem,) sed hic Deus Pater, Filius, & Spritus Sanctus: quia causalitas omnis creaturarum necessariò est communis tribus, & tribus personis conuenit ratione naturæ communis: ergò etiam omnis assimilatio secundùm istud attendi debet. Huic autem, quod per se primò producit, longè similior Angelus est sinè pluralitate personarū, quàm homo sit. Nam in vnitate suppositi in natura vna necessariò cum Deo conuenit: quod longè est perfectius, quā pluralitatem personarum sortiri cum diuisione naturæ in singulis personis.

Octauum argumentum. Omne animal desiderat societatem sibi similis in specie: ergò & Angelus hoc idem naturaliter desiderat. Igitur hoc naturale desiderium in eo non frustrabitur; & consequenter dantur plures Angeli vnius speciei.

Prima consequentia probatur; quia videtur eadem ratio esse de vtrisquè cum ambo siut intellectuales. Sed

Respondetur. Nisi videretur iniuria inesse verbo, diceretur argumentum videri puerile. Adeò namquè dispar est ratio, vt potius concludi debeat, non inesse Angelo hoc desiderium. Nascitur enim in animalibus ex magna imperfectione, quòd sine tali societate, nec propagari possunt, & consequenter eorum species nequit conseruari, nec vllum huiusmodi animalis indiuiduum habere potest omne id, quod sibi necessarium est, aut certè consequi suam actualem beatitudinem perfectam. At verò Angelus sempiterno tempore in seipso necessariò perseuerat, omnia continens, quæ sibi conuenire naturaliter possunt. Imò (vt alibi dicendum est) si non superadderetur supernaturalis gratiæ ordo, esset in seipso perpetuò felix, atquè beatus. Et hæc quidem prima responsio sit ad argumentum, negata consequentia.

Potest

Poteſt ſecundò dici. Propoſitionem illam ex Scriptura deſumptam, ac propterea veriſſimam ſpecialiter, ac propriè eſſe interpretandā de animalibus, (à quo genere Angelus longiſſimè abeſt:) Imò etiam, & in ijs ſecundùm ea, quæ communius contingunt. Nam poſſunt eſſe animalia, quæ ſui in ſpecie ſimilis ſocietatem omninò, ac prorſus non deſiderant. Quod apertiſſimè verum eſt, ſi vera eſt, quæ de phœnice vulgò iactatur hiſtoria. Sed & Conchiliorum quædam genera id demonſtrant: quæ ita naſcuntur affixa, & infixa rupibus in littore maris, creſcentia intra eas ſemper vnà cum gumma, quæ perpetuò littori adhæreſcit. (Hæc nos ipſi malleo gummas huiuſmodi confringentes expiſcati ſumus aliquandò) iſta enim animalia ſimilis ſibi ſocietatem habere omninò non poſſunt.

Sed contra hanc reſponſionem videtur Auctor illius argumenti D. Bonauen. replicare, & ſit.

Nonum argumentum. In Angelis eſt amicabilis, & ſocialis affectus; ergò, & amant, & appetunt ſibi ſimiles in ſpecie habere naturaliter. Vndè ſequitur idem, quod prius.

Confirmatur à quibuſdam (vt putant) validiſſimè. Politia ſocialis, & amicabilis non poteſt eſſe inter diſtincta ſpecie; aut ergò non eſt ea politia inter Angelos, aut non eſt inter eoſdem ſpecifica diſtinctio.

Reſpondetur vtriquè ſimul. Politia inter Cœleſtes Spiritus primò quidem ſupernaturalis eſt. Sic enim ad vnum ſupernaturalem finem à Deo creati ſunt. Ex tali autem politia nihil inferri poteſt pertinens ad conditionem ſpecificæ identitatis in genere naturæ. Et ratio eſt in promptu; quia talis politiæ fundamentum eſt Dei gratia, quæ non exigit identitatem ſpecificam in ijs, qui eam debent participare. Alioquin inter homines, & Angelos politia hæc eſſe non poſſet, quod contra Scripturas omnes eſt: ſed ſupponit in ſubiecto ſuo gradum intellectiuum: cum non ſit aptum natum gratiam recipere, quod intellectum non habet, quo videatur Deus.

Sed eſt hic etiam aduertendum, Gradum intellectualem

lem aptum natum esse parere societatem, & amorem inter omnia indiuidua quarumlibet specierum, quæ genus huiusmodi diuidunt. Et ratio est, quia ex ipso solo gradu intellectiuo communicant in potentia ordinata in cognitionem eiusdem obiecti in naturalibus, quamuis nec eodem, nec æquali modo. Omnis enim intellectus est potentia, qua cognoscitiua natura nata est fieri, vel esse ens, & qualibet entis species cognoscibiliter. Quocùm optimè cohæret intellectum Angelicum alio, ac superiori modo id obtinere, quàm hominis intellectus. Et præterea ex eodem communicant in eo, vt potentiam habeant ordinatam ad cognoscẽdum omninò idem obiectum supernaturale, scilicet Deum, eodemquè modo in supernaturalibus. Ex quo patere potest affectum amicabilem in Angelis existentem non inferre desiderium comparis in eadem specie athoma; sed satis esse si assimilentur in intellectiuo gradu.

His argumentis adductus D. Bonauẽtura arbitratur opinionem nostrã non solum esse falsam, sed præsumptuosam, ac ferè grauiori nota dignam. Quæ cum sint adeò apertè, ac facilè dissoluta, dicendum est, ea vice & bonum etiam Homerum dormitasse. Nam si hæc, vltima præsertim, ratio valeret; demonstraret nullos omninò Angelos differre specie: siquidem inter cœlestes spiritus illos politia, & societas admirabilis esse affirmatur ab omnibus Scripturis, & Patribus, quam isti nolunt intercedere inter indiuidua distincta specie. Imò addas ex eadem ferè ratione deduci posse contra apertas Scripturas non posse inter homines, & Angelos esse politiam & societatem, cum necessariò distinguantur specie, &c. Vt meritò in eius sententiam retorqueas censuram periculosæ doctrinæ, & parum consentientis veritati, & fidei nostræ.

Decimum argumentum. Diuus Augustinus capit 29. Enchirid. dicit non fuisse assumptam à Verbo Angelicam naturam, quòd non tota ruerit, quemadmodum humana: ergò Angeli omnes vnius sunt speciei, nedum aliqui. Consequentia est nota, quia si singuli singulam speciem con-

continent, quomodò corruente singulo quoquè non tota corruit species illa?

Respondetur. Diuus Augustinus loquitur tamquàm Theologus de Angelis, secundùm quòd considerantur in esse quasi viatorum tendentium ad beatitudinem supernaturalem, seu in esse meritorio, quod fundatur in diuina gratia, explicatur in meritis, & consumatur in adeptione fęlicitatis, sed cum speciali modo operandi: In quibus nō plures solum, sed omnes Angeli vnius tantum naturæ sunt, ac speciei, vt supra per occasionem dictum est.

De esse autem physico, & naturali Angelorum non est apud Diuum Augustinum vlla tractatio: quamuis in eo, quòd in modo intelligendi sine discursu, aut compositione, & in modo eligendi inflexibiliter (quasi in modo vnico secundùm speciem athomam) omnes ex naturalis esse conditione conueniant; id etiam ratio dici potest, cur de eis etiam secundùm esse physicum, quasi de vna natura, tractauerit. Sed ex hoc non potest inferri, vel omnes, vel aliquos esse eiusdem speciei substantialis. Quia vnicus iste secundùm athomam speciem operandi modus omnibus conuenit secundùm aliquid vniuersis commune, videlicet ratione immaterialitatis substantialis.

Vndecimum argumentum. Dæmones sunt frustrati suo fine. Ergò oportet in qualibet specie dæmonum aliqua alia indiuidua reperiri, quæ suo fine frustrata non sint.

Consequentia probatur. Quia non est verisimile, nec conueniens vllo modo videri potest, totam vnam speciē excellentissimarum creaturarum, ac excedentiū incomparabiliter vniuersa ista corporalia esse frustratam suo fine. At id necessariò contingeret, si in nulla specie dæmonum sint plura numero indiuidua.

Si diceretur non esse inconueniens totam vnam naturam frustrari suo fine supernaturali; & isto priuatos esse dæmones. Contra, &

Augetur dubitatio. Dæmones frustrati sunt non solum supernaturali fine, sed etiam naturali. Ergò idem con-

concluditur, quod prius. Probatur antecedens. Quia non solum circa supernaturalia, sed etiam circa naturalia habent peruersitatem voluntatis, idquè etiam (quod amplius est) necessariò. Et hoc assumptum probatur. Nam semper, obstinatèque operantur contra naturale iudicium intellectus, qui in communi ipsis etiam dæmonibus dictat, Deo obediendum esse; Agendum esse humiliter sub Deo: Quod tamen nullis in operibus suis faciunt. Et posset addi etiam in iudicijs intellectus circa res naturales frequentissimè eos decipi. Sed hanc rem non oportet fusius pertractare.

Respondetur. Duplicem considerari posse gradum naturarum. Quædam enim finem sibi proprium naturalem habent præcisum ab ordine superiori, quales sunt naturæ omnes, quæ ratione carent. Aliæ verò proprium naturalem finem non habent ab ordine superiori, ac supernaturali præcisum. Et hæ sunt naturæ intellectuales. Nam Deus non eas creauit in naturalibus puris, aut saltem in naturalibus non reliquit: sed vel ab ipsa sui conditione, vel post modicum tempus ad finem supernaturalem infusa eis gratia eleuauit: Qua eleuatione datum est eis, vt perfectè finem suum naturalem consequi possent. Et huius perfectæ consequutionis modus est; vt vnico actu totum naturale obiectum suum perseproprium perpetuò inspicere possint. Siquidem in ipso diuinæ essentiæ intuitu species, ac genera entium naturalium, ad quæ per se primò cognoscenda intellectualis potentiæ inclinatio est, simul, ac semel intuentur; & consequenter eius obiecti consecutione naturaliter beantur, quod alioquin perfectè obtinere non possent. Nam omnia genera, ac species rerum naturalium vnica intelligibili specie repræsentari non possũt, & consequenter, nequè vnico actu perfectè videri; sed oportet successiuè per plures actus omnia illa cognosci; quæ successio, atquè pluralitas non permittit beatitudinẽ esse perfectam simpliciter. Et in istis naturis intellectualibus ex hac eleuatione factum est, vt finem naturalem

necesse

necesse sit obtinere supernaturalis finis adoptione, atquè vt à supernaturali cadentes à primo naturali fine etiam cadant.

Ex quo infero nullum esse inconueniens totam vnam naturæ speciem à fine proprio naturali cadere, quandò hoc secundo modo obtinent finem suum. Hoc autem valdè euidenter probatur; Quia sicut totam vnam naturam perfectam à fine suo naturali cadere incõueniens maximum reputatur: ita paulò minus absurdum censetur naturam vnam perfectissimam frustrari suo fine naturali secundùm maiorem partem indiuiduorum suorum. Et tamẽ (quod summis lachrimis dignum est cõsentiẽbus vniuersis) videmus humanam naturam priuari fine suo naturali secundùm plurimam (& vtinam dici non debeat secundùm incomparabiliter maiorem) partem indiuiduorum suorum; cùm electorum numerus à Christo pusillus grex vocatus sit, ac per sapientissimum Salomonem attestatus sit Spiritus sanctus stultorum infinitum esse numerũ. Vt prætermittam, quam vel manibus ipsis contrectamus experientiam; innumerabili penè numero infideles, malosquè Christianos eos vincere, qui saluandi sunt. Adeò vt Christus Dominus dixerit multos vocatos, electos paucos. Et huius rei ratio est, quòd compositus homo sit ex cõtrarijs appetitibus, suęquè inclinationis relictis. Quamuis autem in Angelis hæc ratio non militet; non desunt tamen aliæ. Sed satis modò est de facto intellectualem naturam (quamuis infimam in hoc genere, incomparabiliter tamen vincentem alias corporales) secundùm maiorem partem suorum indiuiduorum frustrari naturali fine suo ob coniunctionem ad superiorem, & supernaturalem.

Et ex his patet quid dicendum formaliter sit ad argumentum.

Duodecimum argumentum. Diuus Ioannes Damascenus in Element. capit. 7. Habet Deum fecisse Angelos secundùm vnamquamquè speciem: ergò Diuo Ioanni Damasceno in vnaquaquè specie Angeli sunt plures numero.

Respon-

Respondetur primò. Esto D. Ioannem Damascenum huius opinionis fuisse; non esset necesse eius approbare sententiam. (Imò verò veniam præfatus addam) nequè etiam si plures Sancti ita de facto sentirent. Nam cùm ista pertineant ad rerum naturalium notitiam præcisè; nō est necesse asserere Spiritu sancto inspirante ita loquutos fuisse, quemadmodum loquuntur, quandò consentienter idem asserunt in ijs, quæ ad fidem, moresquè necessarios ad salutem pertinent. Et possem dicere quosdā ex patribus, & Diuum ipsum Augustinum in huiusmodi naturalibus non hæsisse solum, sed etiam allucinatos fuisse sinè vllo detrimento sanctitatis, doctrinæquè suæ.

Secundò respondent quidam D. Ioan. Damasc. loqui de specie non athoma, sed sub alterna. Quæ tamen responsio Caietani non mihi probatur plurimùm. Non enim dantur intellectualis naturæ subalternæ species, quę genera sint aliarum similiter specierum: quod hæc secunda responsio videtur concedere.

Tertia itaquè certè acutior, ac vera responsio sit: Veram esse sententiam Damasceni, in alio tamen ab eo sensu quem præ se fert argumentum. Quia scilicet verè asserit fecisse Deum Angelos plurimos, atquè ad inuicem distinctos; modum autem distinctionis esse secundùm vnamquamquè speciem. Siquidem ad verificandum hoc dictum sufficit vniuscuiusquè speciei Angelum vnicum esse. Sic enim fecit Angelos plures, quia fecit vnum secundùm speciem vnamquamquè. Sunt autē plurimæ species Angelorum. Et tunc apertissimè patet consequentiam non valere.

Tertiumdecimum. Angeli superiores eos illuminant, quibus sunt superiores, etiam de rebus naturalibus: ergò ab inferioribus Angelis compræhenduntur; igitur nō minor est in inferiori virtus intelligendi, quā sit intelligibilitas in superiore intellecto: ergò omnes sunt pares, eiusdemquè speciei, quoad naturam, gradatio verò superioritatis est penès officia, & munia. Antecedens patet p.p q.106.ar.1.ad secundū ex D.Thom. prima consequentia probatur; quia sinè huiusmodi comprahensione non

potest

potest Angelus illuminari. Secunda consequentia probatur. Nam sinè dicta adæquatione non potest haberi compræhensio obiecti cognoscendi. Vltima probatur; quia quorum virtutes sunt æquales, eorum quoque æqualis substantia est, à qua sunt illæ virtutes.

Respondetur. In antecedente ponitur illa particula, etiam de rebus naturalibus; quæ videtur expressè à D. Thoma loco citato posita: sed tamen intelligenda est, (prout elici potest ex eodem p.p.109.3.ad secundum,& in cor. Imò,& in q.107. ar.secundo per totum,& ibidem Caietan.) vt à Deo sunt, vt sic, quod plurimum refert; sed quia modò non est tempus latius id explicandi: transeat antecedẽs ad præsens. Prima aũt consequentia distinguitur; de compræhensione substantiæ, & tunc ex vi antecedentis consequentia non valet; de compræhensione obiecti propositi, cõceditur consequentia, & cõsequens. Secũda verò consequentia. Si deducatur ex prima,in secũdo sensu, non valet. Et ad probationẽ eius respõdetur sinè adæquatione ad obiectum cognitum, vt cognitum non potest haberi eius compræhensio, verum est; sine obiecti cogniti adæquatione, vt res quædam in seipso est, negatur consequentia.

Cæterùm in gratiam disputationis detur,quòd ad illuminationem exigatur substantiam illuminantis debere compræhendi, saltem de possibili, prout illius consequentiæ intentio erat: Respondetur negando assumptum in probatione secundæ consequentiæ: non enim necesse est, vt Angelus Angelum compræhendat, esse æqualis perfectionis specificæ; sed sufficit esse eiusdem ordinis substantialis, quod conuenire potest etiam differentibus specie. Nam omnes Angeli in eo conueniũt, quòd sunt naturæ extra materiam omnem per se subsistentes habentes esse à natura distinctum; vt dicitur p.p. quæst.12.ar.4. Vbi videatur D. Caiet. Hæc modò satis sunto.

Quartumdecimum argumentum, contra rationem Sancti Thomæ. Datur in natura aliqua distinctio numeralis sinè dependentia à materia. Ergò non potest concludi

cludi ex negatione materiæ negatio numeralis distinctionis in athoma specie Angelica. Et consequentia videtur apertissima. Antecedens probatur. Nam diuinæ personæ numero distinguuntur ab inuicem, sinè omni tamen materia existentes.

Confirmatur. Angeli Gabriel, & Raphael distinguuntur non solum trauscendenter, sed etiam indiuidualiter. Et non per materiam: ergò distinctio indiuidualis non exigit materiam necessariò. Et consequenter ratio S. D. non est valida.

Respondetur primò. Ad antecedens, distinguendo. Datur distinctio numeralis, sinè, &c. In natura aliqua creata; negatur: De increata; non est curandum, quia ex increata natura ad creatam non potest esse progressus: est autem Angelus creata natura.

Secundò respondetur. Datur in aliqua natura distinctio numeralis, sinè, &c. Diuisiua naturæ, negatur antecedens, cuius probatio ex diuinis personis non diuidentibus vnicam naturam diuinam omninò est inutilis. De non diuisiua, concesso antecedente, consequentia est nulla.

Tertiò respondetur. Datur in aliqua natura distinctio numeralis præcisè, (idest talis, quæ non aliqua formali ratione, & quasi specificè ét distinguatur.) Nego antecedens, esto consequētia valeret, de qua modo nō curatur. Ad probationem illius. Nego diuinas personas ab inuicē solo numero præcisè, vti declaratum est, distingui. Legatur Caietanus p.3. quæst. 3. art. 6. longo, ac subtilissimo Commentario declarans paternitatem, filiationem, processionem, seu Patrem, Filium, Spiritum sanctum, etsi secundùm communem rationem personalitatis solo numero, & sub vnica ratione communi differant; differre tamen secundùm proprias rationes personalitatis Patris, Filij, & Spiritus sancti. Et Diuus Thomas p. quæst. 41. art. 6. probat non posse esse plures filiationes in diuinis, quia non possunt formæ immateriales esse numero plures; qui tamen probat esse relationes reales plures ex pro-

processionum secundùm rationem, ordinemquè originis distinctarum multiplicatione, p.p.q.28. art. 1. & quarto. Quis autem dubitet proprios terminos processionum hoc modo distinctarum esse secundùm rationem; quasi specificam, diuersos? ...

Vbi vide quomodò transcenditur in argumento ad numeralem distinctionem indiuiduorum à numerali distinctione personarum. Cum enim in sola natura diuina reperiri possit, vt pluribus personis vnica numero natura communicetur; quia sola Deitas communicatur operatione ad intra, qualis est intelligere, & velle; & consequenter ei proprium sit, vt ipsa constitutiua personarum relationes sint, quæ ex intrinseca ratione sua habet ad inuicem, & oppositionem, & consequenter etiam distinctionem, cum vnitate tamen eiusdem numero naturæ, quæ ex ipsa sua ratione essentialiter sibi vendicat esse vnicam numero, & penitùs indiuisibilem; Ideò in his personis est specialis ratio distinctionis ab inuicem seclusis per intellectum omnibus alijs; quæ ratio est ipsamet relatiua oppositio essentialiter in personis illis, quæ sunt relationes subsistentes, inclusa: ad quarum distinctionem non requiritur indiuidualis naturæ distinctio, imò nequê eam compatitur: Qua ergò verisimili apparentia hoc Deitati proprium potest per argumenti consequentiam accommodari naturis creatis, in quibus necessariò sunt oppositæ conditiones? videlicet operatione ad extra produci; aliquo absoluto constitui; necessariò præerequirere diuersitatem indiuidualem, diuisionemquè naturæ; & constitutiuum nullam habere intrinsecè oppositionem ad alterum? Ad confirmationem facilè patet ex dictis. Nam antecedente concesso distinguitur consequens: ergò distinctio indiuidualis præcisa, idest cui non sit annexa alia distinctio, &c. Negatur consequentia, & consequens; at si habet adiunctam distinctionem specificam, & consequentia valet, & consequens verum est, & pro nobis facit, dicentibus substantias per se subsistentes extra omnem materiam eodem habere, & vt sint in hac

ſpecie, & indiuiduæ numero; & proptereà non poſſe ſolo numero in eadem ſpecie multiplicari.

Quintumdecimum argumentum, & poſtremum. Hæc ſententia damnata eſt ab vniuerſitate Pariſienſi: ergò reijcienda eſt, ſaltem vt falſa: conſequentiã aduerſarij putant eſſe euidentiſſimam: Antecedens probant adducentes tres articulos ab ea condemnatos.

Primus eſt. Deum non poſſe multiplicare formas ſinè materia.

Secundus. Formam non poſſe recipere diuiſionem ſinè materia.

Tertius. Quia intelligentiæ non habent materiam, Deum non poſſe eiuſdem ſpeciei plures facere. Et ſingulis ſubiecit vniuerſitas, Error.

Reſpondetur. Hi articuli facilè exponi poſſunt; ac ſi error dicatur Deum non poſſe multiplicare formas ſinè materia, ideſt ſinè talium formarum ſecundùm eſſe ſuum dependentia à materia: Et ſinè tali dependentia formarum à materia non poſſe formas diuiſionem recipere: ac ex impotentia ſua non poſſe Deum facere intelligentias in eadem ſpecie numero diſtinctas, vel non poſſe id facere, quia intelligentiæ non habent materiam, ideſt dependentiam ſecundum eſſe à materia. Contra Auerroem enim formati articuli ſunt ex illius doctrina, qui plures intellectus eſſe propter iſta negabat.

Secundò reſpondetur. De articulis illis teſtes ſunt, qui interfuerunt Auctores grauiſſimi, valdè temerè, & incõſultè factos fuiſſe non vocatis permultis, grauioribuſquè, ac de iure requiſitis vniuerſitatis Doctoribus. Vndè poſtea eadem Vniuerſitas, & eiuſdem Ciuitatis Epiſcopus Stephanus maturiore, legitimoquè iudicio eos reuocauit in ijs præſertim, quæ aliquo modo Diui Thomæ doctrinam impugnaſſe viderentur. Et certè meritò. Nam quod

Tertio loco, reſpondetur, Ab Vrbano Quarto Pontif. Summo per extrauagantem quandam ſuam D. Thom. doctrina, tamquam Catholica approbata eſt: Imò ita dicit

ad

ad Tholosanos, ad quos extrauagans illa directa est.

Volumus, & tenore præsentium vobis iniungimus, vt dicti Beati Thomæ doctrinam, tamquàm veridicam, & Catholicam sectemini, eamquè studeatis totis viribus ampliare. Vide Cap. 2 dist. 2. quæst. 2. ad octauum contra octauam Conclusionem recitantem ad verbum. Et certè non rarò nostris etiam temporibus contingit, vt qui D. Thom. doctrinam audent impugnare; & quasi in fide periculosam asserere, in multas sese angustias, ac nomini suo parum honorificas coniecerint.

Contra sextam Conclusionem arguitur.

Primò. Quia Diuus Thomas videtur contrarium sentire. Et affertur à Ferrar. secundo contra gent. cap. 92. & à Bagn; p.p. 50. 4. dub. 2. dicto. 2. auctoritas S. Doct. ex opusc. 16. quod est de vnitate intellectus, contra Auerroistas, cuius verba fideliter relata sunt hæc. Valdè autem ruditer argumentantur ad ostendendum, quòd Deus facere non posset, quòd sint multi intellectus eiusdem speciei, credentes hoc includere contradictionem. Dato enim quòd non esset de natura intellectus, quòd multiplicaretur, non propter hoc oportet, quòd intellectum multiplicari includat cõtradictionem. Nihil enim prohibet aliquid non habere in sua natura causam alicuius; quod tamen habet illud ex alia causa. Sicut graue habet ex sua natura, quòd non sit sursum: tamen graue esse sursum non includit contradictionem: sed graue esse sursum secundùm suam naturam contradictionem includeret. Sic ergò si intellectus naturaliter esset vnus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis; posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa; nec esset implicatio contradictionis. Quod non tantum dicimus propter propositum; sed magis, ne hæc argumentandi forma ad alia extendatur. Sic enim posset concludi, quòd non potest facere, quòd mortui resurgant, & quòd cæci ad visum reparentur.

Ex quibus verbis isti Auctores tenent de mente Diui Thomæ dicendum esse non implicare contradictionem plures Angelos numero in vnica athoma specie esse. Sed

Respondetur primò. Mirum mihi videtur, quòd hi Doctores propter huiusmodi verba in opusculo quodam posita ea relinquant, quæ idem Sanctus Doctor in longè grauioribus operibus suis, præsertim verò in Summa docuit; quæ à nobis supra adducta sunt: cum potius Sũma Lydius debeat esse lapis, ad quem reliquã omnia examinanda sint.

Secundò respondetur. Mentem S. Thom. in istis verbis non esse, vt statuat hanc Angelorum in vnica specie pluralitatem non implicare contradictionem; siquidem expresè habet, se non ista dicere propter propositum, idest; quia non implicetur contradictio; sed magis ne hæc argumentandi forma extendatur ad aliud.

Tertiò respondetur D. Thom. verba intelligenda esse in illis naturis, in quibus negationes verificantur; non autem, in quibus verificantur affirmationes sequentes.

Negatio est: Non est de natura intellectus, quòd multiplicetur.

Affirmatio est. De natura intellectus est, quòd non multiplicetur.

Expresè enim sic incipit responsio: Dato quod non esset de natura intellectus, quòd multiplicaretur; non propter hoc oporteret, quòd intellectum multiplicari includeret contradictionem. At nos probauimus affirmationem. Scilicet: De natura intellectualis substantiæ separatæ est non posse numero solo multiplicari; idquè simpliciter, & nõ eo modo, quo graue ex natura sua habet, quòd non sit sursum; qui situs naturæ grauis repugnat naturaliter, non absolutè, & simpliciter. Vndè etiam secundùm sensum prædictæ negationis concludit ipse idem Sanctus Doctor hoc modo. Sic ergò intellectus si naturaliter esset vnus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis; posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset implicatio contradictionis. Non conclusit autem hoc modo, si intellectus esset naturaliter vnus, quia simpliciter non potest multiplicari, non esset tamen implicatio contradictionis ex supernaturali causa eum multiplicari. Hoc enim

enim secundùm apertissimè patet esse falsum, quod solum ad propositum esset contra Conclusionem nostram.

Secundò. Arguitur. Licet Gabriel secundum naturam suam habeat perfectionem sibi naturaliter debitam, potest tamen ex diuina potentia absoluta perfectionem habere maiorem. Ergò ex absoluta Dei potentia potest Gabriel poni non in hoc vnico solum, sed etiam in alio indiuiduo. Et consequenter possunt esse plures Gabrieles numero.

Respondetur. Primò. Hoc argumentum doctissimi Patris Bagnesij ex ijs, quæ dicta sunt in hac Conclusione videtur esse solutum. Falsum est enim antecedens: si perfectio substantialis naturæ debita est infinita, cum infinito nequeat esse maius in eo genere, in quo est infinitum. Nam licet plures sint numero infiniti dies, quàm infiniti menses; est impossibile tamen, vel vnicum mensem addere innumeris mensibus. Potest adhiberi fortè etiam.

Secunda Responsio. Negando scilicet consequentiam, quicquid de antecedente quis sentiat. Nàm siuè maior esse substantialis perfectio possit, siuè non possit; si eodem principio, quo constituitur in indiuiduo, constituitur in specie tali, nó potest inferri, naturam Gabrielis poni posse in pluribus indiuiduis, & consequenter esse plura indiuidua; sed vnicum illud Gabrielis indiuiduum modò perfectius, modò minus perfectum esse futurum.

Tertiò. Arguitur. Potest Deus ad naturam Gabrielis addere proprietatem non omninò extrinsecam, sed ex sua natura manantem considerata illa natura non absolutè, sed quatenus stat sub actione Dei; quæ proprietas augeat, vel minuat eam naturam in perfectione substantiali. Ergò potest indiuidua eius naturæ Gabrielis multiplicare. Consequentia probatur. Nàm hoc satis est (inquit Bagnes) ad indiuidua multiplicanda. Antecedens Bagnes videtur existimasse per se notum. Sed

Respondetur id, quod ex actione supernaturali superadditur, esse naturale naturæ, cui superadditur, implicare contradictionem: Nàm naturalia sunt, quæ per se naturæ conueniunt, non autem quæ ab extrinseca operatione superioris, ac supernaturalis agentis.

Præ-

Præterea augeri perfectionem substantialem, vel minui, est rem fieri secundum substantiam meliorem. Res autem naturales posse secundùm substantiam esse meliores Diuus Thomas negat.

Postremò gratis assumpsit arguens illam minoré propositionem, vti dictum est ad argumentum præcedens.

Quartò. Arguitur. Deus potest reparare alios Angelos in eisdẽ gradibus, & speciebus, in quibus illi creati sunt, qui ceciderunt. Ergò non implicat esse plures Angelos in vna specie. Consequentia patet, Antecedens est D. Aug. 2. de lib arbitr. vt refert Durandus.

Respondetur Bagnes non allegat Durãdum formaliter. Non dicit enim Durandus D. Aug. affirmare Deum posse in eisdem gradibus, & speciebus creare Angelos alios; sed hanc Conclusionem nititur inferre, ex cap. 12. illius lib. vbi hæc habet D. August. formaliter. Non enim Bonitas eius aliquo quasi tædio, nequè omnipotentia difficultate quasi deficeret vlla ad creandos alios Angelos, quos in eisdem sedibus collocaret, quas peccando alij deseruissent, &c. Et ratio consequentiæ Durandi erat: quia Angelis dat gratiam secundùm eorum naturam, seu secundùm naturalia; quocirca qui crearentur in eadem gratia, haberent etiam eandem naturam?

Respondetur itaquè primò, quòd licet data sit modò gratia Angelis secundùm naturalia; non vendicant id sibi tamen ex natura rei. Et ideò hac Hypothesi facta, quòd scilicet Deus crearet Angelos in eisdem sedibus; dicetur hunc ordinem mutari, & non dari gratiam secundùm naturalia; Et hoc modo respondet Capreolus.

Secundò. Responderi posset. Cùm dicitur gratia Angelis data secundùm naturalia, non est sensus, Naturalẽ Angelicæ voluntatis motum esse dispositionem, secundùm quam gratia eis mensuraretur (& id quidem secũdùm se sumptum) quia talis actus cùm merè sit naturalis, non potest esse secundùm se dispositio ad gratiam: sed intelligitur hoc modo; quòd Deus ex benignitate sua, & ex speciali intentione, ac motione mouit Angelos ad supernaturalem finem, vtens eorum naturali motu, & actu ex tali auxilio, vt dispositiuo ad gratiam. Et hoc modo natura-

turalia Angelorum ex speciali diuino auxilio eleuata, dispositiones fuerunt ad gratiam, quæ ex mera Domini voluntate secũdùm talem mensuram tali dispositioni respondet. Quamobrem posset Deus nobilioribus creandorum Angelorũ operibus naturalibus ex eius auxilio speciali faciendis, tamquàm dispositione, vti ad eandem mensuram gratiæ consequendam, quam isti Angeli, qui cæciderunt, habuere. Et in hoc sensu D. Aug. sententia exposita, & acceptata, consequentia argumenti non valet.

Quintò. Arguitur. Potest Deus plures creare animas rationales extra corpus, & antè omne corpus. Ergò in tali casu dabitur indiuiduatio substantiæ separatæ non per materiam. Ergò dari etiã possunt plures Angeli in eadem specie. Et secunda consequentia tenet (iuxta arguentes) ex paritate rationis. Prima verò, quia tales animæ indiuiduæ sunt, & non per materiam, ante quàm creatæ supponuntur.

Respondetur esse valdè disparem rationem Angelorũ, & animarum; cùm anima intellectiua sit actus corporis essentialiter, & consequenter eius indiuiduatio sumi potest à corpore, quod informandum esset, etsi tunc actualitater nõ informaretur: quod de Angelis nullo pacto dici posse conuincitur ex eo, quòd substantiæ completæ immateriales sunt.

Sextò. Potest Deus Gabrielem annihilare, & deinde alium Gabrielẽ producere: ergò potest ét duos Gabrieles simul creare, & cõseruare: ergò possunt esse plures Angeli vnius speciei. Antecedens probatur. Primò quia natura Gabrielis est specifica: at species est indifferens ad hunc, & ad aliud indiuiduum. Si hoc assumptum negatur, probatur. Quia abstrahit species ab indiuiduis; ergò est indifferens ad hunc, & aliud. Secundò probatur idem antecedens. Nam si non potest alium Gabrielem creare: ergò euacuata, & exhausta est omnipotentia Dei.

Respondetur. Negando antecedens, & ad primã probationem negando speciem omnem secundùm rem, seu secundùm illud, quod est in se, esse indifferenem. Nàm vt supra dictum est, quædam sunt, quæ eodem constituuntur in esse specifico, & in indiuiduali, quales sunt Angeli, & in his

in his speciebus non est indifferentia secundum rem, neque abstractio ab indiuiduo ex meritis rei, sed tantùm ex meritis nostri intellectus, intelligentis ea simili modo, quo ista composita corporalia.

Ad secundam probationem. Respondetur negando consequentiam. Nasci enim potest negatio ista, qua dicitur non posse creare alium Angelum, non à defectu potestatis diuinæ, sed à repugnantia terminorum; vnde fit etiã, vt non possit localiter mouere aliquid in instanti.

Et hic sit finis relectionis huius: quę tractata à nobis est, post

Ioannem Capreolum 2. dist. 3. q. 1. ad argumenta contra vltimam Conclusionem.
Caietanum c. 5. de ente, & essentia, q. 9.
Thomam de Argentina, 1. dist. 3. q. 1.
Scotum 2. dist. 3. q. 3. & quodl. 2.
Alexandrum Alens. 2. par. q. 20. memb. 2.
D. Bonau. 2. dist. 3. q. 1. 2. partis distinctionis.
Durandum. 2. dist. 3. quæst. 3.
Gabrielem. 2. dist. 3. q. 1. &
Marsilium. 2. p. q. 3. ar. 3.
Abulens. paradox. 4. c. 24. & c. 21. num. 9. q. 9.
Molinam. ad pri. par. S. Thomæ, q. 50. 4.
Suarez. p. tom. disp. 8. q. 8. sect. 2.
Albertum 2. par. sum. Tract. 2. q. 8.
Ferrar. 2. contra gent. cap. 93.
Valentia. p. p. D. Thom. q. 50. 4. punc. 3.
Bagnes. ad eundem art. p. p. dub. 2.

Et quidem tantis cum Auctoribus, qui splendididissimis ingenijs, quasi astris lucidissimis sacram Theologiam illustrant, atque fęcundant, nos ipsos quo audebimus comparare? Attamen vos voluistis Camertes nobilissimi. Et votis vestris non parere piaculum videbatur. Erit aũt nobis etiam exoptatissima exercitatio humilitatis, quæ cogitationes nostras, & vestræ, & omnium aliorum censuræ humillimè subijcit. Omnes illi censebunt, qui rem acutius penetrauerint, & iudicauerint.

LAVS DEO.